BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS,
VIA JACOBÆA, N° 24.

M. T. CICERONIS

PARS SECUNDA

SIVE

ORATIONES OMNES

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LE CLERC

RECENSITÆ

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVII

PRÆFATIO NOVI EDITORIS

DE CICERONIS ORATIONIBUS.

Nonnulla de hac secunda Ciceronis operum parte, qua quidem ejus orationes continentur, præmissuris non id consilii est propositum, ut tantum auctorem, dum legentibus commendandum arbitramur, eumdem ingenii culpa deteramus et elevemus. Ea enim præstantissimis viris concessa laus est, ut qui eos prædicandos suscipiant, non temeritatis magis quam vani ingenii culpam subeant, et sui simul et aliorum obliti esse videantur: quippe qui propriæ imbecillitatis immemores de actis rebus et seculorum auctoritate ac perpetua admiratione consecratis, quasi jam in dubium vocentur, disserere audeant.

Quem vero umquam magis quam Ciceronem in forensibus studiis æqualium admiratio, ita est prosequuta, ut nihil amplius jam posteris faciendum superfuerit, quam ne in tanto ætatum consensu novissimi venirent, et in hac veluti transmissa venerationis hereditate a prioribus recentiores superarentur? Spirat enim vivitque Tullii orationibus commissa vis et calor; et nobiles has voces, quibus toties romanum forum personuit, quamvis tacente illa quasi corporis

eloquentia, quæ novam eis vim addebat, tamen rudes nos et alienigenæ intelligimus, et veluti torrentis fluvii impetu ultro volentesque rapimur.

Age enim, si in hujus tantum voluminis finibus nos contineamus, quis umquam verius orator, id est, « vir bonus ac fortis dicendi peritus » exstitit, quam qui in civili causa, in illo virium suarum tentamento, circumscriptos sibi terminos egreditur, ut victarum partium proditores ac transfugas ante ipsa vincentium ora, debita afficiat ignominia? Quo autem sensu permovemur, quum in Roscii Amerini causa, inter servientium silentia ac metum, in illo scelerum omnium æstu ac furore, adolescentis hominis liberam vocem audimus, qui non minore ingenio quam animo Sullana odia in se vocare, rei causam a sua separare non dubitat, et Reipublicæ nomine, miseram temporum conditionem, sicariorum audaciam liberrima indignatione conqueritur? In ea certe oratione, maximus apparet Cicero; et jam virum illum agnoscis, qui in Catilinæ ruinam ac patriæ crescit salutem.

Neque sane in minimis illud Ciceroni fuit, quum eum Siculi rogaturi adierunt, ut suam ipsorum causam adversus scelus ac libidinem summa potentia subnixam defenderet. Tanta sane populi totius fide dignum se præstitit; et postquam Cæcilium quemdam, a Verris patronis appositum contemptu, ridiculo, atque odio perfudit, et omnes rei insidias ac artes diligentia ac virtute

elusit; jam ad causam venit, jam Verrem aggreditur, urget, obruit, supplicio quodam humanis legibus majore afficit; et in omnes indignationis, odii, invidiæ, misericordiæ affectus assurgit, ut vere « dono quodam providentiæ genitum » virum dicas, « in quo totas vires suas eloquentia experiretur ».

Verum, ne a proposito diutius aberremus, paucis admonendus lector, qua ratione nostrum illud opus digesserimus. Ita nobis abunde omnis generis superfuerunt auxilia, ut in hac re unum nobis subeundum sit crimen, ne illis ipsi defuisse videamur. Ut enim illas in Ciceronis orationes commentariorum bibliothecas omittamus, quæ quidquid olim de Cicerone in utramque partem docti disputavere, totum continent, et legentium studiis ad satietatem consulunt; vera nobis adminicula præbuere tum P. Manutii, quem sæpius ducem sequuti sumus, impensæ Tullio vigiliæ, et Grævii ubertas, qui dum ceteros recitat auctores, plurimis locis et ipse facem prætulit, tum maxime Nic. Desjardins labor, qui, quamquam ab Oliveto fastiditus, « quasi nihil novi afferat », plus ad illustrandum Ciceronem solus ipse valuit, quam plurimorum ambitiosa congeries. Huic præsertim hæsimus, hujus sæpius notas expressimus, sensus hausimus, ita tamen ut, non recentioribus neglectis, quidquid apud minus antiquæ notæ commentatores probandum nobis occurreret, ultro receperimus. Sic opem tulere Ferratius, Grono-

Gavius, Verburgius, Lallemandus, Facciolatus, Garatonius, Ernestus præsertim, quem qui laudandum susciperet, is legentibus injuriam faceret. Profuere et plurimi alii, quorum nomina circumferuntur, interpretes, e quibus ea selegimus, quæ ad illustrandum Ciceronem, aut explicandam latini sermonis subtilitatem atque elegantiam faciebant, omissis iis, quæ in tanta literarum luce edere supervacuus labor videretur. In recentissimis autem Schützio et, quod ad Verrinas orationes pertinet, Harlesio nos maximas gratias habere profitemur; prioris notulis ad obscura quædam explicanda, feliciter usi, hoc unum desiderii habuimus, quod paullo in mutando ac corrigendo audacior, auctori sæpius proprium ingenium affinxerit.

Ne plura autem extraneis accepta haberemus, vetuere doctissimæ Jos. Vict. Le Clerc elucubrationes, qui dum totum Ciceronem vernaculo sermone donandum suscepit, præclarissime simul et de civibus et de alienigenis est meritus; quippe cujus opera non minus latine quam gallice tersus ac politus prodeat Cicero, et jam futuris in posterum laboribus, quasi fundamentum hæc illius editio sit supponenda. Immemoris autem esset animi non J. L. Burnouf nomen huic conjungere, qui postquam suis in Sallustium vigiliis tantam literis operam navavit, non minorem Ciceronis Quintianæ orationi, ut cetera omittamus et de hoc tantum volumine loquamur, præ-

stitit, cujus quidem gallicas notas omnes in nostras transtulimus.

Denique, ne quid mancum et imperfectum huic operi accederet, quum sæpius nobis fuerat animadversum Ciceronem ea, quæ ad jus civile spectat, parte laborare, ac vix plerumque intelligi, quidquid jurisconsultum requireret, ad doctissimum virum Poncelet juris in Acad. Paris. doctorem ac professorem referendum curavimus, qui ea, qua est, humanitate ac doctrina, impedita quædam loca omnino illustravit, Gaio præsertim splendidam facem præferente, cujus nuper detecta opera novam faciem romano juri, Ciceronis inprimis ætate, addiderunt. Idem etiam, ne quidquam obscurum hac de re superesset, ad calcem hujus voluminis de privatis ac publicis, stante republica, judiciis appendicem addidit, qua edocti vel legum romanarum omnino rudes optime de legibus agentem Tullium possint intelligere.

Hac eadem instructi ratione, quæ difficiliora ad veterum mores spectarent, in excursu ad nonnullius orationis finem submisimus; sic quædam de provinciis ex Ferratio, de vectigalibus ex Desjardins desumpsimus; et quum in Verrinis orationibus prætoris urbani ac provincialis non rara mentio occurrat, et in eorum jurisdictione, imperio, muneribus frequens sit Cicero, operæ pretium fore credidimus si de eis, quidquid ex veteribus ac jurisconsultis collegerat Desjardins, nos, eodem D. Poncelet recensente, ederemus.

Is igitur laboris nostri fuit tenor, ut ad conficiendum quod ad textum pertinet egregia uteremur Jos. Vict. Le Clerc editione, uno tantum et altero excepto loco, quem mutandum pace tanti viri censuimus; quod ad notas, optima quæque et maxime auctorem illustrantia ex commentariis tum vetustissimis, tum recentioribus, seligeremus. Addidimus præterea varias e MSS lectiones tum ab eodem Jos. Vict. Le Clerc electas, tum ex Garatonio, Schützio et ceteris desumptas, prout satis magni momenti videbantur. Singulis orationibus præmissa est narratio earum rerum, quæ a legentibus præoccupatæ ad intelligendum auctorem maxime valerent. Quæ quidem argumenta tum ex iis, qui in eadem versati sunt materie, exscripsimus; tum sæpe quia minus accurate et brevius, aut obscurius scripta videbantur, ipsi diligentius refingenda suscepimus; operæ etiam pretium fore rati, si hanc factorum narrationem ea sequerentur, quæ et quo tempore, quibus audientibus, aut judicantibus habita sit oratio, explicarent. Subjunximus etiam rhetoricam analysin sive synopsin, qua, quasi manu deductus, lector auctorem intra penetralia versantem deprehendit, totum hoc oratorium intelligit artificium, et causarum, quas Tullius peroravit, explicata serie, argumenta ac veluti cardines, quibus res tota vertitur, uno in conspectu positos videt, ac nudatos perspicit. Ceterum, ut nihil scientes prætermisimus, quod aut aliquam Tullio lucem affun-

dere, aut aliquid ad veterem adjuvandam scripturam posset afferre, ita rursus eadem repeti, inutilia coacervari, res pluribus, quam opus esset, verbis explicari, exemplis et argumentis legentes obtundi et crescere volumen absurdum duximus. Hoc ergo proposito sæpe sæpius interpretum nimiam temperavimus redundantiam, et eos brevius loqui compulimus, tanta tamen fide ac diligentia, ut nihil eorum ingenium queri possit, nec quidquam, nisi intempestivam doctrinæ ac verborum luxuriam circumciderimus.

NICOLAI DESJARDINS
PRÆFATIO.

De ista, quam adornavimus, Ciceronis orationum editione, atque de ipso Cicerone si præfaremur, nos operam plerisque legentium non injucundam sumpturos esse putavimus.

Post exhaustos circa hanc Ciceronis operum partem tot illustrium in republica literaria virorum labores, noster iste labor si multis supervacaneus esse videbitur, non erit quod miremur : quippe qui nihil quod jam prædictum non fuerit, dici aut excogitari posse, quo nitidiora et explicatiora sint ista volumina, existimabunt. Fatebuntur ea quidem vepribus olim cohorruisse; at nunc assidua eruditorum hominum cura et studio effectum esse contendent, ut perpurgata beneficæ manus opem ultra non implorent; licere jam inoffenso pede per singulas orationes decurrere. Sane quidem fuit tempus, quum et ego in eadem, quam mihi opinionis errore finxeram, existimatione versarer. Verum ad has ipsas orationes legendas quum primum animum appuli, quantas ibi tunc sive in rebus intelligendis, sive in perspicienda verborum vi, difficultates vidi; quas neque meo marte enodare, neque aliorum, quos mihi subsidio comparaveram, laboribus expedire possem! Quin inde mihi, unde auxilium speraveram, novus accedebat labor. Nunc enim, interpretibus in summa varietate opinionis et dissensione sententiæ constitutis, quærendum fuit quorum potior esset interpretatio : nunc investigandum, quod ab iis aut consulto, aut incuria, vel prætermissum, vel parum

diserte fuerat explicatum; non sine voto, ut exsisteret aliquando ex tot viris, quos alit Parisiensis Academia in artium studiis liberalissimis maxime versatos, doctrinisque tum græcis, tum latinis eruditissimos, qui de multis bene merendi studio excitatus, susciperet curam cogitationemque dignissimam suæ virtutis; discendi cupidis adolescentibus, iis maxime, apud quos, juvenes magistros, pueri exercentur, necessariam; omnibus utilem : qui dubia, certius; ambigua et obscura explanatius; difficilia, diligentius; cuncta brevius explicaret : qui denique uberrimos illos eloquentiæ romanæ fontes aperiret, unde facile haurirent ii, qui summæ artis habere scientiam, et perfecte dicendi laudem assequi cuperent. Interea nunc hanc, nunc illam diligenter legebam orationem; quæ legenti notanda, sive indicta aliis, sive delibata leviter, occurrerent, in adversaria conjiciebam; donec continuato multis annis labore, atque singulis orationibus pervolutatis non semel, ea creverunt in librum; quem dicendi studiosæ juventuti, cujus unius in gratiam hoc a me susceptum est negotium, affero. Suscepti munus officii, prout animo mecum descripseram, an sim exsequutus, aliorum sit judicium. Conatus sum meliora superioribus; perficiet aliquis, quem veræ laudis amor aliquando ad tam eximia ceteris tradenda advocaverit. Nec defuturum qui id aggrediatur, existimo. Ciceronis sincerum judicium, ut olim, etiam nunc intelligentium moderatur orationi : sana quæ fuit illius temporibus eloquentia, victrix perrupit furtim mala fastidia, quibus apud nos adhæserat, quum novi generis eloquentiæ falsis luminibus obscurata delitesceret.

Antequam de hujusce operis ratione disseram, ac de iis dicam qui in hoc industriæ nostræ curriculum

primi descenderunt; abs re non erit, de Ciceronis genere dicendi, et quos obtrectatores habuerit, nonnulla præmittere. Eloquentiæ summus honos liberis in civitatibus semper habitus est. Græcia tamen, atque adeo Athenæ, ubi « prima vestigia, ac prope incunabula reperiuntur eloquentiæ, omnes artes vetustiores habent, et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam hæc est a Græcis elaborata dicendi vis atque copia ». Cic. in Bruto, c. 7. Ante Demosthenem, in quo maxime perfectio dicendi apud Græcos, absolutioque fuisse judicatur, pauci sunt qui eloquentiam fuerint consequuti; ita ut artis rudimenta tantummodo posita fuisse videantur.

Romæ quamvis merces amplissima facultati dicendi proposita fuerit, ac per eam aditus patuerit ad honores quosque maximos, nihilominus tardissime suam etiam maturitatem assequuta est. Ejus originem jam a regum temporibus repetit quidem Tullius initio libri de cl. Oratorib. Sed ab his initiis profectus, et omnium ætatum progressionem persequutus, suppares ætati suæ Crassum et Antonium, vix repperit, in quibus « primum cum Græcorum gloria latine dicendi copia fuerit[1] æquata »; quamquam in ea de se et de Crasso ipse non fuit opinione Antonius, qui diceret « disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem ». Orat. I, 21. Ergo artis perfectæ consummatæque gloriam Cicero primus ostendit. Is « dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur » (Quintil. X, 1), Latinis omnibus superior, nulli Græcorum inferior, Demosthenem aut æquavit, aut etiam superavit. Erat in eo nimirum præstantissimi, et ad quamlibet doctrinam celeriter arripiendam promptissimi acumen ingenii : literis

1. De claris Orator. cap. 138.

multum temporis, discendi causa, vel a pueritia tribuerat. Quotquot Romæ aut cives, aut Græci fuerunt, his temporibus viri eruditione atque doctrina præclari, eis in disciplinam se tradiderat: jus civile, philosophiæ partes omnes, tum quæ ad dialecticam, tum quæ ad mores et naturam pertinent; astronomiam, poeticen, historiam, omnia denique, quæ uno scientiæ nomine continentur, tenuit in primis. Insidebat enim in ejus mente species eloquentiæ, quam Roma nondum viderat, ad quam volebat orationem suam dirigi : eloquentem esse neminem posse putabat, nisi qui multiplici doctrina atque omnium optimarum artium studiis esset eruditus. Plerique ad causas tum privatas, tum publicas adibant, ut in foro discerent; ipse vero « quantum potuit, effecit ut doctus in forum veniret ». Cic. in Brut. 90. Itaque ingenium ejus simul aspectum et probatum est : atque illa ejus eloquentia tantum habuit commendationis, et apud eos ex suis, quos Roma tulit sanæ mentis homines, et apud posteros, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur. Quintil. X, 1.

Verum quantus ille fuit, homo fuit : more autem apud homines ita comparatum est, ut justam habeat venerationem quidquid excellit, atque obtrectationem etiam prope necessariam. Illa virtutis alienæ tristis et obscura rivalis Invidia, quæ bonorum expers, quod assequi posse desperat, odiose deprimit, Ciceronem fœdissime laceravit. Tullii mores, si credis ejus gloriæ inimicis, non fuerunt sat boni : fuit sui jactantior, et ultra quam verecundum hominem decet : adscivit sibi genus dicendi Asiaticum, redundans, et plus nimio diffluens.

Quod ei de moribus objicitur, magnum sane crimen est; quo uno, quum nemo possit orator esse,

nisi sit vir bonus, de oratoriæ dignitatis gradu dejicitur. Quintil. XII, 1. Quum autem « omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiæ maxime molestissima ». Divin. cap. 11. Nihil denique declamatoria loquacitate levius; nihil contemptius. Verum an tria hæc recte in Cicerone reprehendantur, paullo diligentius est investigandum. Ac primum de moribus, quod rei caput est.

In ejusmodi reprehensionibus, quæ gravissimæ sunt, illud in primis quærendum puto, quæ sit vita illius, qui alienam arguit; quæ morum gravitas; quæ hominis, qui arguitur, existimatio. Ista si valeant in his rebus, et vel mediocriter considerentur, omnis illa de moribus Ciceronis accusatio quin evanescat, non est quod dubitetur.

Orationes duæ sunt in Ciceronem ita geminæ, ita sibi similes, ut ex eadem eas officina exsistere non inepte judicaveris: et rursus ita vehementes, ut earum scriptores potius quæsisse videantur, in quem omne virus acerbitatis suæ declamando evomerent, quam habuisse penitus notum aliquem, nedum Ciceronem, in quem tot putida jacere, salva veri similitudine, potuerint. Altera brevior Sallustii nomine circumfertur, ad calcem Ciceronis orationum addi vulgo solita. Altera sane longa, Fufii Caleni, legitur apud Dionem lib. XLVI. Hi sunt duo fontes unde virus hauserunt malivoli, quod Ciceronis in mores despuerent. Quæ Sallustii esse dicitur in Marcum Tullium Ciceronem oratio, eam hujus non esse, docti viri dudum demonstraverunt : tum quod Ciceronem inter et Sallustium inimicitiæ tam vehementis causæ non sat idoneæ afferantur; tum quod stylus in ea maxime diversus sit a forma dicendi Sallustiana. Declamatoris cujusdam, sive Porcius Latro ille sit, seu quivis alius, commen-

tum illud esse critici putant, styli exercendi gratia conscriptum; quales sunt laudationes Phalaridis, Ebrietatis, et ceterorum id genus a recentioribus, non ad rei veritatem, sed ad styli exercitationem conscriptæ. Atqui ejusmodi vituperationes ab insulso declamatore data opera coacervatæ, an umquam accusationis vim apud aliquem obtinebunt, nisi ipse sit insulsissimus? Fictus ille Sallustius ex Caleni oratione excerpsisse videtur calumnias omnes, quæ argumento quod tractandum susceperat, essent accommodatæ: unde etiam levior fit ejus auctoritas: et simul ostenditur Calenum unum esse, a quo ista profecta sint in Ciceronem. Porro Quintus Fufius Calenus fuerat in partibus Cæsaris contra Pompeium; atque postea studuerat ardenter Antonio, quem reipublicæ hostem, Tullio annitente, senatus judicaverat. Graviter et acerbe (Phil. VIII et X), idque non semel, Tullius in senatu dixerat contra Calenum, summum Antonii amicum et defensorem: summa ergo fuit inter eos dissensio voluntatis; ut mirum non sit, si hunc ille inimicissime atque infestissime insectetur. Fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor doloris sui, et punitor injuriæ, quam Antonio factam fuisse arbitrabatur. At in exulcerato animo fictum crimen quin facile nascatur, nemo est nescius. Præterea criminatio Caleni quæ est? Omnes omnino naturæ et ingenii virtutes Tullio Calenus abjudicat, et contraria singulis virtutibus vitia ei impudenter affingit. Maledicta in vitam alterius tam petulanter, tam aspere, tam ferociter conjecta refelluntur eo ipso, quod, qua jure qua injuria, lædendi voluntatem aperte præ se ferant. Calumniam vero tam multiplicem, et tam atrocem non avide arripuisset Dio; neque, tam falsa describendo, inustam verissimis mendaciorum notis historiam tradidisset hominum memoriæ sempi-

ternæ, nisi Ciceronis laudum obtrectator ipse esset perpetuus. Sed quoniam « nihil est tam volucre quam maledictum; nihil facilius emittitur; nihil citius excipitur; nihil latius dissipatur » (pro Plancio, cap. 23); nihil tardius abjicitur : si quis illis quæ diximus non contentus, auctoritate certandum etiam contra istos putat; istorum testimoniis opponemus testimonia clarissimorum virorum, cum quibus et fictus ille Sallustius, et Fufius Calenus, neutiquam sunt comparandi. *Verecundum* fuisse Ciceronem, nisi res ipsa doceret, nos ipsi facile demonstraremus : *clementem* Ammianus Marcellinus, lib. XIX, circa finem, eum describit; *reverendum* testem vocat (idem, lib. XXVI initio); *apertum*, Quintus Cicero (de petitione); *facilem*, Caius Cæsar (ad Att. lib. XIV, epist. 2); *prudentissimum* Brutus, nec sine causa; quandoquidem quatuordecim annis (ad Att. l. X, epist. 4) ante prospexit tempestatem eam qua eversa est respublica; *amantissimum* (Catilin. IV, cap. 8) reipublicæ prædicat uni illi conservatæ civitatis gratulatio decreta; *fidelitatem* ejus laudat Plancius (ad Div. X, 4). Parum fortis videtur quibusdam, quibus optime respondit ipse, ait Quintil. lib. XII, cap. 1, « Non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis »; quod probavit morte quoque ipsa, quam præstantissimo suscepit animo. Infinitum esse me oporteat, si gravissimorum hominum testimonia colligere velim universa, quibus existimationi hominum Tullius vindicatur. Unus sit pro omnibus Cato, qui integritatis ei, justitiæ, clementiæ, fidei testimonium dedit : unus sit Quintilianus (ubi supra), qui quum dixit Ciceronis mores a multis reprehensos fuisse, non immoratur iis accusationibus referendis, quas eo ipso pro levibus et nugatoriis haberi debere significat, sed statim subjicit : ego vero « M. Tul-

lio defuisse non video in ulla parte civis optimi voluntatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus: integerrime provincia administrata; et repudiatus viginti-viratus; et civilibus bellis neque spe, neque metu declinatus animus, quominus se optimis partibus, id est, reipublicæ jungeret». Unus sit pro omnibus Q. Catulus (Pis. 3), a quo est *parens patriæ* nominatus. M. Curio (ad Att. I, 15), qui consulatum illum ejus ἀποθέωσιν vocabat. Claudius imperator (Sueton. in Cl. cap. 41), qui Ciceronis defensionem composuit; Alexander Severus (Lamprid. in Severo), qui ejus imaginem in larario habuit. Audiantur etiam superioris huic nostræ ætatis scriptores, Lutherus, Erasmus [1], Latomus, qui, licet admiratione obstupefacti, Ciceronis amori plusculum etiam, quam concedit veritas, largiantur, Ciceronis animam apud superos vitam quietam agere speraverunt.

Altera in Ciceronem accusatio est. Ingenio, inquiunt, fuit arroganti: data qualibet occasione se magnifice jactat, et ostentat intolerantius. Fatendum est [2] in hac parte reprehensum non mediocriter fuisse Ciceronem: quamquam is quidem rerum a se gestarum major, quam eloquentiæ fuit jactator. Imo quum arrogantiæ sit comes invidia, tantum abest ab eo vitio, quod solet lacerare plerosque, et quod alit artium studiorumque quasi finitima [3] vicinitas, ut adversariorum patronis plenissimam concedat eloquentiam; ingenium sibi et dicendi facultatem modeste detrahat [4]; quorum quidem loco ait se diligentiam et industriam

1. Apud Fabric. Biblioth. Lat, Suppl. tom. I.
2. Quintil. XI, 1.
3. Notum est illud Hesiodi, Figulus figulo infestus est, et fabro faber: mendicus mendico invidet, et poeta poetæ. Op. et D. vs. 25.
4. Vid. pro Quint. cap. 1, 2, et pro Arch. poeta, cap. 1, etc.

comparasse. (Quintil. ubi sup.) In ea quæ fuit illi cum Cæcilio de accusatore in Verrem constituendo contentio, quamvis multum esset in hoc momenti, ut ostenderet se accusatorem esse maxime idoneum, quod sine eloquentiæ suæ laude non potuisset; dicendi tamen facultatem Cæcilio magis detraxit, quam arrogavit sibi, seque non consequutum dixit, sed omnia fecisse ut posset eam consequi (Divinat. 12) : se nihil dicere de suo ingenio (ibid. 11), quia non est quod possit dicere; neque, si esset, diceret. In dialogis vero (in Bruto, passim) ubi data occasione [datur autem non semel] de se loquitur, non sibi defuisse industriam ostendit, ut ad eloquentiam perveniret, sed tamen id se assequi non potuisse quod cupiebat. Nam quod objiciunt adversarii locum illum (Philipp. II, 1) ubi se cum Antonio comparat, et dicendi facultatem simpliciter sibi arrogat, in eo etiam reprehendendum eum esse non puto : non enim illud indecora eloquentiæ jactatio, sed fiducia est oratori nonnumquam concedenda. (Quintil. ubi supra.)

Dices : sin minus ingenii, et eloquentiæ suæ Tullius, at rerum a se gestarum ostentator magnificus, de consulatu suo et exstincta Catilinæ conjuratione intemperantius sane prædicat, quam necesse est pudori et modestiæ. Non dissimulo ea sæpissime revocari, quæ ad oppressos Catilinæ furores pertinent, et Ciceronem in laudando suo consulatu nimium, adde, si vis, intemperantem posse etiam videri. At de patria magis meritus erat, quam qui umquam maxime. Urbem ex Catilinæ *faucibus* eripuerat; ejus ignes a tectis domorum, gladios a cervicibus civium optimorum depulerat : tantum beneficium, et quo majus civibus a cive conferri nullum potest, dat sane prædicationi justam et legitimam excusationem, prope ut concedenda sit et

ignoscenda; et ut grata potius quam arrogans esse videatur. Aliam Fabius init viam purgandi arrogantiæ Ciceronis. Plerumque, inquit Quintil. ubi supra, Cicero de suis rebus gestis non sine aliqua ratione prædicavit. « Aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adjutoribus in opprimenda conjuratione; aut respondebat invidiæ : ut illorum quæ egerat in consulatu frequens commemoratio possit videri non gloriæ magis, quam defensioni data. »

His illud etiam accedit, quod quum nobilitati esset invisa omnis novorum hominum industria, cujus invadendæ locum quærere illa non desinebat, cogebatur Tullius, novus homo, de suis egregie factis sæpius prædicare, ut haberet quod opponeret imaginibus, consulatibus, et triumphis, quos non suos, sed majorum suorum, nobiles ostentabant. Haud aliam ob causam Marius apud Sallust. in Jug. cap. 83, de se magnifice prædicat, quo hominum « veteris prosapiæ », ut ait, « multarumque imaginum » superbiam retundat. Male igitur, quod in Mario, quia necessitate coactus fecit, non reprehenditur; id in Tullio, quasi sit levitatis crimen, non eadem necessitatis causa, coarguetur.

Crimina præterea sunt duo, quæ Ciceronis in ingenium etiam conferantur. In refellendo adversario, inquiunt, est mordacior : naturæ suæ facetiis indulgenti libentius obsequitur. Objicitur illi *canina* facundia, quod more canum remordeat lacessitus : in quo, et quia dixit in libris de Officiis, virum bonum eum esse qui prosit quibus possit, noceat nemini, « nisi lacessitus injuria », multis eum verbis Lactantius[1] insectatur, velut si in Cicerone pagano ferri non debeat, quod in homine christiano religio negat ferendum.

1. De vero Cultu, i. e. lib. VI, cap. 18.

Ciceronem in ea re vituperatum non iri affirmo ab eo, qui temporum quibus ille vixit [1], rationem habuerit; atque meminerit Solonem illum, atque alios homines sapientissimos existimavisse, civitatis illius optimum esse statum, in qua injuriarum auctorem, non solum qui passi essent injuriam, sed etiam qui passi non essent, ulciscerentur. Plura dicerem, nisi Ciceronem veterum dicta, sententiæ, leges, et mores satis excusarent.

Suavis est (de Orat. II, 54), et vehementer sæpe utilis jocus: multum in causa persæpe facetiis proficitur. Sed hujusce virtutis adipiscendæ quanta sit difficultas vel duo maximi oratores (Quintil. l.VI, c. 3), alter græcæ, alter latinæ eloquentiæ princeps, docent. Nam plerique Demostheni facultatem hujus rei defuisse credunt, Ciceroni modum. Is enim non solum extra judicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimius in risu; unde Cato illum appellavit «ridiculum consulem» in causa Murenæ; ab inimicis vero «scurra consularis» appellatus est. Ciceronis urbanitas in dictis et jocis, inquit Plutarchus (in Cicer. cap. 4), a principio quidem res judicialis et jucunda videbatur: sed ea quum ad satietatem usque abuteretur, multos offendit, et in eam venit opinionem, ut natura perversus esse crederetur. Hæc fuit de Ciceronis jocis opinio, sed illa quidem malivolorum, uti diximus, et inimicorum. Verum qui nihil habuerunt causæ cur mentirentur, ii Ciceronem ut jocandi peritissimum commendarunt. Observat Macrobius (Saturn. II, 1) duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum, et oratorem Tullium, etiam ad jocorum venustatem ceteris præstitisse. Quod ita esse Fabius (ubi

1. Sebast. Corr. quæsturæ, pag. 432.

supra) prorsus existimat. Hoc tantum vellet, ut, qui jocorum Ciceronis libros tres edidit, dictorum numero parcius indulsisset, Tiro, et plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuisset; Cicero, inquit, « minus objectus calumniantibus foret ». Vetus est malum, ut officiosa sedulitas amici mortui dum famæ prodesse vult, obsit. Ambitiosius enim, quam necesse est, conquirendo vel congerendo minutissima fragmenta quæ docti inchoata sæpe reliquerunt, eduntur libelli in quibus frustra eorum requiras manum, quorum nomen præ se ferunt. Eo plus judicii in sua Ciceronis jocorum collectione adhibere debuit Tiro, quod nescius non fuit, multos qui Ciceronis non essent, in Ciceronem collatos, et ejus dictos fuisse, ut nimirum ex tanto nomine insulsis quoque dictis accederet auctoritas: de qua re festive ipse queritur cum Volumnio, atque expostulat quod «parum diligenter possessio salinarum suarum ab eo procuratore defendatur». Ad Div. VII, epist. 31. Indulserit jocis aliquando sane Tullius plus quam satis est, quoniam ita fit, ut qui ceteris aliqua re præcellunt, ea sæpe ad aurium fastidium abutantur : at nihilominus confitendum est eum ad jocos et facetias aptum natura fuisse (Plut. in Cicer.): vultumque illius risum et serenitatem præ se tulisse; ita ut sic olim ad Antonium (in Epistolis ad Att. l. XIV) jure scribere potuerit: « Nihil umquam non modo acerbum in me fuit, sed ne paullo quidem tristius aut severius, quam necessitas reipublicæ postulavit». In illis autem ejus dicteriis artificiosum et argutum quid fuisse, quo a ceterorum dictis certissime distinguerentur : ita ut Cæsar (ad Div. IX, epist. 16) quum tritas aures haberet notandis generibus dicteriorum [etenim[1] volumina confecerat ἀποφθεγμάτων],

1. Sueton. in Jul. cap. 56.

si quod afferretur ad eum pro dicto Ciceronis, quod ejus non esset, rejicere soleret. Denique negari non potest jocos eum utiliter adhibuisse quum nocentissimos tueretur, et victoriam jocis adeptum fuisse : uti pro Cœlio; pro L. Flacco, « quem repetundarum reum joci opportunitate manifestissimis criminibus exemit». Macrob. Saturn. II, 1. Exstat pro Flacco oratio : jocus non exstat. Sed nihil est quod miremur. Aut enim ante, aut perorata causa, in altercando conjectus est; aut eum, quum hanc orationem recognosceret, rejecit. Non enim Tullius quales dixit, tales edidit suas orationes, et si persæpe domi meditatas in foro de scripto recitavit, tamen antequam eas in publicum emitteret, singulas retractavit sane diligenter; neque ipse solum, sed et Atticus limatissimi judicii vir, cui eas Tullius recognoscendas dabat. Itaque multa dicta sunt ab eo, quæ non comparent in his quas habemus orationibus : atque multa in his hodie leguntur, quæ in foro numquam pronuntiata sunt.

Jocos Ciceronis collectos habent nonnullos Quintilianus; Plutarchus in Ciceronis vita, et Macrobius Sat. II, 3. Sed hæc quanta pars eorum quos effudit homo in jocis uberrimus?

Dixi de moribus et de ingenio Ciceronis; et quam inepte in eis reprehendatur vir summus, demonstravi. Sequitur ut de scribendi ratione qua est usus, et de genere illius eloquentiæ, quam suis adversariis etiam non probavit, dicamus.

« Erat in Cicerone comitas summa; erat gravitas, et cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos »: nam sic in Bruto se describere sub Crassi persona, putatur : « Erat acumen in rebus inveniendis, ornatus in explicandis; peracre ingenium; vox canora et suavis; gestus excellens;

oratio elegans, incitata, volubilis »: sed quæ redundans, et circumfluens nonnullis esse videretur. Omnium vocibus celebratum est quod Ciceroni ob eam rem objecerunt vel æquales ejus, Calvus, et Brutus, ille Cæsaris percussor, Tullii amicus; *Solutum* eum esse et *enervem*; aut, ut ipsius Bruti verbis utar, « tamquam fractum et elumbem ». « M. Tullium, ait Fabius [1], suorum temporum homines incessere audebant ut tumidiorem et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium... et in compositione fractum, exsultantem, ac pæne, quod procul absit, viro molliorem ». Addit Quintilianus illum ipsum Tullium qui a sui temporis hominibus male audierat ob nimios flores, et ingenii affluentiam, eumdem ævo suo ipsius jejunum et aridum habitum fuisse. Adeo facile corrumpitur judicii salubritas illa quæ « est medium vitiorum et utrimque reductum ». Pergit Fabius: « Præcipue vero presserunt eum qui videri Atticorum imitatores concupierant ». Non ergo in genere Ciceronis fuit illud, quod ei objiciebatur orationis vitium, at in eorum opinione fuisse deprehenditur, qui Ciceronem damnabant, quasi tumidiorem et Asiani generis æmulum, quod ab eo genere dicendi recederet, quod ipsi sibi ex oratorum Atticorum imitatione effinxerant: quod genus unum optimum esse, quia videlicet ab Atticis oratoribus esset adhibitum, ipsi quum arbitrarentur, omne aliud dicendi genus, non uti vitiosum, sed quod non esset Atticum, fastidiose respuebant: quasi Attica oratio commendationem habere apud auditores sola debuisset. Exstiterunt enim Romæ tempore Ciceronis oratores quidam aridi, atque jejuni, qui se « Atticos, atque Atticorum

1. Lib. XII, cap. 10. Inter recentiores vide etiam nostrum Montanium, *Essais de Montaigne*, lib. II, cap. 10, pag. 146, edit. 1669, in-12.

imitatores» esse dicerent. Hi quum eloquentiam imbecillitate sua metirentur, et tantum laudarent, quantum se posse sperarent imitari; eloquentiam Ciceronis, non illam Lysiæ tenuem et exilem, ad cujus imitationem se totos conformaverant, sed grandem, uberibusque sententiis abundantem, tamquam copiosiorem, reprehenderunt. Quamvis autem genus illud Atticum in foro, causisque forensibus non posset consistere, erant nihilominus qui partes ejus tutarentur, quique hanc sectam rationemque dicendi defenderent. Istos significat Tullius his verbis (Tuscul. II, 1): «Si orationes nostræ in reprehensionem incurrerunt; si reperiebantur nonnulli qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent; quemque sperandi sibi, eumdem et bene dicendi finem proponerent; et quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, jejunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent, unde erat exortum genus Atticorum, iis ipsis qui id sequi se profitebantur, ignotum; qui jam conticuere, pæne ab ipso foro irrisi: quid futurum putamus, quum, etc.» Hic fons igitur et origo est calumniarum quibus Tullius a suis æqualibus sæpe est agitatus. Quum eloquentiam, quæ vera laus illius est, ita ductam ab humili perduxisset ad summum, ut jam ceteri qui vivebant oratores, eo se pervenire posse non arbitrarentur, ad malivolentiam conversi, obtrectatione invidiæ eum laceraverunt, cujus gravitatem in dicendo, vim, et copiam æquare desperarent. Atque deinde homines ignari quid oratio valeret, et quæ sit vera virtus eloquentiæ, in istorum auctoritate, et in hac tam frigida calumnia delituerunt. Istis eloquentiæ suæ vituperatoribus respondet Cicero ipse non argumentando, aut rationibus conquisitis de orationis

natura disputando, sed statuit[1] quid sit genus Atticorum, iis ipsis incognitum, qui se illius imitatores et dici et haberi volebant. Demonstrat eum solum Attice dicere, qui perfecte dixerit. Jejunitatem et siccitatem Lysiæ; tristitiam Thucydidis, dummodo sit urbanitas et elegantia; dulcedinem Xenophontis; suavitatem Isocratis, quos isti, alius alium, imitantur, in Attico genere ut partes quidem, non ut totum reponit. Denique veri Attici genus docet ab uno quærendum Demosthene, quo Athenæ ipsæ non fuerunt magis Atticæ. Oratorem illum cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, eminere inter omnes in omni genere orationis; ornatum esse et splendidum; sententiarum ornamentis conformationibusque, omnibus præstare; illum in tribus dicendi generibus peræque floruisse; eo nec graviorem exstitisse quemquam, nec subtiliorem, nec temperatiorem : unum esse maxime propositum ad imitandum iis, qui aut dici se desiderant Atticos; aut ipsi Attice volunt dicere. Monet laudum suarum obtrectatores, ut ex eo[2] « quid sit Atticum, discant; eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua metiantur ». Hoc est, ut ex Demosthene exemplum capiant, quanta efficere necesse sit eum qui princeps in dicendo esse vult : ac ne deinceps temere damnent quæ non intelligunt.

An hisce telis confossa malivolentia vivo Cicerone conquieverit, affirmare non ausim. « At[3] posteaquam triumvirali proscriptione consumptus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur; adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum invase-

1. De cl. Orat. cap. 82 et seqq. Orat. cap. 7 et seqq. Vide etiam Quintil. lib. XII, cap. 10.

2. Orat. cap. 7.

3. Quintil. ubi supra.

runt». Asinium Pollionem [1] passus est rivalem vivus et adversarium. Pollionis filius Asinius Gallus libros etiam in eum scripsit [2], «in quibus eloquentiam Ciceronis paterna eloquentia conatur obruere : et audet parenti de Cicerone dare palmam laudis oratoriæ». Claudius imperator (Suet. in Claud. cap. 41) adversus hos Galli libros condidit defensionem satis eruditam. Præterea memorat A. Gellius (lib. XVII, cap. 1) Largi cujusdam Licinii librum inscriptum hoc titulo, *Ciceromastix*. Sunt etiam alii [3] multi, quorum iniquiora de se judicia et reprehensiones effugere Tullius non potuit. De quorum omnium judicio quid sentiendum sit magnifice declarat A. Gellius, ubi supra : « Ut quidam, inquit, fuerunt monstra hominum qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt; ita nonnulli tam prodigiosi, tamque vecordes exstiterunt, ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre, atque improprie, atque inconsiderate loquutum. Atque alia quidem quæ reprehenderunt, neque dictu, neque auditu digna sunt, sed enim, etc. » Sic, dum viles de ludo declamatores, quos tenebat veræ eloquentiæ miserabilis ignoratio, famam sibi ex Ciceronis infamia ibant comparatum; interea sanæ mentis homines, doctrina, atque omnium artium optimarum studiis eruditi, uterque Plinius; M. Seneca, L. philosophi pater; Fabius; Gellius; et quotquot Roma habuit

1. Hic est Asinius Pollio bonis omnibus ævi sui scriptoribus infestus : qui C. Sallustii scripta reprehendebat, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita : qui in T. Livio miræ facundiæ viro *Patavinitatem* quamdam notabat. Is Verrem Ciceronis reum fortissime morientem tradidit : et Ciceronis mortem solus ex omnibus maligne narrat; ita ut ejus invidia vel supremo illius fine domita non fuerit.

2. Plin. lib. VII, epist. 4.

3. Vid. Ammian. Marcell. XXII. Senec. in Suas. et Controv. Quintil.

literis doctrinisque perpolitos, ab ignotissimorum hominum calumniis nobilissimum oratorem auctoritate sua vindicabant: dum istos M. Tullius, oratoris filius, non argumentis, sed flagellis refutabat; et parenti suo de illius obtrectatorum « corio [1] satisfaciebat ».

Sed omissis et Largis et Cestiis, venio ad celeberrimum, dum viveret, romani fori ingenium; et Ciceronis eloquentiæ castigatorem gravissimum, M. Aprum. Is ea Ciceroni objicit, quæ si vera sint, nemo erit qui eum oratoris nomine jam appellari velit. « Lentus est, inquit, in principiis; longus in narrationibus; otiosus circa excessus: tarde commovetur; raro incalescit; pauci sensus optime, et cum quodam lumine terminantur: nihil excerpere, nihil referre possis. » Vid. Dial. de Orat. cap. 22.

Jam primum omnium satis constat, quo tempore vixit Aper, eloquentiam de sua dignitate multum deperdidisse. Senserat Cicero, eam, quum venisset ad summum, « jam senescere ». Tuscul. Disput. lib. II, cap. 5. At quum omnia in unius fuerunt potestate, rerum conversionem scribendi ratio est subsequuta. Ciceroniana dicendi ratio communi quodam in usu atque hominum more versari desiit. Ornamenta [2] recta et sincera quæ ante bella probabantur, postea non satis idonea esse visa sunt. Orationis copiosæ et elegantis ornatus repudiari cœperunt: forma ipsa, concinnitasque verborum et sententiarum laudata est, non ea quæ sponte se offert, sed quæ studiose conquiritur. Nihil placuit nisi argute dictum, callide excogitatum; nil sine pigmentis, nihil sine fuco puerili:

1. Quod de Cestio tradit Sen. Suas. VII.

2. Cl. abbas *Gedoyn, Préf. de sa trad. de Quintil.* Fabius, IX, 5. Petron. 1. Hieronym. epist. ad Pamm. et Nepotem.

lumina et flosculi sententiarum sine modo structi in clausulis clamores et admirationes, velut olim in bonis oratoribus verus orationis ornatus, effecerunt. Tantum eloquentia descivit a vetere gloria! Primi omnium eam perdiderunt declamatores, novum genus oratorum, qui Ciceronis ætate quum exstitissent, levibus atque inanibus sonis ludibria quædam excitando, fecerunt ut corpus orationis enervaretur et caderet. Per eos a naturali pulchritudine traducta est ratio dicendi ad conquisita ornamenta; ad ventosam et enormem loquacitatem; ad rerum tumorem et sententiarum vanissimum strepitum. Lumina verborum, argutiæ, antitheta, turgidæ figuræ, in clausulis sententiolæ, per eos frequentari, seu potius sine judicio accumulari cœperunt. At ubi L. Seneca cœpit in foro causisque versari, eloquentia demum periit. Multæ Senecæ (Quintil. X, 1) et magnæ virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum; plurimum studii; multarum rerum cognitio. Nam et orationes ejus, et poemata, et epistolæ, et dialogi feruntur. Egregius vitiorum insectator fuit: multæ in eo claræque sententiæ. Sed has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant. Nulla erat in eo vis oratoria; nullum judicium, in ejus mente nulla insidebat species veræ germanæque eloquentiæ. Genus dicendi fractum, concisum, mutilum, hians: nulla verborum electio, collocatio; nulla comprehensio numerose et apte cadens: aspera, tristis, horrida oratio, neque perfecta, neque conclusa: « Commissiones meræ, calx sine arena ». Suet. in Cal. c. 53. De Sen. vid. A. Gell. XII, 2. Talis, seu potius, sic nulla fuit romana eloquentia, quum in Ciceronis scripta censuram Aper exercuit: amabatur Seneca; solus fere erat adolescentium in manibus; placebat propter sola vitia, quibus eo magis perniciosis abun-

dabat, quod essent dulcia; et ad ea se quisque dirigeret effingenda, quæ poterat: veteres autem et potiores respuebantur scriptores, quos ille non destiterat incessere, quum diversi sibi conscius generis, desperatione formidaret hoc eorum genus, et placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Istam Senecæ, imo, sui temporis eloquentiam miratus Aper, Ciceronianum dicendi genus elevat, quod in hoc nimirum, uti in Seneca aut Plinio, crebræ non emineant sententiæ; quod acute dicta non intermissis acuminibus legentis animum non percellant; quod omni diligentia munditiam orationis affluentem non affectet; quod epigrammatum acumen in clausulis non referat. Hæc enim in eo requirere videtur Aper, quum ait, « Pauci sensus optime et cum quodam lumine terminantur : nihil excerpere, nihil referre possis ». At genus istud proprium sit sophistarum; pompæ quam pugnæ aptius; gymnasiis et palæstræ dicatum; spretum et pulsum foro; non tam insigne ad maximam laudem, quam ad aurium voluptatem accommodatum. Egregia laus sane fuisset Ciceronis, si, quum pro S. Roscio contra Chrysogonum; pro Siculis contra Verrem; pro patria contra Catilinam diceret, tot nefariorum hominum crimina *rasis*[1], uti Persius ille, « librasset in antithetis », et « doctus posuisse figuras » laudaretur, quum in aciem dimicationemque veniendum fuisset! Quam sceleratis hominibus fecissent invidiam sententiolæ? Non referebat ex illis orationibus argutiolas auditor, sed Siculorum miseriis, patriæ periculis commotus, judiciali asperitate, forensiumque sententiarum aculeis excitatus e foro discedebat plenus indignationis, aut in C. Verrem, aut in Catili-

1. Pers. Sat. 1, vs. 85, et ibi Casaub.

nam, et iracundiæ. Neque tamen quoniam in tribus dicendi generibus peræque floruit, ab hoc incitato et volubili, ad dulce orationis genus, sententiis argutum, verbis sonans, non deflexit aliquando Tullius. Testes pro Pompeio, pro Archia, pro Marcello, etc. orationes. Sed solam hujus generis virtutem in sententiis positam, ut isti, non putavit; neque voluit ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis aurem feriret: quippe qui sic habuit, « Composite et apte sine sententiis dicere, insaniam esse; sententiose autem, sine verborum et ordine et modo, infantiam ». Vid. Orat. cap. 71.

Cicero, inquit Aper, « lentus est in principiis », id est, in exordiis.

Exordium triplex vulgo distinguitur : Principium, insinuatio, et illud quod est ex abrupto. Hisce exordiis utitur Cicero pro ratione causarum quas habet tractandas. Nunc rem statim aggreditur, atque orationem quasi impetu orditur, verbi gratia, per apostrophen, uti Catilin. I : « Quousque tandem, etc. » In ejusmodi exordia non sane cadit Apri reprehensio. Illa ergo respicit quæ *principia* dicuntur, et quæ fiunt per insinuationem. In utrisque quia præparatur auditoris animus, efficiendo ut sit benivolus, ut attentus; ut docilis; non inficiamur ad ea Ciceronem considerate et quasi pedetentim ingredi. Nam si revocandus sit judex, qui aut nobis inimicus, aut adversario erit amicus; si miseratione inclinandus; si causam docendus; quæ partes sunt exordii, anne statim assiliendum erit ad vehemens et acre dicendi genus? Anne his initiis in animum judicis admittetur orator? Nonne potius talem oderit oratorem judex, statim adhibentem has dicendi faces, et ab ipso introitu repente, quasi æstu ingenii sui abreptum, tragœdias excitan-

tem? Sit cursus in oratione incitatior, sed modesta et moderata sit ingressio. Prodat se in contentione eloquentia, sed occultetur in exordio; nec in principiis, nisi ab Apro, et ab ejus æqualibus, jactetur. Vid. Quintil. IV, 1.

Venio nunc ad narrationes, in quibus *longus* Apro videtur esse *Tullius*. Quoniam non unius generis fuerunt causæ, quas ad se delatas recepit, in eis fuisse nonnullas, quæ essent ejusmodi ut longiorem narrationem requirerent, verisimile est. Tot legum, tot edictorum, tot rationum, qualia sunt in orationibus pro Cæcina, pro Cluentio, libro tertio in Verrem, et quæ singulatim expendenda erant, prolixa enumeratio non poterat breviter expediri. Longa sunt, quia singula sunt diligenter explicanda. Longa sunt, aut videntur, quia nuda sunt, et ornari negant. Verum ista minime debent in Ciceronem transferri: propria sunt causæ, de qua pendet qui eam recipit, orator. Illa si respuit oratoria ornamenta dicendi, hoc sat erit oratorem eam explicuisse accurate et dilucide: in quo Cicero neutiquam sane est reprehendendus. At ubi nullis jam conclusa formularum captionibus oratio potest longius evagari, quanta sententiarum gravitate! quanto verborum pondere! quanta rerum copia se explicat in Verrinis postremis duabus; in orationibus pro Sextio, pro Milone; Philippica secunda! Quem, nisi sensus communis plane expertem, defixum non ita detineat narrationis nativa jucunditas, ut eam vel breviorem esse non queratur? Longa enim appellanda non est narratio in qua non plus verborum est quam necesse sit. Ea est oratoria ratio constans et perpetua Ciceronis. Rem narrat verbis quam potest lectissimis et gravissimis, quo judicem doceat: mox, ut aut odium adversario conficiatur, aut judex

miseratione moveatur, omnes motus excitat aut indignationis, aut misericordiæ. In quo si tantisper immoratur, quis est, qui, quod summæ artis est, velit reprehendere? Quod autem contendit Aper Ciceronem « tarde commoveri, raro incalescere » : aut dicat omnia in oratione, vel ipsas etiam narrationes, quibus nihil potest esse sedatius, vehementi impetu, et maximis clamoribus esse peragendas; aut Ciceronem fateatur ea, qua decet, incitatione ferri : imo sæpe sic hujus evolare orationem, ut vim et impetum adspicias, vestigia ingressumque non videas.

Exposui quas subiit olim Cicero vituperationes; quibus alii [1] jam antea responderunt. Et a me hic ita responsum puto, ut qui ei opponuntur reprehensores, ipsi justa reprehensione aut invidiæ, aut ignorantiæ, aut imprudentiæ carere non posse videantur. Illud autem censorii styli mucronem illum pulcherrime retundit, quod nemo fere umquam fuerit, quin scripta Ciceronis habuerit, quin legerit, quin suspexerit, pæne dicam, veneratus fuerit, ut exemplum, sin minus perfectissimæ omnino, atque numeris omnibus absolutæ, at sane illius quæ minus a perfectissima recedat, eloquentiæ. In ea nonnihil fuisse vitiorum docti judicaverunt, et ipse etiam, alioquin minime sui contemptor, confessus est. Verum in his quanta pars erit? Ad legem veritatis loqui si velis, Ciceronis vitia quotquot sunt in unum si conferantur, vix millesimam ejus virtutem adæquatura esse fateberis. Hunc igitur amemus : hunc spectemus : hoc propositum nobis sit exemplum : non ea tamen religione dicam, an superstitione, quæ altero ab hoc sæculo

1. Ciceronem a calumniis vindicavit peculiari libello Andr. Schottus. Aprum refutavit Anonymus in Memor. Trivult. anni 1718, Mart. pag. 552.

fusa per gentem literatam omnium fere animos occupavit. Exstiterunt homines illis temporibus, quum literæ feliciter cœperunt renasci, qui orbi veluti novam sectam molirentur invehere, et *Ciceronianos* sese vocarent, omnium scripta rejicientes, quæ Ciceronis lineamenta non referrent; quique adolescentes a ceterorum scriptorum lectione deterritos, ad unius Ciceronis imitationem revocarent. Huic ineptiæ viri, qui tunc erant, sapientes adversati sunt : in primis Erasmus, cujus dialogus est *Ciceronianus*, ad id ab eo scriptus, ut doceret bonos scriptores alios, præter M. Tullium, et legendos esse, et imitandos : quod ob meritum maledictis de trivio arreptis eum Julius Cæsar ille Scaliger oneravit[1]. Quo quid dici aut fingi potest insanius? Nos vero Ciceronem imitemur, sed ita ut ab aliorum auctorum bene latinorum imitatione non recedamus. Hos cum illo copulemus. Eos juvenum ad optima tendentium æmuletur, ac sequatur industria. Verum Ciceronis æmulatio non debet in sola verborum proprietate concludi. Etenim quis fructus laboris, mutuatam a Cicerone unam et alteram jactare clausulam? Quid proderit flumen gravissimorum et optimorum verborum ab ipso Tullio defluens, si orationis est siccitas? Effingendæ sunt quas extulit Tullius virtutes. Exprimenda sunt illius non verba solum, sed repræsentandum est ingenium : non quomodo pictura primas rerum imagines, oris lineamenta et colores exhibet; sed sicuti refert patrem, in cujus jura et bona venit, filius.

1. Istas Scaligeri orationes, quæ, conquisitis exemplaribus et suppressis, minus erant obviæ, Tolosæ, anno 1621, Maussacus recudendas curavit, cum Erasmi *Ciceroniano*, ut lector intueri simul posset et scelus, et pœnam sceleri irrogatam : atque una intelligeret quo judicio nonnulli interdum versentur in iis studiis quæ ab humanitate sibi nomen adsciverunt.

Quod ad me attinet, quidquid in me opis fuit, quidquid industria efficere, quidquid intelligentia consequi potui, id omne illuc contuli. Quod si ut meo illorum adjuvetur labor, quam potui maximam adhibui diligentiam, hanc meam operam apud se interire ne patiantur. Sinant hujus ad se utilitatem pervenire. Aut me amor suscepti negotii fallit, aut paucæ jam illis per Ciceronis orationes decurrentibus officient salebræ: plana, aperta, dilucida, ut essent omnia; ut nullæ superessent difficultatum offensiones; præter eas quas habet aliquot locorum depravatio, si non omnino perfecimus, at sane conati quidem sumus.

M. TULLII CICERONIS
PRO P. QUINTIO
ORATIO

ARGUMENTUM.

C. Quintius, cui multa erant in Gallia vel propria, vel locata pascua, cum Sex. Nævio, olim præcone, societatem earum rerum fecit. Quæ societas quum annos jam complures esset, et sæpe Quintius Nævium suspectum habuisset, moritur repentino Quintius, herede instituto fratre P. Quintio, qui Romæ commorabatur. Is nec ita multo post (A. U. C. 669) in Galliam proficiscitur; ibi annum fere cum Nævio familiariter vivit; et quum inter se multa de societate communicarent, numquam tamen Nævius monuit, aut societatem sibi quidquam debere, aut privatim C. Quintium debuisse. Imo quum a P. Quintio aliquantum æris alieni Romæ esset relictum, Sex. Nævius pecuniam ei offert, quam ut communem existimet, hortatur pro veteri cum ejus fratre Caio societate ac ipsius affinitate: nam P. Quintii consobrinam habebat in matrimonio Nævius, et ex ea liberos. Quintius igitur auxilio Nævii fretus Romam redit, creditoribus se certo die soluturum promittit; Nævium certiorem facit, rogat ut sibi curet quod dixisset. Tum ille assem se negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis decidisset. Destitutione illa perculsus Quintius, non sine pecuniæ jactura, bona quædam in Gallia vendit, creditoribus dissolvit; ultroque Nævium appellat, ut si quid esset controversiæ per arbitros transigeret. Dat iste amicum Trebellium: Quintius communem necessarium, suumque propinquum Sex. Alphenum. Sed quum res per arbitros propter Nævii avaritiam convenire non posset, res esse in vadimonio cœpit, i. e. alter alterum in jus vocavit, et mutuo certo die se præsto futuros promiserunt. Tunc vero Nævius ait se auctionatum in Gallia, curasse ne quid sibi jam societas deberet: P. Quintius, acta omnia ratus, in Galliam proficiscitur; quem ubi profectum audit Nævius, amicos convocat, testificatur a Quintio desertum vadimonium, et a Burrhieno prætore postulat, ut ex edicto bona ejus possidere liceat. Nam qui vadimonium destituissent, infames erant, et in eorum bona creditores ex edicto prætoris mittebantur; eaque si per dies xxx possessa essent, eis addicebantur. Nævius igitur Quintii

bona proscribit, et antequam jussisset prætor, Quintium e communibus in Gallia bonis ejici curat.

Tunc vero proscriptionis libellos Sex. Alphenus dejicit, se Quintii procuratorem denuntiat, et judicio defensurum. Nævius interea postulat, ut procurator judicatum solvi satisdet, i. e. locupletes det fidejussores, qui suo periculo præstent tantum solutum iri, quantum, judicio facto, solvi oporteret, si Quintius damnaretur. Cogebantur autem satisdare, qui vadimonium deseruerant, si litem instaurare vellent, partim ne rursus impune fallerent, partim quia creditores suspicari poterant eos solvendo non esse, quum eorum bona ex edicto prætoris possiderentur. Negat Alphenus æquum esse, procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset, sc. quia nec vadimonium deseruerat, nec bona ejus ex edicto a Nævio possideri jure poterant. Appellantur tribuni: petitur, ut adversus edictum Burrhieni intercedant; et idib. sept. P. Quintium sisti Sex. Alphenus promittit.

Venit Romam Quintius, vadimonium sistit: Nævius annum et sex menses nihil petit, quiescit. A Cn. Dolabella denique prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet ex formula, *quod ab eo petat, cujus ex edicto prætoris bona dies* XXX *possessa sunt.* Prætor adversus æquitatem ac morem jubet P. Quintium, aut satisdare, aut sponsionem cum Nævio facere, *si bona sua ex edicto P. Burrhieni prætoris dies* XXX *possessa non essent*, i. e. certa pecunia cum provocare, ut nullam fuisse bonorum suorum possessionem ostenderet, qua ratione ipse ut petitor priore loco causam dicere cogebatur. Clamabat porro Quintius sese idcirco nolle satisdare, ne videretur bona sua judicasse ex edicto possessa; quod si concederet, vadimonium a se desertum fateretur, et bonam existimationem perderet; sponsionem vero si istiusmodi faceret, se de causa, in qua, præter fortunas, fama sua et summa existimatio periclitaretur, priore loco dicturum; quæ conditio sane erat iniqua. Quintius tandem ex duabus conditionibus alteram eligit, ut sponsionem illam faciat; judex datur C. Aquillius Gallus, juris civilis scientia clarissimus, et postea Tullii in prætura collega, qui tres jurisconsultos, M. Marcellum, P. Quintilium, L. Lucullum, in consilium sibi advocat. Quum igitur pro Quintio sæpius jam

M. Junius dixisset, legatione autem impeditus esset quominus peroraret; Cicero rogatus a Quintii amicis, in primis a Q. Roscio comœdo, causam ejus suscepit, habuitque hanc orationem in comitio (qui locus erat in foro, ubi privata judicia, sive judicia de controversiis subortis inter privatos, exercebantur), M. Tullio Decula, Cn. Cornelio Dolabella coss. anno 672, Sullanæ dictaturæ primo, Ciceronis vigesimo sexto.

Multa erant in hac causa quæ Quintii patronum deterrerent; nempe Nævii gratia, qui, malis ditatus artibus, Marianarum olim, nunc vero Sullanarum partium fautor, nobiles plerosque advocatos habebat; tum prætorum favor, qui jam Quintium damnaverant, tum maxime Hortensii eloquentia, quem nondum a *fori regno* Cicero dejecerat. Non vero dubitavit noster aperte in Nævium invehi, prætorum Burrhieni ac Dolabellæ injurias queri, ita ut non fortitudinis minus in hac concione quam eloquentiæ nobilissimum specimen ediderit.

Eventus fuit felix. Liberato Quintio, tulit Cicero eloquentiæ suæ fructum, ut scribit A. Gellius, XV, 28.

SYNOPSIS.

Quæstio est in genere judiciali : an Sex. Nævius possederit bona P. Quintii ex edicto prætoris.

Partes orationis quinque sunt : Exordium, 1, 2. Narratio, 3-9. Partitio, 10. Contentio, 11-29. Peroratio, 30, 31.

In Exordio Cicero fatetur se in hac causa partim eloquentiam Q. Hortensii, qui Nævium defendebat, vereri, partim ipsius Nævii opes, apud multos nobiles Sullanarum partium gratiosi, extimescere. Inde M. Junii absentiam, prætoris iniquitatem queritur, qui reum priori loco loqui jusserit; rogatque C. Aquillium, eosque qui ei in consilio aderant, ut Quintii solitudini atque inopiæ contra vim et gratiam adversarii succurrant, 1, 2. Sic ab Exordio jacit orator prima affectuum semina, in Quintium commiserationis, et odii in Nævium, ceterosque adversarios.

Sequitur Narratio, quæ quasi in duas partes distribuitur : 1° In quamdam præparationem, qua orator anteactam Nævii vitam refert, quod ejus ingenium, quam multiplex et tortuosum, etc. 3, 4. 2° In facti narrationem, nempe quo modo dissimulatam perfidiam indicans, Quintium Nævius insidiis circumvenerit, 5-9. Quam concludit brevi invidiæ affectu in adversarios, qui eloquentia et potentia ad injuriam abutuntur, 9.

Tum accedit auctor ad Partitionem, 10. Denuntiatque se ostensurum :

1° Causam non fuisse, cur Nævius a prætore postularet, ut bona P. Quintii possideret.

2° Ex edicto illum ea bona possidere non potuisse.

3° Non possedisse.

In Contentionis igitur prima parte probatur causam non fuisse, cur Nævius postularet, 1° Ipsius Nævii testimonio, qui, quum tempus et locum habuerit appellandi Quintii de pecunia, quum ferveat avaritia, etc. biennio tamen debitum nullum petiit, 11, 12. 2° Ejusdem Nævii confessione, qui sæpe revocatus ad judicium de re pecuniaria, conditiones æquissimas repudiavit, atque aperte confessus est nihil sibi a Quintio deberi, 13. 3° Nuda et simplici temporis discussione. Quintius Romæ non fuit quo die vadimonium factum dicit Nævius. 4° Officii ratione. Etiamsi Quintius vadimonium deseruisset, non continuo debuit Nævius bona socii, amici, affinis proscribere: quæ proscriptio acerbissima est omnium calamitatum, 14-18. Hunc locum exornat vehemens et pathetica amplificatio.

In secunda parte ostenditur, ex edicto prætoris bona P. Quintii possideri nullo modo potuisse; quod probatur ex ipsis edicti verbis, 19-27. 1° Non enim *latitasse* Quintium, neque *absentem judicio non defensum fuisse*, quippe quum Alphenus, ejus procurator, libellos Nævii dejecerit, vadimonium promiserit, 19, 20, 21. 2° Non dici posse Nævio parem certationem cum Alpheno Marii fautore non fuisse, quod tunc Mariani dominarentur; quum ipse Nævius istis etiam faveret, et ad victorem tantum Sullam transfugerit, 22. 3° Si Nævius ex edicto bona Quintii possedisset, quærit cur bona non venierint, cur ceteri creditores non convenerint, 23. 4° Additur Narratio, qua docetur Nævium jam, antequam postulasset, ut bona Quintii possideret, illum de suo fundo per vim ejiciendum curasse, quod est contra prætoris edictum, 24-27.

Tertium erat, ut demonstraretur Nævium bona Quintii ne possedisse quidem. Verum totus hic locus intercidit una cum initio conclusionis, in qua superius dicta summatim enumerantur, 28, 29.

Denique in Peroratione judicis misericordiam maxime commovet a persona Quintii, senis et inopis, et ab ejusdem innocentissima vita; ab adversarii persona, viri potentis, voluptarii et iniqui; rogaturque judex, ut quum veritas cum Quintio pugnet, plus ejus inopia ad misericordiam quam Nævii opes ad crudelitatem valeant, et ut quam existimationem, quam honestatem in judicium attulerit, eam liceat ei secum ex hoc judicio efferre, 30, 31.

Dicendi character subtilis est; persæpe tamen figuris et amplificationibus, et quasi juvanili Ciceronis ubertate luxuriat.

M. T. CICERONIS

ORATIONES.

PRO P. QUINTIO ORATIO.

ORATIO PRIMA.

I. Quæ res[1] in civitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt[2] in hoc tempore, summa gratia, et eloquentia: quarum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram metuo[3]. Eloquentia Q. Hortensii ne me in[4] dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Nævii ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco. Neque hoc tantopere querendum videretur, hæc summa in illis esse, si in nobis essent saltem mediocria. Verum ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis, et ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer[5]; P. Quintius, cui tenues

I. 1. *Quæ res.* Illud respicere exordium videtur Quintilian. VI, 1. Quum autem sæpius ab ineptis olim in Gallico foro causidicis usurparetur hæc a contrario comparandæ benivolentiæ ratio, et ipse clarissimus *Patru* sic pistrinariam causam esset exorsus, non absurde eam naso suspendit Racinius noster, in fabula dicta *les Plaideurs*, act. III, sc. 3.

2. *Faciunt*, i. e. pugnant. Sic inf. c. 30, et Horat. Ep. II, 1, 68.

3. *Metuo.* Quadam Hortensii eloquentiæ verecundia movetur Tullius; gratiam vero S. Nævii timet ac formidat.

4. Vulgo abest *in*. Restituit e codd. Grævius. J. V. L.

5. *Comparer.* Metaphora sumpta a gladiatoribus, qui par cum pari, ba-

opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum[6] copiæ sunt, cum adversario gratiosissimo contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Junius, qui hanc causam, Aquilli, aliquoties apud te egit, homo et in aliis causis exercitatus, et in hac multum et sæpe versatus, hoc tempore abest, nova legatione[7] impeditus; et ad me ventum est, qui, ut summa[8] haberem cetera, temporis quidem certe vix satis habui, ut rem tantam, tot controversiis implicatam, possem cognoscere. Ita, quod mihi consuevit in ceteris causis esse adjumento, id quoque in hac causa deficit. Nam, quo[9] minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi: quæ quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest. Quæ quo plura sunt, C. Aquilli, eo te, et hos, qui tibi in consilio[10] adsunt, meliori mente nostra verba audire oportebit, ut multis incommodis veritas debilitata tandem æquitate talium virorum recreetur. Quod si tu judex nullo[11] præsidio fuisse videbere, contra vim et gratiam, solitudini atque inopiæ; si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur; profecto nihil est jam sanctum atque sincerum in civitate; nihil, quod humilitatem

bita utriusque virium ratione, componuntur. Hinc duo, tria, centum paria gladiatorum.

6. *Amicorum.* Mos erat, ut in judiciis actor et reus amicos omnes advocarent, quorum auctoritate judices commoverentur. Illi qui præsentiam tantum commodabant, *advocati*, i. e. ad causam vocati; qui loquebantur, *patroni* appellabantur.

7. *Nova legatione.* Quæ fuerit hæc inexspectata legatio, non liquet. Dabatur enim publica, ad comitandum proconsulem; aut privata, hereditatis obeundæ, aut aliorum negotiorum causa.

8. *Ut summa.* Si summam haberem eloquentiam et summum usum.

9. Schütz, auctore Lambino, rescripsit *quod*, male. J. V. L.

10. *In consilio.* Assessores scilicet, L. Lucullus, P. Quintilius, M. Marcellus (ut est infra 17), quos Aquillius, judex a prætore datus, jurisconsultos elegerat; et illi quidem consuli, non vero deliberare poterant. Vid. ad calc. hujus volum. Append. de ord. exerc. jud.

11. *Nullo.* Non restitisse Nævii potentiæ. *Nullo* pro nulli, ut apud Plaut. et Ter.

cujusquam gravitas et virtus judicis consoletur. Certe aut apud te, et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit; aut ex hoc loco repulsa vi et gratia, locum, ubi consistat, reperire non poterit.

II. Non eo dico [1], C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia, aut quo non in his, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam habere P. Quintius debeat. Quid ergo est? Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod uno judicio de fortunis [2] omnibus decernit: idque dum cogitat, non minus sæpe ei venit in mentem potestatis [3], quam æquitatis tuæ; propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is, cujus in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere. Deinde habet adversarium P. Quintius verbo Sex. Nævium; re vera, hujusce ætatis homines disertissimos [4], fortissimos, ornatissimos nostræ civitatis, qui communi studio, summis opibus Sex. Nævium defendunt: si id est defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo judicio [5] opprimere possit. Nam quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam fortunasque defendam, priore loco [6] causam dicere? quum præsertim Q. Hortensius, qui hoc judi-

II. 1. MS Falkenburg. « Neque hoc eo dico », elegantius. J. V. L. Sic ap. Terent. « Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim ». — Correctio superiorum, qua vitat offensionem judicis, quem ita modo laudavit, ut ei diffidere videretur.

2. *Fortunis.* Non solum de bonis universis, sed etiam de clientis capite, i. e. vita civili, fama et statu; ut ipse paullo inferius ait orator.

3. *Potestatis.* Subaudi *recordatio.* Quæ sæpius usurpatur ellipsis.

4. Q. Hortensium scil. ac L. Philippum. De quo Horat. lib. I, epist. 7, vs. 46. *Fortissimi* dicuntur quod clientes suos magna constantia defendunt. Sic orat. pro Mil. 8, « fortiter judicare ».

5. *Iniquo judicio.* Inique constituto: hoc enim ad prætorem Burrhienum pertinet, non ad hoc Aquillii judicium.

6. *Priore loco.* Vid. Argum.

cio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus; cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adversarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, quum et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit; et, si qua in re, id quod parati sunt facere, falsum crimen, quasi[7] venenatum aliquod telum, jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit prætoris iniquitate[8] et injuria: primum quod, contra omnium consuetudinem, judicium prius de probro[9], quam de re, maluit fieri; deinde, quod ita constituit id ipsum judicium, ut reus, antequam verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur; quod eorum gratia et potentia factum est, qui, quasi sua res, aut honos agatur, ita diligenter Sex. Nævii studio et cupiditati morem gerunt, et in ejusmodi rebus opes suas experiuntur, in quibus, quo plus propter virtutem nobilitatemque possunt, eo minus, quantum possint, debent ostendere. Quum tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem[10], misericordiam P. Quintius confugerit; quum adhuc ei, propter vim adversariorum, non jus par[11], non agendi potestas eadem, non magistratus[12] æquus reperiri potuerit; quum ei, summam per inju-

7. Tria hæc verba, ut spuria, delevit Lambinus. J. V. L.

8. *Iniquitate*. Miranda non semel occurrit oratoris libera indignatio, qui non in magistratuum injuriam invehi dubitat, dummodo officio ac fidei inserviat.

9. *De probro*. Quæri enim voluit prætor, prius an desertum fuerit a Quintio vadimonium (vadimonii autem desertoribus infamiæ pœna erat constituta), et possessa ne sint ejus bona ex edicto. *Quam de re*, i. e. de pecunia quam sibi Nævius a Quintio deberi dicebat. Vid. inf. cap. 8.

10. *Veritatem*. Æquitatem. Vid. Longol. ad Plin. Epist. VIII, 2.

11. *Jus par*. Non æqua disceptandi juris conditio.

12. *Magistratus*. Prætor Burrhienus, qui Quintium prior damnavit; et Dolabella, qui damnatum iterum velit.

riam, omnia inimica atque infesta fuerint: te, C. Aquilli, vosque, qui in consilio adestis, orat atque obsecrat, ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini.

III. Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio, res quemadmodum gesta et contracta sit, cognoscatis. C. Quintius fuit P. Quintii hujus frater; sane ceterarum rerum[1] paterfamilias et prudens et attentus, una in re paullo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Nævio fecerit, viro bono, verumtamen non ita instituto, ut jura societatis et officia certi[2] patrisfamilias nosse posset: non quo[3] ei deesset ingenium; nam neque parum facetus scurra Sex. Nævius, neque inhumanus[4] præco[5] est umquam existimatus. Quid ergo est? quum ei natura nihil melius quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, vocem in quæstum contulit; libertate usus est, quo impunius dicax esset. Quare quod socium tibi eum velles adjungere, nihil erat, nisi ut in tua pecunia[6] condisceret, qui pecuniæ fructus esset. Tamen inductus consuetudine ac familiaritate Quintius fecit, ut dixi, societatem earum rerum, quæ in Gallia comparabantur. Erat ei pecuaria res[7] ampla, et rustica sane

III. 1. *Ceterarum rerum.* Subaud. *in negotio.* Sic in Cat. Maj. « Sæpenumero admirari soleo, quum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, sapientiam, tum vel maxime, etc. » Et multo post : « quum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est, etc. » Sic Græci : τῶν ἄλλων πραγμάτων.

2. *Certi.* Sincera fide, cui fidere possis. Sic Verr. II : « homine certissimo ». Sic : « amicus certus in re incerta cernitur ».

3. *Non quo.* Occupatio, qua dum laudare velle Nævium videtur, pungit acriter.

4. *Inhumanus.* Insuavis, injucundus. Vid. pro Planc. 14. Brut. 46.

5. *Præco.* Servi olim erant publici præcones; quorum minime liberalis habebatur quæstus. Notum illud Martialis, lib. V, epigr. 56, 10 : « Si duri puer ingeni videtur, Præconem facito ».

6. *In tua pecunia.* In aliena. Hoc enim ad quemvis generatim refertur. Pecuniæ vero fructus est lucrum quo familiaris res augetur.

7. *Pecuaria res.* Plurima posside-

bene culta et fructuosa. Tollitur ab atriis Liciniis[8], atque a præconum consessu in Galliam Nævius, et trans Alpes usque transfertur. Fit magna mutatio loci, non ingenii. Nam, qui ab adolescentulo quæstum sibi instituisset sine impendio, posteaquam nescio quid impendit, et in commune contulit, mediocri quæstu contentus esse non poterat. Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce[9] quæsierat, magno sibi quæstui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat: qua in re ita diligens[10] erat, quasi ii, qui magna fide societatem gererent, arbitrium[11] pro socio condemnari solerent. Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me P. Quintius cupit commemorare: tametsi causa postulat, tamen, quia postulat[12], non flagitat, præteribo.

bant privati apud Romanos per Italiam et provincias pascua, aut coempta, vendentibus quæstoribus(Liv. XXVIII, 46); aut a publicanis locata, in quæ greges et armenta immittebant. Inde maximum ad remp. redibat vectigal, *scripturæ* nomine. Vid. Verr. II, 70. Font. 1, 2. Ad Attic. II, 15.

8. *Atriis Liciniis. Atrium* est area ante ædem porticibus et columnis cincta. *Licinia* vero *atria* erant in Palatio monte, ante domum Licinii Crassi, quam postea emit Cicero. Huc conveniebant præcones auctionem facturi. Ceterum multa erant hujus modi Romæ *atria*, et circa forum et apud privatos; docetque Vitruvius, VI, 8: « privatis in domibus, communia fuisse vestibula, in quæ, etiam invocati, suo jure, de populo poterant venire ». Hac scilicet ratione popularem gratiam aucupabantur civitatis principes.

9. *Voce*. Id est, qui voce rerum omnium levissima, opes aliquas comparaverat, easdem opes magno emolumento sibi nunc fore putabat.

10. *Diligens erat*. Nævius in fraudanda societate ita erat diligens, quasi furtum honesta res esset, qui vero societatem fideliter administrarent, condemnari solerent.

11. *Arbitrium* delend. censent Græv. Ernest. Schütz, frustra. *Arbitrium* enim *pro socio*, judicium de societate esse, omnes intelligunt; et inde subauditis præp. *per* aut *secundum*, nihil aliud erit quam per arbitrium pro socio condemnari, aut arbitralem pati condemnationem. Quod hellenismi genus non sane mirum in forensi formula, et a vulgari sermonis usu remota.

12. *Postulat. Postulare*, est petere modeste; *flagitare* vero, petere instantius et vehementius.

IV. Quum annos jam complures societas esset, et quum sæpe suspectus Quintio Nævius fuisset, neque ita commode posset rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione gesserat; moritur in Gallia Quintius, quum adesset Nævius, et moritur repentino[1]. Heredem testamento reliquit hunc P. Quintium: ut, ad quem summus mœror morte sua veniebat, ad eumdem summus honos[2] quoque perveniret. Quo mortuo, nec ita multo post, in Galliam proficiscitur Quintius. Ibi cum isto Nævio familiariter vivit. Annum fere una sunt, quum et de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione atque re Gallicana: neque interea verbum ullum interposuit Nævius, aut societatem sibi quidpiam debere, aut privatim Quintium debuisse. Quum æris alieni aliquantulum esset relictum, quibus nominibus [3] pecuniam Romæ curari oporteret; auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone se facturum esse proscribit earum rerum, quæ ipsius erant privatæ. Ibi tum vir optimus, Sex. Nævius, hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum non ita commode posse eo tempore, quæ proscripsisset, vendere; Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet[4], communem existimaret, pro fraterna illa necessitudine, et pro ipsius affinitate: nam

IV. 1. *Moritur repentino.* Oblique et quasi aliud agens veneficii crimen Nævio affingit orator. Mira deinde arte narrationem pergit, diversaque congerit adjuncta, ut inde Nævii perfidia magis elucescat. — Nota morte C. Quintii omnino exstinctam societatem, ac dissolutam.

2. *Summus honos.* Quamvis enim lege et jure agnationis heres esset P. Quintius, honestior tamen testamento ad eum veniebat hereditas: illudque ita honori apud Romanos ducebatur, ut Ciceroni objecerit Antonius, hereditates ei nullas ab amicis venisse; quod contra Cicero defendit, amplius se H.S. ducenties (410,00 fr.) ex hereditatibus retulisse.

3. *Quibus nominibus.* Cujus æris alieni solvendi causa, Romæ erat conficienda pecunia. *Curare pecuniam* est curare, ut pecunia detur et solvatur.

4. *Si saperet.* Locutio qua objurgamus, ita ut objurgatio sit amoris index.

P. Quintii consobrinam habet in matrimonio Nævius, et ex ea liberos. Quia, quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Nævius; credidit Quintius, eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. Auctionem velle facere desistit: Romam proficiscitur. Decedit ex Gallia Romam simul Nævius. Quum pecuniam C. Quintius P. Scapulæ debuisset; per te, C. Aquilli, decidit P. Quintius, quod liberis ejus dissolveret. Hoc eo per te agebatur, quod propter ærariam rationem[5] non satis erat in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi ad Castoris[6] quæsisset, quantum solveretur. Decidis, statuisque tu, propter necessitudinem, quæ tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium[7] solveretur.

V. Hæc omnia Quintius agebat, auctore et consuasore Nævio. Nec mirum, si ejus utebatur consilio, cujus auxilium sibi paratum putabat. Non modo enim pollicitus erat in Gallia; sed Romæ quotidie, simul atque sibi hic annuisset, numeraturum se dicebat. Quintius porro istum posse facere videbat; debere intelligebat; mentiri, quia causa, cur mentiretur, non erat, non putabat: quasi domi nummos haberet, ita constituit[1] Scapulis se daturum. Nævium certiorem facit: rogat, ut curet, quod dixisset. Tum iste vir optimus (vereor, ne se derideri putet, quod iterum jam dico, optimus), qui hunc in summas angustias adductum

5. *Ærariam rationem.* Quia differebat pretium Romanæ pecuniæ qua solvendum erat, a pretio Gallicanæ quam C. Quintius a P. Scapula acceperat.

6. *Ad Castoris.* In MSS quibusd. « ad Cast. templum », e glossa. J. V. L. — Consulendi scilicet erant argentarii, qui prope Castoris templum tabernas habebant.

7. *Ad denarium.* Argenteus nummus est hic Romanam pecuniam, Gallicanæ uppositam significans. Vid. Gronuv. de Pec. Vet. III, 10.

V. 1. *Constituit. Constituere*, subaud. *pecuniam*, est apud jurisconsultos certum diem statuere, quo debita creditori pecunia dissolvatur. Hinc jocus est Ciceronis ad Div. VII, 4: « Si quid constitutum habes cum po-

putaret; ut eum suis conditionibus[2] in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset; et scisset, sibi cum Quintio controversiæ nihil futurum. Posterius, inquit, ista videbimus, Quintius: nunc hoc velim cures, si tibi videtur, quod dixisti. Negat se alia ratione facturum, quod promisisset: non plus sua referre, quam si, quum auctionem[3] venderet, domini jussu[4] quidpiam promisisset. Destitutione illa perculsus Quintius, a Scapulis paucos dies aufert[5]; in Galliam mittit, ut ea, quæ proscripserat, venirent; deteriore tempore absens auctionatur; Scapulis difficiliore conditione dissolvit. Tunc appellat ultro Nævium, ut, quoniam suspicaretur aliqua de re fore controversiam, videret, ut quam primum, et quam minima cum molestia tota res transigeretur. Dat iste[6] amicum M. Trebellium: nos communem necessarium, qui istius domi erat educatus, et quo utebatur iste plurimum, propinquum nostrum, Sex. Alphenum. Res convenire nullo modo poterat: propterea quod hic mediocrem jacturam facere cupiebat; iste mediocri præda contentus non erat. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium[7] cœpit. Quum vadimonia sæpe dilata es-

dagra, fac ut in aliam diem differas».

2. *Suis conditionibus*. I. e. quæ suis essent commodis opportunæ.

3. *Auctionem venderet*. Mendosus multis videtur locus; et legitur *auctione* non merito. Præpositionis ellipsis est, ut apud Cæs. de Bell. Gall. II, 33, «sectionem vendere»; et apud nostrum, non semel, «sponsionem vincere». Vid. Indic. Latinit.

4. *Domini jussu*. Se non plus teneri erga Quintium promisso dicebat Nævius, quam tenebatur olim, si quum faceret auctionem, domini, i. e. ejus qui bona vendi jubet, jussu quidpiam alicui addixisset. Carpit h. l. Nævium a vilissima præconis conditione, pejerandique facilitate.

5. *Aufert*. Ad conficiendam pecuniam obtinet.

6. *Dat iste*. Subaudi *arbitrum*. *Communem*. Nævii scilicet et Quintii necessarium. Quod bonam Quintii fidem demonstrat.

7. *Vadimonium*. Vetus lectio, pro *in vadimonio*. Sic Muren. «in potestate esse», et sæpius. Quum inter amicos res convenire non posset, tunc

sent, et quum aliquantum temporis in ea re esset consumptum, neque quidquam profectum[8] esset; venit ad vadimonium Nævius.

VI. Obsecro te[1], C. Aquilli, vosque, qui adestis in consilio, ut diligenter attendatis, ut singulare genus fraudis et novam rationem insidiarum cognoscere possitis. Ait, se auctionatum esse in Gallia; quod sibi videretur, se vendidisse; curasse, ne quid sibi societas deberet; se jam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere; si quid agere[2] secum velit Quintius, non recusare. Hic, quum rem Gallicanam cuperet revisere, hominem in præsentia non vadatur: ita sine vadimonio disceditur. Deinde Romæ dies xxx fere Quintius commoratur: cum ceteris, quæ habebat, vadimonia differt, ut expeditus in Galliam proficisci posset: proficiscitur. Roma egreditur ante diem II kal.[3] februarii, Scipione et Norbano coss. Quæso, ut eum diem[4] memoriæ mandetis. L. Albius, Sex. filius, Quirina[5], vir bonus, et cum primis honestus, una profectus est. Quum venissent ad Vada Volaterrana[6] quæ nominantur, vident perfamiliarem Nævii, qui ex Gallia pueros venales isti adducebat, L. Publicium; qui ut Romam venit, narrat Nævio, quo in loco viderit Quintium: quod nisi ex Publicio narratum Nævio esset, non

duæ spondebant partes se die præstituta ad prætoris tribunal ituras. Quæ sponsio *vadimonium* vocabatur. Vid. ad calcem hujus vol. Append. de ord. exerc. jud. § de Sponsione.

8. Olim *perfectum*. Correxit Græv. e codd. J. V. L.

VI. 1. Addimus *te* post Olivetum, qui e MSS addiderat. J. V. L.

2. *Si quid agere*. Si hanc suam a lite discessionem Quintius velit judicis sententia confirmari, paratum se esse.

3. *II kalend.* i. e. pridie kal. ut est inf. 18. Sic Hotoman. Lamb. Ernest. Vulgo *IV kalend.* — Anno Urb. 670.

4. *Eum diem*. Quia factum Nævius vadimonium dicebat fuisse nonis febr. Vid. cap. 18.

5. *Quirina*. Subaud. *ex tribu*. Locutio veteribus familiaris.

6. *Vada Volaterrana* in via Aurelia, a Liburno XVIII millibus distantia. Volaterranus ager in Etruria, mari minime profundo, in vadi morem alluitur.

tam cito res in contentionem venisset. Tum Nævius pueros circum amicos dimittit[7]; ipse suos necessarios[8] ab atriis Liciniis et a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam[9] sibi adsint hora secunda postridie. Veniunt frequentes : testificatur iste, P. QUINTIUM NON STITISSE, ET SE STITISSE. Tabulæ maximæ signis hominum nobilium[10] consignantur : disceditur. Postulat a Burrhieno prætore Nævius, ut ex edicto[11] bona possidere liceat. Jussit bona proscribi ejus, quicum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas, liberis istius vivis, divelli nullo modo poterat. Qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. Etenim si veritate, amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur; necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, et perfidiosum, et impium esse fateatur. Libellos[12] Sex. Alphenus, procurator P. Quintii, familiaris et propinquus Sex. Nævii, dejicit; servulum unum, quem iste prehenderat, abducit; denuntiat, sese procuratorem esse; istum, æquum esse, famæ fortunisque P. Quintii consulere, et adventum ejus exspectare; quod si facere nolit, atque imbiberit ejusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere, sese

7. Grævius e vestigiis librorum conjiciebat, « quod ubi ex Publicio cognovit, pueros circum amicos dimittit ». Non aliter Schütz edidit. J.V. L.

8. *Necessarios.* Præcones scilicet, veteres Nævii collegas.

9. *Tabulam Sextiam.* Sextius sane unus erat ex argentariis, quorum multo latius patebant munera quam apud nos. Illi scilicet tabulas (gall. *actes*) conficiebant, auctionibus præerant, deserta vadimonia testabantur.

10. *Nobilium.* Ironia. Istos designat nebulones, quos ab introitu macelli Nævius corrogarat.

11. *Ex edicto.* Secundum id quod Burrhienus edixerat; nempe se in eorum qui vadimonium deseruissent, bona missurum esse, ita ut si dies triginta possessa essent, auctione deinde venderentur, et ipsis creditoribus addicerentur. De *edicto* vide ad calcem Verrin. I, de Præt. Urb.

12. *Libellos.* Proscriptionis.

nihil precari; et, si quid agere velit, judicio defendere. Hæc dum Romæ geruntur, Quintius interea contra jus[13], consuetudinem, edicta prætorum[14], de saltu[15] agroque communi a servis communibus vi detruditur.

VII. Existima, C. Aquilli, modo et ratione omnia Romæ Nævium fecisse, si hoc, quod per literas istius in Gallia gestum est, recte atque ordine factum videtur. Expulsus atque ejectus e prædio Quintius, accepta insigni injuria, confugit ad C. Flaccum[1] imperatorem, qui tum erat in provincia: quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. Is eam rem quam vehementer vindicandam putarit, ex decretis ejus poteritis cognoscere. Alphenus interea Romæ cum isto gladiatore[2] vetulo[3] quotidie pugnabat: utebatur[4] populo sane suo, propterea quod iste caput petere[5] non desinebat. Iste[6] postulabat, ut procurator judicatum solvi satisdaret[7]. Negat Alphenus, æquum esse, pro-

13. *Contra jus.* Nam neque desertum vadimonium fuerat, neque reus latitarat; quippe qui procuratorem Alphenum reliquisset.

14. *Edicta prætorum.* Nam prætores non dant possessionem, nisi quum reus absens judicio non defenditur.

15. *Saltu.* Saltus dicitur locus pascuus, silvosus et inaratus; ad rem pecuariam pertinet, ut ager ad arationem.

VII. 1. *C. Flaccum.* Is ex prætura Galliam Narbonensem sortitus obtinebat, et, ut ex *imperatoris* nomine apparet, victoriam aliquam reportaverat.

2. *Gladiatore*, i. e. Nævio. Gladiatoris nomen ad improbos homines transferre solet Tullius. Sic pro Rosc. Amer. 6.

3. *Vetulo.* Veteratore, fraudibus assueto.

4. *Utebatur.* Populus Alpheno favebat, quod eum infensiori odio persequebatur Nævius.

5. *Caput petere.* A gladiatore ducta similitudo occidendi adversarii nimis cupido, quem propter hoc odit populus generosæ virtutis amans.

6. Sic e MSS et edd. Lamb. Græv. Ernest. Alii, *postulat.* J. V. L.

7. *Satisdaret.* Sensus est: Postulabat Nævius, ut Alphenus daret fidejussores locupletes, qui suo periculo præstarent tantum solutum iri, quantum, judicio facto, solvi oporteret, si Quintius damnaretur. Hæc est satisdatio, quæ dicitur *judicatum solvi.* In actionibus enim personalibus actor nullam satisdationem dare cogebatur; neque reus, si proprio nomine in judicio sisteret; cogebatur autem satisdare, si per procuratorem in judicio sisteret.

curatorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. Appellantur tribuni[8] : a quibus quum esset tum auxilium petitum, ita tamen disceditur, ut idibus septembribus P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret.

VIII. Venit Romam Quintius; vadimonium sistit. Iste, homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum et sex menses nihil petit; quiescit; conditionibus[1] hunc, quoad potest, producit; a Cn. Dolabella[2] denique prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet, ex formula, QUOD AB EO PETAT[3], quoniam ejus[4], ex edicto prætoris, bona dies XXX possessa sint. Non recusabat Quintius, quin ita satisdare[5] juberet[6], si bona possessa essent ex edicto. Decernit: quam æquum, nihil dico: unum hoc dico, novum; et hoc ipsum tacuisse mallem, quoniam utrumque quivis intelligere potuisset. Jubet P. Quintium aut satisdare, aut[7] sponsionem cum Sex. Nævio facere: SI BONA[8] SUA EX EDICTO P. BURRHIENI PRÆTORIS DIES XXX POSSESSA ESSENT. Recusabant, qui aderant tum Quintio: de-

8. *Tribuni.* Hæc ante Sullæ dominationem agebantur, qui tribunis illud intercedendi jus abstulit. De tribunorum potestate vide Cic. de Leg. III, § 9.

VIII. 1. *Conditionibus.* Quas per simulationem transactionis Quintio deferebat. *Hunc producit*, i. e. rem protrahit.

2. *Cn. Dolabella.* Nimirum nactus eum, a quo ea quæ postulabat, iniqua licet, impetraret. Porro iste Dolabella ex prætura postea Ciliciam avare administravit, et a M. Scauro accusatus repetundarum damnatus est. Vid. Verr. I, 17, 39.

3. *Quod ab eo petat.* Prima sunt verba formulæ, seu capitis, ex edicto prætoris, in quo ita erat: « Quod ab eo petetur, cujus, ex edicto prætoris Romani, bona dies triginta possessa erunt, ejus rei nomine judicatum solvi satisdare jubebo ».

4. Alii, *cujus.* J. V. L.

5. *Ita satisdare.* Quia, hac exceptione apposita, non confitebatur Quintius possessa esse bona sua, et deserti vadimonii non subibat infamiam.

6. *Juberet.* Ipsum Quintium prætor. Græv. ex MS recepit *juberetur.* Sic etiam Garat.

7. Multi abesse jubent *aut satisdare, aut.* Invenit Lambin. in MSS. J. V. L.

8. SI BONA. Jubetur Quintius spon-

monstrabant, de re[9] judicium fieri oportere, ut aut uterque inter se, aut neuter satisdaret; non necesse esse famam alterius in judicium venire. Clamabat porro ipse Quintius, sese idcirco nolle satisdare, ne videretur judicasse, bona sua ex edicto possessa esse; sponsionem porro si istiusmodi faceret, se, id quod nunc evenit, de capite suo[10] priore loco causam esse dicturum. Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles: seu recte, seu perperam facere cœperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo nostro loco natus assequi possit[11]), injuriam facere fortissime perseverat: aut satisdare, aut sponsionem jubet facere; et interea recusantes nostros advocatos acerrime submoveri.

IX. Conturbatus sane discedit Quintius: neque mirum, cui hæc optio tam misera, tamque iniqua daretur, ut aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset; aut causam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret. Quum in altera re causæ nihil esset, quin secus judicaret[1] ipse de se, quod judicium gravissimum est; in altera[2] spes esset ad talem tamen virum, judicem, veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ, sponsionem facere maluit: fecit. Te judicem, C. Aquilli, sumpsit[3]: ex sponso[4] egit. In hoc summa judicii, causaque tota consistit. Judicium esse, C. Aquilli,

dere, se, si judicatum fuerit bona sua possessa esse, certam pecuniæ summam soluturum.

9. *De re.* Dicebant amici Quintii ante omnia quæri oportere, an Nævio deberetur ex societate pecunia.

10. *Capite suo.* Nempe si lite decideret Quintius, infamis erat et *capite deminutus.* Vid. sup. 2.—*Priore loco.* Nam qui sponsione provocat, is actoris partes obtinet.

11. Alii, *posset.* J. V. L.

IX. 1. *Quin secus judicaret.* I. e. quin desertum a se vadimonium esse fateretur. *Secus* minus recte, minus vere.

2. *In altera.* Si sponsionem faceret.

3. *Sumpsit.* Actori liberum erat ferre judicem adversario; et si de eo convenisset, a prætore is dabatur cum judicandi potestate.

4. Passerat. et Manut. malebant *ex sponsu.* J. V. L. — Sponsionem fecit cum Nævio.

non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque P. Quintii vides. Quum majores ita constituerint, ut qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret; nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco causam dicere intelligis; eos porro, qui defendere consuerunt, vides accusare, et ea ingenia converti ad perniciem, quæ antea versabantur in salute atque auxilio ferendo. Illud etiam restiterat[5], quod hesterno die fecerunt, ut te in jus adducerent, ut nobis tempus, quam diu diceremus, præstitueres: quam rem facile a prætore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum jus, et officium, partesque, docuisses. Neque nobis adhuc, præter te, quisquam fuit, ubi nostrum jus contra illos obtineremus; neque illis umquam satis fuit illud obtinere, quod probari omnibus posset: ita sine injuria[6] potentiam levem atque inopem esse arbitrantur.

X. Verum quoniam tibi instat Hortensius, ut eas in consilium[1]; a me postulat, ne dicendo tempus absumam; queritur, priore patrono[2] causam defendente, numquam perorari potuisse[3]: non patiar, istam manere suspicionem, nos rem judicari nolle; nec illud mihi arrogabo, me posse causam commodius demonstrare, quam antea demonstrata sit: neque tamen tam multa verba faciam; propterea quod et ab illo, qui ante dixit,

5. *Restiterat.* Superfuerat ad nostras injurias cumulandas. — *In jus.* Ad prætorem.

6. *Sine injuria.* Non magna contenti sunt potentia, nisi eam injuria comitetur.

X. 1. *Eas in consilium.* Ut causa peroretur; qua utrimque perorata, judex ibat in consilium cum assessoribus. Si vero longior videretur orator, in privatis judiciis, poterat illi judex silentium imponere, et sententiam dicere.

2. *Priore patrono.* M. Junio.

3. *Numquam perorari potuisse.* In causis ex sponsione oportebat ut actor et reus eodem die perorarent; tum judex pronuntiabat: alioquin dimittebatur judicium. Quum autem suspicaretur Hortensius diffisum causæ suæ M. Junium rem dicendo protraxisse; ne eadem arte Tullius eluderet

informata[4] jam causa est, et a me, qui neque excogitare, neque pronuntiare multa possum, brevitas postulatur, quæ mihimet ipsi amicissima est. Faciam, quod te sæpe animadverti facere, Hortensi: totam causæ meæ dictionem certas in partes dividam. Tu id[5] semper facis, quia semper potes: ego in hac causa faciam, propterea quod in hac videor posse facere. Quod tibi natura dat, ut semper possis, id mihi causa concedit, ut hodie possim. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim[6], si maxime velim: ut et mihi sit propositum, de quo dicam; et Hortensius habeat exposita, ad quæ respondeat; et tu, C. Aquilli, jam ante animo prospicere possis, quibus de rebus auditurus sis.

Negamus, te bona P. Quintii, Sex. Nævi, possedisse ex edicto prætoris. In eo sponsio facta est. Ostendam primum, causam non fuisse, cur a prætore postulares, ut bona P. Quintii possideres; deinde ex edicto te possidere non potuisse; postremo, non possedisse. Quæso, C. Aquilli, vosque, qui estis in consilio, ut, quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis. Etenim rem facilius totam accipietis, si hæc memineritis; et me facile vestra existimatione[7] revocabitis, si extra hos cancellos[8] egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. Nego fuisse causam, cur postularet; nego ex edicto possidere potuisse; nego possedisse: hæc tria quum docuero, perorabo.

judicium, instabat ut Aquillius iret in consilium.

4. *Informata*. Aliqua ex parte demonstrata. Translatum a pictura, quum post adumbrationem quasdam formas inducimus.

5. *Tu id*. Hæc, usque ad *facere*, spuria Schützio. J. V. L. — Nimius fuit in partienda oratione Hortensius; quare hic eum, ut sæpe alias, irridet Cicero. Vide Quintilianum lib. IV, cap. 5.

6. Vulg. *possum*. J. V. L.

7. *Vestra existimatione*. Et dum verebor ne, si, aliter atque promisi, rem tractavero, male de me existimetis, metus ille me facile revocabit.

8. *Cancellos*. Metaphora sumpta de

XI. Non fuit causa, cur postulares. Qui hoc intelligi potest? Quia Sex. Nævio, neque ex societatis ratione, neque privatim quidquam debuit Quintius. Quis huic rei testis est? Idem, qui acerrimus adversarius. In hac re te, te, inquam, testem, Nævi, citabo. Annum, et eo diutius, post mortem C. Quintii fuit in Gallia tecum simul Quintius : doce, te petiisse ab eo istam, nescio quam, innumerabilem pecuniam; doce, aliquando mentionem fecisse; dixisse deberi : debuisse concedam. Moritur C. Quintius, qui tibi, ut ais, certis[1] nominibus grandem pecuniam debuit : heres ejus P. Quintius in Galliam ad te ipsum venit in agrum communem; eo denique, ubi non modo res erat, sed ratio quoque omnis, et omnes literæ[2]. Quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, quis tam tui, Sexte, dissimilis, qui, quum res ab eo, quicum[3] contraxisset, recessisset, et ad heredem pervenisset, non heredem, quum primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controversiam veniret, aut intra parietes[4], aut summo jure experiretur[5]? Itane[6]? quod viri optimi faciunt, ii, qui suos propinquos ac necessarios caros et honestos esse atque haberi volunt; id Sex. Nævius non faceret, qui usque eo fervet fertur-

foro judiciali, quod cancellis clausum erat.

XI. 1. *Certis nominibus.* Non dubitandis capitibus, et rebus in tabulis inscriptis. Vid. Bentl. ad Horat. Epist. II, 1, 105.

2. *Literæ.* Tabulæ (gall. *les registres, les écritures*).

3. Hotom. Lambin. e MSS. Olim «qui contraxisset». J. V. L.

4. *Intra parietes.* Privata disceptatione et honorata amici opera.

5. *Experiretur.* Experiri, idem apud jurisconsultos ac «lege agere, judicio persequi». *Summo jure experiri* dicitur is qui, quam strictissimo jure, quam durissime cum adversario contendit.

6. Sic MS Mureti, quemadmodum testatur ipse, Var. Lect. XVI, 19. Antea vulgo editum, «Itane est». J. V. L. — Argumentatur a minori, hoc sensu : Viri minime avari appellant propinquos suos, quos caros habent, si pecuniam sibi ab eis deberi putant; et Nævius, etc.

que avaritia, ut de suis commodis aliquam partem nolit amittere, ne quam partem huic propinquo suo ullius ornamenti relinquat? Et is[7] pecuniam, si qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum numquam est, id datum non est, non pecuniam modo, verum etiam hominis propinqui sanguinem vitamque eripere conatur? Huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non sinis? quem nunc interficere nefarie cupis, cum tu pudenter appellare nolebas? Ita credo: hominem propinquum, tui observantem, virum bonum, pudentem, majorem natu[8], nolebas, aut non audebas appellare. Sæpe, ut fit, quum ipse te confirmasses, quum statuisses de pecunia mentionem facere, quum paratus meditatusque venisses; homo timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas; excidebat repente oratio; quum cuperes appellare, non audebas, ne invitus audiret: id erat profecto.

XII. Credamus hoc, Sex. Nævium, cujus caput[1] oppugnet, ejus auribus pepercisse. Si debuisset, Sexte, petisses statim; si non statim, paullo quidem post; si non paullo, at aliquanto; sex quidem illis mensibus profecto; anno vertente[2] sine controversia. Anno et sex mensibus vero, quum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto fere, appellas. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus[3] fuisset, ut fuit Sex. Nævius?

7. *Et is*. Epiphonemate concludit nullam Nævio pecuniam deberi. Sic apud Virg. Æn. I, 57; VI, 807.

8. *Natu*. Annos natum sexaginta, cap. 31.

XII. 1. *Caput*. Affectata antithesis, qua figurate *caput*, proprie vero *aures* sumuntur; quasi dicat: Noluisti ejus aures obtundere, cujus existimationi et fortunis non parcis!

2. *Vertente*, i. e. absoluto, post Caii Quintii mortem.

3. *Dissolutus*. Vestibus ad talos defluentibus Romani olim utebantur,

Quum hominem nomino, satis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quintius: numquam petisti. Mortuus est ille; res ad heredem venit: quum eum quotidie videres, post biennium denique appellas. Dubitabitur, utrum sit probabilius, Sex. Nævium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse; an, ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? At tecum plus annum[4] vixit. In Gallia agi non potuit? At et in provincia jus dicebatur; et Romæ judicia fiebant. Restat, ut aut summa negligentia tibi obstiterit, aut unica[5] liberalitas. Si negligentiam dices, mirabimur; si bonitatem, ridebimus. Neque præterea quid possis dicere, invenio. Satis est argumenti, nihil esse debitum Nævio, quod tam diu nihil petivit.

XIII. Quid si hoc ipsum, quod nunc facit, ostendo testimonio esse, nihil deberi? Quid enim nunc agit Sex. Nævius? qua de re controversia est? quod est hoc judicium, in quo jam biennium versamur? quid negotii geritur, in quo ille tot et tales viros[1] defatigat? Pecuniam petit. Nunc denique? Verumtamen petit[2]: audiamus. De rationibus et controversiis societatis vult dijudicari. Sero; verum aliquando tamen: concedamus. Non, inquit, id ago, C. Aquilli, neque in eo nunc laboro: pecunia mea tot annos utitur P. Quintius: utatur sane: non peto. Quid igitur pugnas? an, quod sæpe multis in locis dixisti, ne in civitate sit; ne locum[3] suum, quem adhuc honestissime defendit;

quaa zonia, ubi quid agendum esset, ad genua reducebant: quo ex more strenuos et efficaces homines «cinctutos, præcinctos, alte cinctos»; inertes vero, luxuria diffluentes, *discinctos* et *dissolutos* appellaverunt. Sic ap. Hor. Epod. I, 34, «discinctus nepos».

4. Hæc est vera lectio ed. Wald. Aliæ, ut Romana, dederunt *anno*. J. V. L.

5. *Unica*. Singularia.

XIII. 1. *Tales viros*. Tum judicem et assessores, tum potentes viros qui Nævio præsentes patrocinabantur.

2. Aliquot MSS et edd. antiquæ, *petat*. J. V. L.

3. *Locum*. Ne ordinem equestrem,

obtineat? ne numeretur inter vivos[4]? decernat de vita et ornamentis suis omnibus? apud judicem causam priore loco dicat; et, eam quum orarit[5], tum denique vocem accusatoris audiat? Quid? hoc quo pertinet? ut ocyus ad tuum pervenias? At, si id velles, jampridem actum esse poterat. Ut honestiore[6] judicio conflictere? At sine summo scelere P. Quintium, propinquum tuum, jugulare non potes. Ut facilius judicium sit? At neque C. Aquillius de capite alterius libenter judicat, et Q. Hortensius contra caput non didicit dicere. Quid a nobis autem, C. Aquilli, refertur? Pecuniam petit; negamus deberi: judicium fiat statim; non recusamus. Numquid præterea? si veretur[7], ut res, judicio facto, parata sit; judicatum solvi satis accipiat: quibus a me verbis satis accipiet, iisdem ipse, quod peto[8], satisdet. Actum jam potest esse, C. Aquilli: jam tu potes discedere liberatus molestia, prope dicam, non minore, quam Quintius. Quid agimus, Hortensi? quid de hac conditione dicimus? possumus aliquando, depositis armis, sine periculo fortunarum, de re pecuniaria disceptare? possumus ita rem nostram persequi, ut hominis propinqui caput incolume esse patiamur? possumus petitoris[9] personam capere, accusatoris de-

quem satis amplis rei familiaris copiis adhuc tuetur, retineat et conservet.

4. *Inter vivos*. Hinc quum quis, amissa civitate, in eam restitueretur, *renasci* dicebatur, et dies ejus restitutionis *dies natalis* appellabatur. Sic Cic. ad Att. VI, 6.

5. Hotomannus et Lambinus conjiciunt, «eam quum perorarit». J.V.L.

6. *Honestiore*. Honestiores partes specie agebat Nævius, qui desertum vadimonium a debitore querebatur; odiosiores re ipsa, qui socium, familiarem, propinquum tam atrociter impugnabat.

7. *Si veretur*. Si metuit ne, judicio facto, pecunia parata non sit a Quintio, dabimus fidejussores, qui promittant Nævio solutum iri quod fuerit judicatum. Eadem vero se obstringat formula satisdationis Nævius, qua nosmetipsi.

8. P. Sylvius malit legere, «si quid peto». J. V. L.

9. *Petitoris*. Qui in publico judicio *accusator*, in privato *petitor* dicebatur.

ponere? Imo, inquit, abs te satis accipiam; ego autem tibi non satisdabo.

XIV. Quis tandem nobis ista jura tam æqua[1] describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Nævium? Quintii bona, inquit, ex edicto prætoris possessa sunt. Ergo, id ut confitear, postulas; ut, quod numquam factum esse judicio defendimus, id, proinde, quasi factum sit, nostro judicio confirmemus. Inveniri[2] ratio, C. Aquilli, non potest, ut ad suum quisque quam primum sine cujusquam dedecore, infamia, perniciequé perveniat? Profecto, si quid deberetur, peteret: non omnia[3] judicia fieri mallet, quam unum illud, unde hæc omnia nascuntur. Qui inter tot annos[4] ne appellarit quidem Quintium, quum potestas esset agendi quotidie; qui, quo tempore primum male agere[5] cœpit, in vadimoniis differendis tempus omne consumpserit; qui postea[6] vadimonium quoque missum fecerit, hunc per insidias vi de agro communi dejecerit; qui, quum de re agendi, nullo recusante, potestas fuisset, sponsionem de probro facere maluerit; qui, quum revocetur ad id judicium, unde hæc nata sunt omnia, conditionem æquissimam[7] repudiet; fateatur, se non pecuniam, sed vitam et sanguinem petere. Is non hoc palam dicit? mihi si quid deberetur, peterem, atque adeo

XIV. 1. *Jura tam æqua.* Ironice.

2. *Inveniri.* Lamb. conjicit *Iniri.* J.V. L.

3. *Omnia judicia.* De vadimonio deserto, de satisdatione. — *Illud.* De re pecuniaria.

4. Facciolat. conj. «inter duo annos», vel «integro anno». Sed frustra turbare mouat Gœrenz. ad Acad. I, 7. J.V. L.

5. *Male agere.* Formula male concepta uti. Nævius, ubi intellexit, se causa apud prætorem casurum, si ita ageret, vadimonium distulit. Male agit, inquit Cicero in Partit. qui plus petit, qui sero petit, qui non hac lege, hoc judicio, his verbis quibus petere oportet, petit, etc. Cf. infr. 31.

6. In cod. Oxon. additur *quam.* Idem suadebat Manut. et Lamb.

7. *Æquissimam.* Ut aut uterque, aut neuter satisdet.

jampridem abstulissem; nihil hoc tanto negotio, nihil tam invidioso judicio, nihil tam copiosa advocatione uterer, si petendum esset; extorquendum est invito atque ingratiis; quod non debet, eripiendum atque exprimendum est; de fortunis omnibus P. Quintius deturbandus est; potentes, diserti, nobiles omnes advocandi sunt; adhibenda vis est veritati; minæ jactentur; pericula intendantur; formidines opponantur, ut iis rebus aliquando victus et perterritus ipse cedat. Quæ mehercule omnia, quum, qui contra pugnent, video, et quum illum consessum [8] considero, adesse atque impendere videntur, neque vitari ullo modo posse: quum autem ad te, C. Aquilli, oculos animumque retuli; quo majore conatu studioque aguntur, eo leviora [9] infirmioraque existimo.

Nihil igitur debuit, ut tu ipse prædicas. Quid si debuisset? continuone causa fuisset, cur a prætore postulares, ut bona possideres? Non opinor id quidem neque [10] jus esse, neque cuiquam expedire. Quid igitur demonstrat? Vadimonium sibi ait esse desertum.

XV. Antequam doceo id factum non esse, libet mihi, C. Aquilli, ex officii ratione, atque ex omnium consuetudine, rem ipsam et factum simul Sex. Nævii considerare. Ad vadimonium non venerat, ut ais, is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ et necessitudines veteres intercedebant: illicone ad prætorem ire convenit? continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret? Ad hæc extrema et inimicissima jura tam cupide decurrebas, uti tibi nihil in posterum, quod gravius atque crudelius facere posses, reservares? Nam quid homini potest turpius, quid

8. *Consessum.* Illos Nævii tot advocatos.

9. *Eo leviora.* Eo enim magis judex erit præsidio solitudini et inopiæ adversus vim et potentiam.

10. *Non opinor...neque.* Nota duas

viro[1] miserius aut acerbius usu venire? quod tantum evenire dedecus, quæ tanta calamitas inveniri potest? Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria; tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut judicio turpi[2] convictus, bonis quidem suis utitur; alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat: hoc tamen in miseriis adjumento et solatio sublevatur. Cujus vero bona venierunt; cujus non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius sub præcone cum dedecore subjectus est; is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. Etenim[3] mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. Ergo hercule, cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem [certe] tacite obs-

negantes, quæ magis negant Græcorum more.

XV. 1. *Viro.* Distinguit ab homine virum. Turpe quidem est omnibus, inquit, existimationem amittere; ei vero qui sit inter homines vir, i. e. magno et excelso animo præditus, miserrimum et acerbissimum est.

2. *Judicio turpi.* Judicium turpe illud appellatur, in quo per sententiam damnati infamia notantur: v. g. in actione furti, vi honorum raptorum, pro socio, et in aliis casibus quos videas in Inst. Justin. IV, 16, 2. Totius hujus intricati loci sensus est: Aliquis ex divite pauper factus est; grave hoc quidem: verumtamen, dum existimatio et fama salva est, habet unde egestatem suam consoletur. Alius est, qui ignominia affectus, bona tamen servavit; non opus habet, ut vivat, aliena commiseratione: hoc illi in calamitate solatio est: « hic enim, ut ait Juvenal. Sat. I, 47, damnatus inani Judicio, (quid enim salvis infamia nummis?) Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur Dis iratis ».

3. Sch. conjicit: « Etenim... vitam quoque miseram exornat: vita turpis et misera ». Facciolatus lelicius, « vita ita turpis... ». J. V. L. — Locus ambiguus, et antithesi magis quam sano judicio subnixus, cujus primum membrum generatim de vita quavis turpitudine deformata accipitur; alterum autem membrum ad eum solum refertur, qui probri judicio, vel innocens, est damnatus. Sensus est: Tur-

cureque conceditur: cui magistri[4] fiunt, et domini constituuntur, qui, qua lege et qua conditione pereat, pronuntient; de quo homine præconis vox prædicat[5], et pretium conficit; huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur[6]; si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut carnifices[7], ad reliquias vitæ lacerandas et distrahendas.

XVI. Itaque majores nostri raro id accidere voluerunt; prætores, ut considerate fieret, comparaverunt[1]. Viri boni, quum palam fraudantur, quum experiundi potestas non est, timide tamen et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inviti, multis vadimoniis desertis, sæpe illusi ac destituti. Considerant enim, quid et quantum sit, alterius bona proscribere. Jugulare civem ne jure quidem quisquam bonus vult: mavult enim commemorare, se, quum posset perdere, pepercisse, quam, quum parcere potuerit, perdidisse. Hæc in homines alienissimos, denique inimicissimos, viri boni faciunt, et hominum existimationis, et communis humanitatis causa: ut, quum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis jure incommodi cadere possit. Ad vadimonium non venit. Quis? Pro-

piter acta vita honestæ mortis laude tegi potest; sed homini probri damnato ne illa quidem recuperandæ famæ ratio superest; quum moriatur quodam modo ante mortem. Ceterum quid de isto juvenili et ambitioso dicendi genere Cicero ipse sentiat, vid. in Orat.

4. *Magistri*. Sic dicebantur, qui bonis debitorum publice vendendis præerant, auctoritate prætoris (gall. *syndic des créanciers*). *Domini* autem creditores erant, qui bona vendi jubebant.

5. *Prædicat*. Cujus hominis nomen pronuntiat, et cujus ex bonis in auctione venditis confectam pecuniæ summam publice recitat.

6. *Indicitur* apud Grut. e quibusd. edd. et MSS. J. V. L. Male.

7. *Carnifices*. Videtur orator toto hoc loco ad veterem illum morem respicere, quo ex XII tabb. legibus licebat creditoribus debitorem, qui solvendo non erat, secare, et ejus membra inter se partiri. Vid. A. Gell. XX, 1.

XVI. 1. *Comparaverunt*. Edictis constituerunt.

pinquus. Si res ista gravissima sua sponte videretur, tamen ejus atrocitas necessitudinis nomine levaretur. Ad vadimonium non venit. Quis? Socius. Etiam gravius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregasset, aut fortuna conjunxisset. Ad vadimonium non venit. Quis? Is, qui tibi præsto semper fuit. Ergo in eum, qui semel hoc commisit, ut tibi præsto non esset, omnia tela conjecisti, quæ parata sunt in eos, qui permulta male[2] agendi causa fraudandique fecerunt? Si dupondius[3] tuus ageretur, Sex. Nævi, si in parvula re captionis aliquid vererere, non statim ad C. Aquillium, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, concurrisses? Quum jus amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur; quum officii rationem atque existimationis duci conveniret; eo tempore tu non modo ad C. Aquillium, aut L. Lucullum, sed ne[4] ipsum[5] quidem ad te retulisti? ne hæc quidem tecum loquutus es[6]? Horæ duæ[7] fuerunt; Quintius ad vadimonium non venit: quid ago? Si mehercule hæc tecum duo verba fecisses, Quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paullulum; aliquid loci rationi et consilio dedisses; tu te collegisses[8]; non in eam turpitudinem venisses, ut hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse[9], hominis propinqui fortunas funditus evertere.

2. *Male agendi causa.* Mala fide.

3. *Dupondius.* Duo asses. Vid. Numm. Tabul. nostri Liv. vol. XII, p. 113. — *Tuus.* Nempe præconum, et olim Nævii merces. — Alii, *unus.*

4. Addebatur olim, « sed ne ipse quidem te consuluisti », quod glossema est. At potuit servari « ne ipse quidem ». J. V. L.

5. Alii, *ipse.* J. V. L.

6. Alii, « es. Horæ », sine interrogatione. J. V. L.

7. *Horæ duæ.* Secunda hora est elapsa, ex qua Quintium exspecto.

8. *Te collegisses.* A cupiditate ad rationem fuisses revocatus.

9. *Consilium cepisse.* Nota voces has cum infinitivo *evertere* conjunctas. Vid. Macrob. de differ. Gr. Lat. verb. p. 689, ed. Gronov.

XVII. Ego pro te nunc hoc consulo post tempus, et in aliena re, quod tu in tua re, quum tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te, C. Aquilli, L. Lucülle, P. Quintili, M. Marcelle : vadimonium mihi non obiit quidam socius et affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controversia de re pecuniaria recens intercedit : postulone a prætore, ut ejus bona mihi possidere liceat? an, quum Romæ domus ejus, uxor, liberi sint, domum potius denuntiem [1]? Quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? Profecto si recte vestram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri : primum, exspectare [2]; deinde, si latitare ac diutius ludificare videatur, amicos convenire; quærere, quis procurator sit; domum denuntiare. Dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam [3] devenire. Quid ad hæc Nævius? ridet scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, et instituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? viderint, inquit, ista officia viri boni : de me autem ita considerent [4]; non, quid habeam, sed quibus [5] rebus invenerim, quærant; et quemadmodum natus, et quo pacto educatus sim, memini : vetus est [6], « De scurra multo facilius divitem, quam patremfami-« lias [7] fieri posse ». Hæc ille, si verbis non audet, re

XVII. 1. *Denuntiem*. Verbum forense. *Denuntiatio* est civilis interpellatio, quæ debitori solemniter fiebat, antequam conveniretur ad judicem (gall. *signifier à domicile*).

2. *Exspectare*. Subaud. respondebitis oportere.

3. Conjicit Hotom. « nec necessariam »; Ernest. « necesse sit ». J.V.L.

4. Schütz delet « ita considerent », ex libr. Ursini. Idem habet *meminerint*. J.V.L.

5. *Quibus rebus*. Qua ratione bona comparaverim. Verba sunt Nævii.

6. *Vetus est*. Subaud. adagium.

7. *Patremfamilias*. Latine paterfa-

quidem vera palam loquitur. Etenim si vult virorum bonorum instituto vivere, multa oportet discat, atque dediscat: quorum illi ætati utrumque difficile est.

XVIII. Non dubitavi, inquit, quum vadimonium desertum esset, bona proscribere. Improbe: verum, quoniam tu id tibi arrogas, et concedi postulas, concedamus. Quid, si numquam deseruit? si ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit? quo te nomine appellemus? improbum? at etiamsi desertum vadimonium esset, tamen, in ista postulatione et proscriptione bonorum, improbissimus reperiebare: num malitiosum? non[1] negas: fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, et præclarum putas: audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria et obsoleta sunt; res autem nova atque inaudita. Quid ergo est? vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus, quam causa postulat. Ais esse vadimonium desertum. Quæsivit a te, statim ut Romam rediit, Quintius, quo die vadimonium istuc factum esse diceres: respondisti statim, nonis feb. Discedens in memoriam rediit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus sit; ad ephemeridem[2] revertitur: invenitur dies profectionis, prid. kal. feb. Nonis feb. si Romæ fuit, causæ nil dicimus[3], quin tibi vadimonium promiserit. Quid? hoc inveniri qui potest? Profectus est una L. Albius, homo cum primis honestus: dicet testimonium. Prosequuti sunt fami-

milias quicumque sui juris est, h. l. vir probus et frugi significatur.

XVIII. 1. Aberat *non*, quam h. l. necessariam voculam ex Junt. Ernest. post Lamb. addidit. Habet etiam Garat.

2. *Ephemeridem.* Ἐφημερὶς, latine *diarium*, libellus est in quem quotidianæ actiones referuntur.

3. *Causæ nil dicimus.* Non recusamus, non infitiamur. Notanda locutio. Sic Terent. « Non causam dicam, quin, quod meritus est, fiat ».

liares et Albium, et Quintium: dicent hi quoque testimonium. Literæ P. Quintii, testes tot, quibus omnibus causa justissima est, cur scire potuerint, nulla, cur mentiantur, cum adstipulatore[4] tuo comparabuntur. Et in hac ejusmodi causa P. Quintius laborabit? et diutius in tanto metu miser periculoque versabitur? et vehementius eum gratia adversarii perterrebit, quam fides judicis consolabitur? Vixit[5] enim semper inculte, atque horride; natura tristi[6] ac recondita fuit; non ad solarium[7], non in campo[8], non in conviviis versatus est; id egit, ut amicos observantia, rem parcimonia retineret; antiquam officii rationem dilexit, cujus splendor omnis his moribus obsolevit. At, si in causa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum: nunc, in causa superiore, ne ut par quidem sit, postulat; inferiorem[9] esse se patitur, duntaxat usque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus, Sex. Nævii cupiditati crudelitatique dedatur.

XIX. Docui, quod primum pollicitus sum, C. Aquilli, causam omnino, cur postularet, non fuisse; quod neque pecunia debebatur, et, si maxime deberetur, commissum nihil esse, quare ad istam rationem perveniretur. Attende nunc, ex edicto prætoris bona P. Quintii

4. *Adstipulatore.* Cum eo qui tuam calumniam testimonio suo confirmat. *Adstipulator* est is, qui facti vadimonii testis est.

5. *Vixit.* Totus hic locus eo spectat, ut adversarii gratiam, non virtute, sed luxu et profusis sumptibus quæsitam orator imminuat; et Quintii solitudinem ac innocentiam sublevet.

6. *Natura tristi.* Fuit severior et solitudinis amans, alienus a conventibus hominum.

7. *Solarium* (gall. *cadran solaire*). Tradit M. Varro primum *solarium* statutum Romæ fuisse secundum Rostra, in columna a M. Valerio Messalla, anno Urbis 492. Plin. VII, 60. Censor. cap. 19. Ad solarium nobiles et otiosi homines deambulabant. Vid. Indic. Latinit.

8. *In campo.* Martio, in quo ludi et exercitationes omnium generum præbebantur.

9. *Inferiorem.* Quamvis in meliore causa sit Quintius, sibi vos minus favere quam Nævio non abnuit, dummodo non usque eo progrediatur hic favor, ut cum bonis Nævio impune

possideri[1] nullo modo potuisse. Recita edictum : QUI FRAUDATIONIS[2] CAUSA LATITARIT. Non est is Quintius; nisi si latitant, qui ad negotium suum, relicto procuratore, proficiscuntur. CUI HERES NON EXSTABIT. Ne is quidem. QUI EXSULII CAUSA SOLUM VERTERIT. [Dici[3] id non potest. QUI ABSENS JUDICIO DEFENSUS NON FUERIT. Ne is quidem.] Quo tempore existimas oportuisse, Nævi, absentem Quintium defendi, aut quo modo? Tum, quum postulabas, ut bona possideres? Nemo affuit : neque enim quisquam divinare poterat, te postulaturum; neque quemquam attinebat id recusare, quod prætor, non fieri[4], sed ex edicto suo fieri jubebat. Qui locus igitur absentis defendendi procuratori primus datus est? Quum proscribebas? Ergo affuit; non passus est; libellos dejecit Sex. Alphenus; qui primus erat officii gradus, servatus est a procuratore summa cum diligentia. Videamus, quæ deinde sint consequuta. Hominem[5] P. Quintii deprehendis in publico; conaris abducere: non patitur Alphenus; vi tibi adimit; curat, ut domum reducatur ad Quintium. Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. Debere tibi dicis Quintium : procu-

lacerandus permittatur. — Olim abfuit « se ». Dedit cod. Franc. J. V. L. XXIX. 1. Alii, *possidere*. J. V. L.

2. *Qui fraudationis.* Hic et in sequentibus, subaudiendum est : « ejus bona possideri, vendique jubeho ».

3. *Dici.* Verba hæc uncis inclusa, ad sensum vero necessaria, ex Lamb. Desjard. Schutz et MS Hotom. reposuimus. Absunt a J. V. L. et Garat. quamvis in notis, illi hæc omnino recipienda censuerint.

4. *Non fieri.* Mire in h. l. hæsere multi. Optime tamen explicat Cujacius, nempe creditorem, etiamsi decreto prætoris non indigeat, ut mittatur in possessionem, jussu tamen permissuque prætoris indigere, qui nullus sit, nisi nominatim concipiatur. Atqui nullum erat prætoris hac de re decretum speciale, quod permitteret Nævio nominatim Quintii bona possidere: ergo Quintius non debuit adesse, ut recusaret id quod ad se nominatim non pertinebat. Nemo putavit recusandum quod prætor fieri jubebat, non simpliciter, sed ex edicto suo. De Præt. edict. vide ad calc. Verr. I.

5. *Hominem.* Servum.

rator negat. Vadari vis[6] : promittit. In jus vocas : sequitur. Judicium postulas : non recusat. Quid aliud sit absentem defendi, ego non intelligo. At quis erat procurator? Credo aliquem ejectum hominem, egentem, litigiosum, improbum, qui posset[7] scurræ divitis quotidianum convicium sustinere. Nihil minus. Eques romanus locuples, sui negotii bene gerens; denique is, quem, quoties Nævius in Galliam profectus est, procuratorem Romæ reliquit.

XX. Et audes, Sex. Nævi, negare, absentem defensum esse Quintium, quum eum defenderit idem, qui te solebat? et, quum is judicium acceperit pro Quintio, cui tu et rem et famam tuam commendare proficiscens et concredere solebas; conaris hoc dicere, neminem exstitisse, qui Quintium judicio defenderet? — Postulabam[1], inquit, ut satisdaretur. — Injuria postulabas. — Ita jubebare. — Recusabat Alphenus. — Ita; verum prætor decernebat. — Tribuni[2] igitur appellabantur. — Hic, te, inquit, teneo ; non est istud[3] judicium pati, neque judicio defendere, quum auxilium a tribunis[4] petas. —

6. *Vadari vis*. Vades ab eo poscis sistendi in judicio; vadimonium tu vis ut subeat.

7. *Qui posset*. Qui, quæ quotidie in eum jactantur a Nævio, maledicta potest perferre.

XX. 1. *Postulabam*. Dialogi forma inter Nævium et Ciceronem. *Næv*. Petebam ut Alphenus satisdaret. *Cic*. Non merito postulabas. *Næv*. Atqui jubebat prætor. *Cic*. Nihilominus recusabat Alphenus. *Næv*. Ita sane, verum pronuntiarat prætor. *Cic*. Itaque tribunos Alphenus appellavit. *Næv*. Hic te teneo, etc. — Loco *satisdaretur, jubebare* vulg. « satisdaret, videbare ».

2. *Tribuni*. Illi magistratuum omnium decretis intercedere poterant, ante Sullam, qui hanc eis intercessionem ademerat.

3. *Non est istud*. Non ita male illud Ciceroni objiciebatur; tribunos enim appellando, Alphenus *judicium* magis *recusare* quam *judicio defendere* videbatur. Ipsa vero de hac re manifesta erant edicti verba. Ideoque in hoc multus est orator, ut a procuratore non de judicio, sed de satisdatione tantum appellatos tribunos ostendat. Ceterum non id juris erat Alpheno, procuratori quippe, ut satisdationem declinaret. Vide Gaium, IV, 96 et 101.

4. *A tribunis petas*. In hoc ergo accusatur ab Hortensio Alphenus, quasi

Hoc ego, quum attendo qua prudentia sit Hortensius, dicturum esse eum non arbitror; quum autem antea dixisse audio, et causam ipsam considero, quid aliud dicere possit, non reperio. Fatetur enim, libellos Alphenum dejecisse, vadimonium promisisse, judicium quin acciperet in ea ipsa verba[5], quæ Nævius edebat, non recusasse; ita tamen[6], more et instituto, per eum magistratum, qui auxilii causa constitutus est. Aut hæc facta non sint, necesse est; aut C. Aquillius, talis vir, juratus[7], hoc jus in civitate constituat, cujus procurator non recusarit[8] omnia judicia, quæ quisque[9] in verba postularit; cujus procurator a prætore tribunos appellare ausus sit, eum non defendi; ejus bona recte possideri posse; ei misero, absenti, ignaro, omnia[10] fortunarum suarum, omnia vitæ ornamenta per summum dedecus et ignominiam deripi[11] convenire. Quod si probari nemini potest; illud certe probari omnibus necesse est, defensum esse judicio absentem Quintium. Quod quum ita est, ex edicto bona possessa non sunt. At enim tribuni plebis ne audierunt quidem. Fateor, si ita est, procuratorem decreto prætoris oportuisse parere. Quid, si M. Brutus[12] intercessurum se dixit palam, nisi quid inter ipsum Alphenum et Nævium con-

vero judicium per eos declinare voluerit. «Turbantes jura tribuni» ait Lucan. I, 177.

5. *Verba*. Concipiebatur formula judicii ab actore; probabatur a reo, vel improbabatur.

6. *Ita tamen*. Manca videtur phrasis, quam supplendam proponit Græviua: «at recusavit satisdare; ita tamen», ut more et instituto appellaret eum magistratum, etc. qui sensus, vel nullo interpolato verbo, satis patet.

7. *Juratus*. Sacramenti fide ad religiose et sancte judicandum obligatus.

8. Olim «acceperit», contra sensum. Cod. Franc. *recusarit*.

9. *Quæ quisque*. Ordo est: In verba quæ quisque postularit, i. e. secundum formulam quæ utrique actori et reo placuerit.

10. *Omnia*. Sic Hotom. cod. Vulg. abest.

11. Alii, *diripi*. J. V. L.

12. *M. Brutus*. Tribunus plebis, et is ipse, ut opinatur Hotom. quem in Cisalpina Gallia Cn. Pompeius interfecit.

veniret? videturne intercessisse appellatio tribunorum, non moræ[13], sed auxilii causa?

XXI. Quid deinde fit? Alphenus, ut omnes intelligere possent, judicio defendi Quintium, ne qua subesse posset aliena aut ipsius officio, aut hujus existimatione suspicio, viros bonos complures advocat; testatur, isto audiente, se pro communi necessitudine id primum petere, ne quid atrocius in P. Quintium absentem sine causa facere conetur; sin autem inimicissime atque infestissime contendere perseveret, se paratum esse omni recta atque honesta ratione defendere, quod petat, non deberi; se judicium id[1], quod edat, accipere. Ejus rei conditionisque tabellas obsignaverunt viri boni complures: res in dubium venire non potest: fit, rebus omnibus integris, neque proscriptis, neque possessis bonis, ut Alphenus promittat Nævio, sisti Quintium. Venit ad vadimonium Quintius: jacet res in controversiis, isto calumniante[2], biennium, usque dum inveniretur, qua ratione res ab usitata[3] consuetudine recederet, et in hoc singulare judicium causa[4] omnis concluderetur. Quod officium, C. Aquilli, commemorari procuratoris potest, quod ab Alpheno præteritum esse videatur? Quid affertur, quare P. Quintius absens negetur esse defensus? An vero id, quod Hortensium, quia nuper injecit, et quia Nævius semper id clamitat,

13. *Moræ*. Tribunos appellavit Alphenus, non morandi et impediendi judicii causa, sed tantum ut auxilium contra injustum decretum imploraret. Alii legunt *more*, frustra.

XXI. 1. Edd. vett. « se judicio id ». Lambinus, « in id q. e. » J. V. L. — Quum in jus ventum erat, formulam qua petitor agere vellat edebat; si eam probaret reus, dicebatur « judicium accipere ». Vid. ad calc. vol. de Judiciis.

2. *Calumniante*. Ludificante, tergiversante.

3. *Consuetudine*. A more judiciorum et actione rei pecuniariæ.

4. *Causa omnis*. Quæ plura judicia desiderat, quum plura sint ejus capita; nempe de re pecuniaria primo; postea de deserto vadimonio, de bonorum possessione. — *Concluderetur*. Est translatio ab iis qui in augustias rediguntur.

dicturum arbitror, non fuisse[5] Nævio parem certationem cum Alpheno, illo tempore[6], illis dominantibus? Quod si velim confiteri, illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quintii neminem fuisse, sed gratiosum fuisse. Mihi autem ad vincendum satis est, fuisse procuratorem, quicum experiri posset. Qualis is fuerit, si modo absentem defendebat per jus[7], et per magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere. Erat enim[8], inquit, illarum partium. Quidni? qui apud te esset educatus; quem tu a puero sic instituisses, ut nobili[9], ne gladiatori quidem, cederet. Sicut tu semper summe concupisti, idem volebat Alphenus: ea re tibi cum eo par contentio erat. Bruti, inquit, erat familiaris; itaque is intercedebat. Tu contra Burrhieni, qui injuriam decernebat; omnium denique illorum[10], qui tum et poterant per vim et scelus plurimum, et, quod poterant, id audebant. An omnes tu istos[11] vincere volebas, qui nunc, tu ut vincas, tantopere laborant? Aude id dicere, non palam, sed his ipsis, quos advocasti. Neque[12] enim

5. *Non fuisse.* Iniquos fuisse Nævio tribunos, apud quos gratiosi fuerunt Alphenus et Quintius, uterque Marianarum partium et popularis. Qua objectione utebatur Hortensius, ut Nævium Sullanum a Marianis oppressum ostenderet; illam vero mire in ipsum Nævium detorquet noster, istumque a victo Mario ad Sullam transfugisse invidiose arguit.

6. *Illo tempore.* L. Scipione, C. Norbano coss. qui bellum acerrimum cum L. Sulla gerebant.

7. *Per jus.* Ante prætorem. — *Per magistratum.* M. Brutum. — Alterum hoc *per* vulg. abest.

8. Abest *enim.* J. V. L.—*Illarum*, i. e. Marianarum.

9. *Nobili.* Ludit in verbo hoc, quod et de iis usurpatur, qui genere clari sunt, et de iis, qui in quavis arte commendantur. Ita nobilitatis nomen ipsum oderat Nævius, ut nulli sive genere, sive arte *nobili*, ne gladiatori quidem cedere vellet. Quo verbo Nævii audacia et in nobilitatem odium designatur.—Loco *cederet* olim «hæreret, faveret, vereretur, uteretur». Conjecit Hotom. *cederet.* Dedit Franc. eod.

10. *Illorum.* Nempe Marianorum, quibus tunc favebat Nævius, et quos postea per summam perfidiam deseruit, ut ad victorem Sullam transfugeret.

11. *Istos.* Sullanos, qui nunc te sua gratia ac potentia adjuvant.

12. *Neque... effecisti,* erant post *Tametsi..... impetrabat.* Transposuit Ernesti. Beck et Schutz improbant.

inter studium vestrum quidquam, ut opinor, interfuit. Ingenio, vetustate, artificio tu facile vicisti : ut alia omittam, hoc satis est. Alphenus cum iis et propter eos periit [13], quos diligebat : tu, postquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere, ut amici tibi essent, qui vincebant, effecisti. Tametsi nolo eam rem commemorando renovare, cujus omnino rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere.

XXII. Unum illud dico : si propter partium studium potens erat Alphenus; potentissimus Nævius : si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus; multo iniquiora Nævius impetrabat. Quod si tum par tibi jus cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat; quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alpheni causa consisteret [1] : quid hoc tempore Quintio statuendum est? cui neque magistratus adhuc æquus inventus est, neque judicium redditum est usitatum; non conditio, non sponsio, non denique ulla umquam intercessit postulatio, mitto æqua, verum ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio [2] contendere. — Non licet. — At ea controversia est. — Nihil ad me attinet; causam capitis dicas, oportet.— Accusa, ubi ita necesse est.— Non, inquit, nisi tu ante, novo modo, priore loco dixeris : dicendum [3] necessario est; præstituendæ horæ ad arbitrium nostrum; judex ipse arcebitur [4]. Quid tum? tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui offi-

Pro « vetustate » multi « venustate ». J. V. L.

13. *Periit.* A Sulla proscriptus.

XXII. 1. *Consisteret.* Inveniret apud quem sine præjudicio causam agere posset Alphenus.

2. *Cupio.* Sic loqui fingitur Quintius, cui respondet Nævius.

3. *Dicendum.* Ego, ait Nævius, te priore loco dicere cogam; tibi dicendi tempus circumscribam; ipsi judici leges imponemus.

4. *Arcessetur*, in vulgatis. Quod tamen Hotom. explicat, et defendit Garat. Duo MSS Lamb. unus Franc. edd. vett. habent *arcebitur*.

cii, qui splendorem nostrum, et gratiam negligat? Pro me pugnabit L. Philippus[5], eloquentia, gravitate, honore florentissimus civitatis; dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione; aderunt autem homines nobilissimi ac potentissimi, quorum frequentiam et consessum non modo P. Quintius, qui de capite decernit, sed quivis, qui extra periculum sit, perhorrescat. Hæc est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris[6]; huic ne ubi consisteret quidem contra te, locum reliquisti. Quare aut doceas oportet, Alphenum negasse se procuratorem esse, non dejecisse libellos, judicium accipere noluisse; aut, quum hæc ita facta sint, ex edicto te bona P. Quintii non possedisse concedas.

XXIII. Etenim si ex edicto[1] possedisti, quæro, cur bona non venierint; cur ceteri sponsores et creditores non convenerint. Nemone fuit, cui deberet Quintius? Fuerunt, et complures fuerunt: propterea quod C. frater aliquantum æris alieni reliquerat. Quid ergo est? homines erant ab hoc omnes alienissimi; et iis debebatur: neque tamen quisquam inventus est tam insignite improbus, qui violare P. Quintii existimationem absentis auderet. Unus fuit, affinis, socius, necessarius, Sex. Nævius; qui, quum ipse ultro[2] deberet, quasi eximio præmio sceleris exposito, cupidissime contenderet, ut per se afflictum[3] atque eversum propinquum suum, non modo honeste partis bonis, verum etiam

5. *L. Philippus*. De clarissimo hoc oratore adi Brut. 45, 47, 64, et Horat. Epist. I, 7.

6. Primæ edd. « equitabas ». J. V. L. — *Velitari*, leviter altercari, a verbo *velites*, qui expediti milites pugnæ præludunt.

XXIII. 1. *Si ex edicto*. Argumentum a consequentibus. Sequebatur possessionem bonorum venditio, ut creditoribus omnibus pecuniæ debitæ persolverentur.

2. *Ultro*. Quum insuper Nævius Quintio pecuniam deberet.

3. *Afflictum*. Sua opera oppressum. Præterita h. l. pro futuris accipiuntur.

communi luce privaret. Ubi erant ceteri creditores? denique hoc tempore ubi sunt? quis est, qui fraudationis causa latuisse dicat? quis, qui absentem defensum neget esse Quintium? Nemo invenitur. At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est, aut fuit, adsunt, defendunt: fides[4] hujus multis locis cognita; ne perfidia Sex. Nævii derogetur, laborant. In hujusmodi sponsionem testes dare oportebat ex eo numero, qui hæc dicerent: Vadimonium mihi deseruit; me fraudavit; a me nominis[5] ejus, quod infitiatus esset, diem petivit: ego experiri non potui; latitavit, procuratorem nullum reliquit. Horum nihil dicitur. Parantur testes, qui hæc dicant. Verum, opinor, viderimus, quum dixerint: unum tamen hoc cogitent, ita se graves[6] esse, ut si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere; si eam negligent[7], ita leves sint, ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium[8], sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare.

XXIV. Ergo hæc duo quæro: primum, qua ratione Nævius susceptum negotium non transegerit, hoc est, cur bona, quæ ex edicto possidebat, non vendiderit; deinde, cur ex tot creditoribus aliis ad istam rationem nemo accesserit: ut necessario confiteare, neque eorum tam temerarium quemquam fuisse, neque te ipsum id[1], quod turpissime suscepisses, perseverare et transigere potuisse. Quid si tu ipse, Sex. Nævi, sta-

4. Schütz, auctore Ernestio, corrigit: « Fidei..... cognitæ ne p. S. N. derogetur ». J. V. L. Frustra. Latine enim dicitur *fidem alicui derogare.*— *Perfidia.* Per perfidiam.

5. *Nominis.* Sensus est: Quum debitum, quod infitiatus erat, probassem, et se condemnatum iri videret, tempus aliquod a me petiit.

6. *Graves.* Auctoritate præditi parantur testes; sed nisi verum dixerint, levis eorum auctoritas futura est, nec efficiet ut vincat mendacium.

7. Edit. 1480, « neglexerint ». J. V. L.

8. *Obtinendum mendacium.* Efficiendum, ut mendacio credatur.

XXIV. 1. *Id.* Pendet a secundo

tuisti, bona P. Quintii ex edicto possessa non esse? opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leve esset, id in tua, quoniam contra te est, gravissimum debet esse. Emisti bona Sex. Alpheni, L. Sulla dictatore vendente; socium tibi in hujus bonis [2] edidisti Quintium. Plura non dico. Cum eo tu voluntariam societatem coibas, qui te in hereditaria societate fraudarat? et eum judicio tuo comprobabas, quem spoliatum fama fortunisque omnibus arbitrabare?

Diffidebam mehercule, C. Aquilli, satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere. Sic cogitabam, quum contra dicturus esset Hortensius, et quum esset attente auditurus Philippus, fore, uti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roscio [3], cujus soror est cum P. Quintio, quum a me peteret, et summe contenderet, ut suum propinquum defenderem, mihi perdifficile esse contra tales oratores non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. Quum cupidius instaret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore durissimo [4] esse, qui præsente eo gestum agere conaretur; qui vero cum ipso contenderent, eos, etiam si quid antea recti aut venusti habere visi sunt [5], id amittere: ne quid mihi ejusmodi accideret, quum contra talem artificem dicturus essem, me vereri.

verbo *transigere*, fitque per ζεῦγμα.

2. *In hujus bonis*. Subaud. *emendis*. Hinc vide an melior Nævio Quintius fuerit. Cujus Alpheni opera tam bona fuerat usus, nunc ejus sector fit, et interempti spolia per summam injuriam a crudelissimo tyranno mercatur. Ceterum clientem suum non omnino hac in re actorem inducit Cicero.

3. *Q. Roscio*. Comœdo, pro quo exstat oratio; et cujus sororem habebat Quintius.

4. *Ore durissimo*. Summa impudentia. « Soleo, inquit in Orat. Cicero, sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio. »

5. Beck emendat « visi sint »; quod probat Schutz. Nec male forsan, quum non directa sit oratio.

XXV. Tum mihi Roscius et alia multa confirmandi mei causa dixit; et mehercule, si nihil diceret, tacito ipso officio et studio, quod habebat erga propinquum suum, quemvis commoveret. Etenim, quum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur; tum vir ejusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat[1]. Verumtamen, quid si, inquit, habes ejusmodi causam, ut hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse, qui possit biduo, aut summum triduo, septingenta millia passuum ambulare? tamenne vereris, ut possis hæc contra Hortensium contendere? Minime, inquam; sed quid id ad rem? Nimirum, inquit, in eo causa consistit. Quomodo? Docet me ejusmodi rem, et factum simul Sex. Nævii, quod, si solum proferretur, satis esse deberet. Quod abs te, C. Aquilli, et a vobis, qui adestis in consilio, quæso, ut diligenter attendatis: profecto intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnasse et audaciam; hinc veritatem et pudorem, quoad potuerit, restitisse. Bona postulas ut ex edicto possidere liceat: quo die? te ipsum, Nævi, volo audire; volo, inauditum facinus, ipsius, qui id commisit, voce convinci. Dic, Nævi, diem. Ante v. kalend.[2] intercalares. Bene agis: quam longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum? Nævi, te rogo. DCC millia[3] passuum. Optime. De saltu dejicitur Quintius:

XXV. 1. *Eo non accedat*. Histrionum ars turpis habebatur; quippe qui et tribu moverentur et a militia repellerentur. Hinc Laberii dolor apud Macrob. Saturn. II, 7. Togatarum et Atellanarum actores tamen videntur excipiendi. Vid. Liv. VII, 2. Digest. III, 2. August. de Civ. Dei, II, 11.

2. *V kalend.* Hoc est, die vigesimo februarii. Annus romanus, ex Numæ institutione, erat 355 dierum, qui ut cum solis cursu quadraret, inter februarium ac martium, biennio quoque, unus intercalabatur mensis, qui alternis annis binos vicenosque, alternis ternos et vicenos haberet dies. Talia mensis intercalaris fuerunt hæ kalendæ. Vid. Macrob. Saturn. I, 15, et J. F. Gronov. Observat. II, 18.

3. *DCC millia.* Scilicet 103 myriam. Vid. Mens. Rom. tab. nostri Liv. vol. XII, pag. 111.

quo die? possumus hoc quoque ex te audire? Quid taces? dic, inquam, diem : pudet dicere? Intelligo; verum et sero, et nequicquam pudet. Dejicitur de saltu, C. Aquilli, pridie kalend. intercalares : biduo post, aut, ut statim de jure[4] aliquis cucurrerit, non toto triduo DCC millia passuum conficiuntur. O rem incredibilem! o cupiditatem inconsideratam! o nuntium volucrem! administri et satellites Sex. Nævii Roma trans Alpes in Sebusianos[5] biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuntios, seu potius Pegasos habeat!

XXVI. Hic ego, si Crassi[1] omnes cum Antoniis exsistant; si tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc causam voles cum Hortensio dicere, tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodum putatis, omnia sunt in eloquentia : est quædam[2] tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit. An antequam postulasti, ut bona possideres, misisti, qui curarent, ut dominus de suo fundo a sua familia vi dejiceretur? Utrumlibet[3] elige : alterum incredibile est; alterum nefarium, et ante hoc tempus utrumque inauditum. Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo? dic : negas? ante igitur misisti : malo. Si enim illud diceres; improbe mentiri viderere : quum hoc confiteris; id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis. Hoc consilium Aquillio, et talibus viris, tam cupidum, tam audax, tam temerarium probabitur? Quid hæc amentia, quid hæc festinatio,

4. *De jure.* De præturis tribunali, ubi jus dicitur.

5. Alii malunt *Sepusianos.* J. V. L. Vid. Ind. Geogr.

XXVI. 1. *Crassi.* De Crasso et Antonio, celeberrimis oratoribus, sex abhinc annos occisis, vid. Cic. de clar. Oratoribus. — *Exsistant.* Exoriantur, tamquam ab inferis excitati.

2. *Est quædam.* Sic pro Cœlio : « magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas hominum insidias facile se per se ipsa defendat ».

3. *Utrumlibet.* Vel dic misisse te in Galliam, antequam postulasti ut bona

quid hæc immaturitas[4] tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem? Mittis injussu prætoris: quo consilio[5]? Jussurum sciebas. Quid? quum jussisset, tum mittere nonne poteras? Postulaturus eras. Quando? post dies xxx[6]. Nempe si te nihil impediret, si voluntas eadem maneret, si valeres, denique si viveres. Prætor jussisset. Opinor, si vellet, si valeret, si jus diceret, si nemo recusaret, quin[7] ex ipsius decreto et satisdare[8], et judicium accipere vellet. Nam, per deos immortales, si Alphenus, procurator P. Quintii, tibi tum satisdare, et judicium accipere vellet, denique omnia, quæ postulares, facere voluisset, quid ageres? revocares eum, quem in Galliam miseras? At hic[9] quidem jam de fundo expulsus; jam a suis diis penatibus præceps ejectus; jam, quod indignissimum est, suorum servorum manibus, nuntio atque imperio tuo, violatus esset. Corrigeres[10] hæc, scilicet, tu postea. De cujusquam vita[11] dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te cæcum cupiditate et avaritia fuisse, ut, quum postea quid futurum esset ignorares, accidere autem multa possent, spem maleficii præsentis in incerto reliqui temporis eventu collocares? Atque hæc perinde loquor, quasi ipso illo tempore, quum te prætor jussisset ex edicto possidere, si in possessionem

possideres; vel dic DCC millia passuum esse decursa biduo.

4. *Immaturitas.* Intempestiva properatio.

5. Recte Facciolat. Garat. Beck, sustulerunt interrogandi notam. J. V. L.

6. *Post dies XXX.* Ironia et hyperbole in numero dierum, qua non necessariam Nævio properationem innuit, quippe qui ante prætoris jussum omnia peregisset.

7. E conjectura Lamb. Vulgo *qui.* J. V. L.

8. Alii, « satisdaret ». J. V. L.

9. *Hic.* Quintius.—*Diis penatibus.* Sui cuique civi ac patrifamilias domestici dii erant, qui ejus domum religione munirent et consecrarent.

10. *Corrigeres.* Ironia.

11. *De cujusquam vita.* Epiphonema. Et fraudatorem appellare audes Quintium, atque ejus vitam in peri-

misisses, debueris aut potueris P. Quintium de possessione deturbare.

XXVII. Omnia sunt, C. Aquilli, ejusmodi, quivis ut perspicere possit, in hac causa improbitatem et gratiam cum inopia et veritate contendere. Prætor te quemadmodum possidere jussit? opinor ex edicto. Sponsio quæ in verba facta est? SI EX EDICTO [1] PRÆTORIS BONA P. QUINTII POSSESSA NON SINT. Redeamus ad edictum. Id quemadmodum jubet possidere? Num quid est causæ, C. Aquilli, quin, si longe aliter possedit, quam prætor edixit, iste ex edicto non possederit, ego sponsione vicerim? Nihil opinor. Cognoscamus edictum: QUI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT. De te loquitur, Nævi, quemadmodum tu putas; ais enim te ex edicto venisse: tibi, quid facias, definit; te instituit; tibi præcepta dat: EOS ITA VIDETUR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. Quomodo? QUOD IBIDEM RECTE[2] CUSTODIRE POTERUNT, ID IBIDEM CUSTODIANT; QUOD NON POTERUNT, ID AUFERRE ET ABDUCERE LICEBIT. Quid tum? DOMINUM, inquit, INVITUM DETRUDERE NON PLACET. Eum ipsum, qui fraudandi causa latitet; eum ipsum, quem judicio nemo defendat; eum ipsum, qui cum omnibus creditoribus suis male agat, invitum de prædio detrudi vetat. Proficiscenti tibi in possessionem prætor ipse, Sex. Nævi, palam dicit: Ita possideto, ut tecum simul possideat Quintius; ita possideto, ut Quintio vis ne afferatur[3]. Quid? tu id quemadmodum observas? mitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romæ do-

culum adducere, tu qui hoc fateri cogeris, etc.

XXVII. 1. Hotomannus jubet scribere «ni ex ed.», male, quum h. l. ipsam, qua Nævius in sponsione sua usus est, formulam recitet Cicero.

2. *Recte*. Convenienter. *Custodire*, sibi habere. *Auferre* dicitur de immobilibus; *abducere*, de mobilibus.

3. Sic Hotom. ex MSS. Olim «jus non auferatur», quod defendit Facciol. Frustra.

mus, uxor, liberi, procurator esset; eum, qui tibi vadimonium non deseruisset; hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulsum esse de prædio; domino a familia sua manus allatas esse ante suos lares familiares: hoc dico[4].....

XXVIII. Nævium[1] ne appellasse quidem Quintium, quum simul esset, experiri posset quotidie: deinde quod omnia judicia difficillima[2], cum summa sua invidia, maximoque periculo P. Quintii fieri mallet, quam illud pecuniarium judicium, quod uno die transigi posset; ex quo uno hæc omnia nata et profecta esse concedit. Quo in loco conditionem tuli, si vellet pecuniam petere, P. Quintium judicatum solvi satisdaturum[3], dum ipse, si quid peteret, pari conditione uteretur. Ostendi, quam multa ante fieri convenerit, quam hominis propinqui bona possideri postularentur; præsertim quum Romæ domus ejus, uxor, liberi essent, et procurator æque utriusque necessarius. Docui, quum desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse; quo die hunc sibi promisisse dicat, eo die ne Romæ quidem eum fuisse: id testibus me pollicitus sum planum facturum, qui et scire deberent, et causam, cur mentirentur, non haberent. Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstravi; quod neque fraudandi causa latitasset, neque exsilii causa solum vertisse diceretur. Reliquum est, ut eum nemo judicio defenderit: quod contra[4]

4. Desiderantur hic secundæ divisionis finis, et ea omnia quæ ad tertium partitionis membrum pertinebant, nempe « Nævium non possedisse ». Et præterea pauca quædam ex principio epilogi.

XXVIII. 1. *Nævium*. Subaudi, « probavi, dixi ».

2. *Difficillima*. Quæ gravate a judicibus fiunt, ut, quum civis caput agitur.

3. *Satisdaturum*. Quam satisdationem obtulit cap. 13.

4. *Quod contra*. Contra quam rem, plurimis argumentis eum defensum fuisse demonstravi.

copiosissime defensum esse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atque improbo, sed ab equite romano, propinquo et necessario suo, quem ipse Sex. Nævius procuratorem relinquere antea consuesset: neque eum, si tribunos appellarit, idcirco minus judicium pati paratum fuisse: neque potentia procuratoris Nævio jus ereptum; contra istum potentia [5] sua tum tantummodo superiorem fuisse, nunc nobis vix respirandi potestatem dare.

XXIX. Quæsivi, quæ causa fuisset, cur bona non venissent, quum ex edicto possiderentur: deinde illud quoque requisivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contra dicat, omnesque pro P. Quintio pugnent; præsertim quum in tali judicio testimonia creditorum existimentur ad rem maxime pertinere. Postea sum usus adversarii testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium [1], quem, quo modo nunc intendit [2], ne in vivorum quidem numero tum demonstrat fuisse. Tum illam incredibilem celeritatem, seu potius audaciam, protuli: confirmavi necesse esse, aut biduo DCC millia passuum esse decursa, aut Sex. Nævium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postularet, uti ei liceret bona possidere. Postea recitavi edictum, quod aperte dominum de prædio detrudi vetaret: in quo constitit, Nævium ex edicto non possedisse, quum confiteretur ex prædio vi detrusum esse Quintium. Omnino [3] autem bona possessa non esse constitui: quod bonorum

5. *Istum potentia*. Nævius, Marianis dominantibus, nobis jam superior, nunc quum Sullani, ad quorum partes transfugit, omnia tenent, nos ita obruit, ut vix respiremus.

XXIX. 1. *Edidit socium*. In emendis Alpheni bonis.

2. *Intendit*. Ut quidem nunc arguit, et objicit absolute. Pro Milone, «intendere actionem».

3. *Omnino*. I. e. denique. Sic ex Hot. olim legebatur *omnia*. Hæc erat tertia pars confirmationis, quæ nunc tota fere desideratur.

possessio spectetur non in aliqua parte, sed in universis[4], quæ teneri ac possideri possint. Dixi, Romæ domum fuisse, quo iste ne adspirarit[5] quidem; servos complures, ex quibus iste possederit neminem, ne attigerit quidem; unum fuisse, quem attingere conatus sit; prohibitum fuisse, quievisse. In ipsa Gallia cognostis in prædia privata Quintii Sex. Nævium non venisse. Denique ex ipso saltu, quem, per vim expulso socio, possedit, servos privatos Quintii non omnes ejectos esse. Ex quo[6], et ex ceteris dictis, factis, cogitatisque Sex. Nævii, quivis potest intelligere, istum nihil aliud egisse, neque nunc agere, nisi uti per vim, per injuriam, per iniquitatem judicii, totum agrum, qui communis est, suum facere possit.

XXX. Nunc causa perorata, res ipsa, et periculi magnitudo, C. Aquilli, cogere videtur, ut te, atque eos, qui tibi in consilio sunt, obsecret obtesteturque P. Quintius per senectutem[1] ac solitudinem suam, nihil aliud, nisi ut vestræ naturæ bonitatique obsequamini; ut, quum veritas cum hoc faciat[2], plus hujus inopia possit ad misericordiam, quam illius opes ad crudelitatem. Quo die ad te judicem venimus, eodem die illorum minas, quas ante horrebamus, negligere cœpimus. Si causa cum causa contenderet, nos nostram perfacile cuivis probaturos statuebamus. Quod vitæ ratio[3] cum ratione vitæ decerneret, idcirco nobis etiam magis te judice opus esse arbitrati sumus. Ea res enim nunc

4. *In universis*. I. e. bona possideri ex edicto non dicuntur, nisi universa omnino possideantur.

5. *Adspirarit*. Cogitaverit.

6. *Ex quo*. Quo ex facto et ex ceteris illud constat, hoc unum sibi proposuisse Nævium, ut, etc.

XXX. 1. *Senectutem*. Annum tunc agebat Quintius sexagesimum.

2. *Faciat*. Pugnet. Sic Cæcin. « Auctoritas gravissimorum hominum nobiscum facit ».

3. *Vitæ ratio*. Quum mores Nævii cum Quintii moribus committantur.

in discrimine[4] versatur, utrumne possit se contra luxuriam ac licentiam rusticana illa atque inculta parcimonia defendere; an deformata, atque ornamentis omnibus spoliata, nuda cupiditati petulantiæque addicatur[5]. *[6] Non comparat se tecum gratia P. Quintius, Sex. Nævi; non opibus, non facultate contendit; omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur se non belle dicére, non ad voluntatem[7] loqui posse; non ab afflicta amicitia[8] transfugere, atque ad florentem aliam devolare; non profusis sumptibus vivere; non ornare magnifice splendideque convivium; non habere domum clausam pudori et sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati et voluptatibus: contra, sibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam[9] atque aridam cordi fuisse. Ista[10] superiora esse, ac plurimum posse his moribus sentit. Quid ergo est? non usque eo tamen, ut in capite fortunisque hominum honestissimorum dominentur ii, qui relicta bonorum virorum disciplina, et quæstum et sumptum Gallonii[11] sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt. Si licet vivere eum, quem Sex. Nævius non vult; si est homini honesto locus in civitate, invito Nævio; si fas est respirare P. Quintium, contra nutum ditionemque Nævii; si quæ pudore ornamenta

4. Sic multi codd. Vulgo legebatur « in discrimen ». J. V. L.

5. *Addicatur*. *Addicti* dicebantur, qui nexi creditoribus in servitutem dabantur.

6.* Hic in codd. Palatinis signum lacunæ est. Gruter.

7. *Ad voluntatem*. Adulantium more. Concessio ironica.

8. *Ab afflicta amicitia*. Pungit Nævium, Marianarum partium desertorem.

9. *Horridam*. Duram et austeram.

10. *Ista*. Istam Nævii vitam plurimum valere ad parandos amicos scit, sed non eo tamen ut, etc.

11. *Gallonii*. P. Gallonius olim, ut Nævius, præco, homo nequam et nepotum omnium profusissimus. Vid. Horat. Sat. II, 2, 47, et Cic. de Fin. II, 8, ubi Lucilii versus recitantur: « O Publi, o gurges, Galloni, es homo miser, etc. »

sibi peperit, ea potest contra petulantiam, te defendente [12], obtinere : spes est, et hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere. Sin et poterit Nævius id, quod libet, et ei libebit, quod non licet [13], quid agendum est? qui deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui mœror dignus inveniri in calamitate tanta potest?

XXXI. Miserum est [1] exturbari fortunis omnibus; miserius est, injuria: acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius, a propinquo : calamitosum est bonis everti; calamitosius, cum dedecore : funestum est a forti atque honesto viro jugulari; funestius, ab eo, cujus vox in præconio quæstu prostitit [2] : indignum est a pari vinci aut superiore; indignius, ab inferiore atque humiliore : luctuosum est tradi alteri cum bonis; luctuosius, inimico : horribile est causam capitis dicere; horribilius, priore loco dicere.

Omnia circumspexit Quintius, omnia periclitatus est, C. Aquilli : non prætorem modo, a quo jus impetraret, invenire non [3] potuit, atque adeo ne unde arbitratu [4] quidem suo postularet; sed ne amicos quidem Sex. Nævii : quorum sæpe et diu ad pedes jacuit stratus, obsecrans per deos immortales, ut aut secum

12. *Te defendente.* A te defensus judice, C. Aquilli.

13. *Licet.* Licere, inquit Cicero in Tusc. id dicimus, quod legibus, quod more majorum, institutisque conceditur.

XXXI. 1. *Miserum est.* Modus exaggerandi per exclamationem cum gradatione, in quo Tullius summam quidem ubertatem explicat; sed non ita fastidio occurrit, ut non animum lasset repetita illa adjectivorum et comparativorum series. Perorationis reliqua pars multo verior ac vehementior.

2. Sic edidit P. Manutius. Antea legebant « quæstum præstitit ». J.V. L.

3. Beck delet *non*, sequutus MSS Palat. Paris. al. J. V. L.

4. *Arbitratu.* Non potuit Quintius judicii formulam ex sententia impetrare : quum enim de re pecuniaria contendere cuperet, non ei licuit. Ceterum variæ in una causa actiones

jure contenderent, aut injuriam[5] sine ignominia sibi imponerent. Denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit; ipsius Sex. Nævii lacrymans manum prehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatam; obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius conjugem et liberos, quibus propior P. Quintio nemo est, ut aliquando misericordiam caperet; aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ; si non hominis, at humanitatis rationem haberet; ut secum aliquid, integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigeret. Ab ipso repudiatus[6], ab amicis ejus non sublevatus, ab omni magistratu agitatus atque perterritus, quem præter te appellet, habet neminem: tibi se, tibi suas omnes opes fortunasque commendat; tibi committit existimationem ac spem reliquæ vitæ. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis, non turpis ad te, sed miser confugit. E fundo ornatissimo dejectus, ignominiis omnibus appetitus, quum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiæ nubili dotem conficere non posset, nihil alienum[7] tamen vita superiore commisit. Itaque te hoc obsecrat, C. Aquilli, ut, quam existimationem, quam honestatem in judicium tuum, prope acta jam ætate decursaque, attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre; ne is, de cujus officio nemo

intendi poterant; et ubi multiplex erat judicium postulationes erant liberæ. E. g. si de furto ageretur, licebat actori res repetere « rei vindicatione », aut « condictione furtiva », aut « manifesto furto ». Tunc vero actor electæ actioni, propriam formulam intendebat, a qua si vel una syllaba descivisset, causam perderet. Vid. ad calc. volum. de ordin. exerc. judic.

5. *Injuriam*. Contenti exacta pecunia, quam non deberet, quæ tamen erat summa injuria, non cogerent eum, sponsione facta, priore loco causam dicere, cum summa sua ignominia; quasi bona sua ex edicto prætoris possessa essent, vadimonii deserti causa.

6. *Repudiatus*. Repulsus.

7. *Alienum*. Indignum anteacta vita: hanc in sententiam supra dixit: « non turpis ad te, sed miser confugit! »

umquam dubitavit, sexagesimo denique anno, dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur; ne ornamentis ejus omnibus Sex. Nævius pro spoliis abutatur[8]; ne per te ferat[9], quo minus, quæ existimatio P. Quintium usque ad senectutem perduxit, eadem usque ad rogum prosequatur.

8. *Abutatur.* Tamquam spolia, male utendo, consumat.

9. *Per te ferat.* Ne hanc ex tuo judicio pœnam subeat, ut non, etc. *Ferre* est accipere. Sic Plaut. Merc. II, 3: «quod posces feres».

M. TULLII CICERONIS

PRO S. ROSCIO AMERINO

ORATIO

ARGUMENTUM.

Quum proscribendi finem L. Sulla kalendis juniis anni 672 denuntiasset; septembri mense insequenti, S. Roscius Amerinus, illius quem defendit Cicero, pater, noctu rediens a cœna interfectus est. A quo incertum: sed neque proscriptus erat, nec esse poterat, quippe qui nobilitatis fautor, et Metellorum, ac Scipionum amicus, omni ope Sullanos semper adjuvisset.

Erant autem ei veteres inimicitiæ cum propinquis duobus Rosciis, Capitone et Magno, qui statim, in ejus bona facto impetu, filium ejus S. Roscium nudum e paternis prædiis ejiciunt; et ut se potentioris nominis umbra protegant, societatem cum L. Sullæ liberto gratiosissimo Chrysogono ineunt, qui S. Roscii interfecti fortunas, quæ erant sexagies centena millia sestertium (1,230,000 fr.), duobus millibus sestertium (410 fr.) sibi a dictatore addicendas curat.

Quum autem vererentur, ne quando S. Roscii filius iniquissime ereptum patrimonium repeteret, nec eo superstite, tam opimis spoliis secure frui possent, insidias primo ejus vitæ parare cœperunt; quæ quum non processissent, et S. Roscius Romæ apud Metellos tutissimum haberet perfugium, tunc plenum sceleris ineunt consilium, et accusatorem subornant Erucium quemdam, qui S. Roscii nomen de parricidio deferat. Et iste quidem illum ita accusavit, ut diceret causam ei suscipiendi maleficii fuisse odium patris, qui filium in rustica prædia relegarat, et etiam exheredare statuerat.

His adversariis brevi oppressus S. Roscius, vir rusticus, fuisset: quamvis enim ei faverent nobilissimi viri Metelli ac Scipiones, dictatoris metu ab illa suscipienda causa deterrebantur, in qua et sicariorum audacia et reipubl. mala essent deploranda. Terrebat in primis Chrysogonus ille «homo e catasta, sanguine Quiritum et proscriptionum licentia ditatus», Plin. XXXV, 18; qui Sullæ gratia ad inimicorum necem abuti posse videbatur. Sed exstitit Tullius, qui tot inimicitias suscipere non dubitans, non minore animo quam ingenio jacentem reum erexit. Noster ille juvenili elatus audacia, illaque fervens indignatione, qua bene natum pectus ad magna impellitur, quum tacerent ceteri

omnes, solus crimen in ipsos criminationis auctores retorsit; in Chrysogonum vehementissime est invectus, ita tamen, ut, dum libertum vere romana voce persequeretur, Sullam invidia purgaret, quasi ignaro illo et imprudente, tot facinora fuissent perpetrata. Conf. *Laharpe*, *Cours de Littér.* vol. III.

Causa *publica* est. Sic autem appellantur causæ, constitutæ de criminibus publicis, quæ toti reipublicæ injuriam afferunt, ad ejus perniciem valent, et quorum castigatio pertinet ad exemplum; qualia sunt ambitus, vis publicæ, de sicariis, etc. Præest huic judicio M. Fannius *quæsitor inter sicarios*, i. e. is prætor, cui hoc datum erat, ut eo anno, si quis tamquam sicarius accusaretur, de ea re quæstionem haberet ac judicaret. Prætoris vero in causis publicis illud erat munus, ut judicum, qui assidebant, sententias colligeret, et ex eorum tabulis (ut apud nos *les jurés*) pronuntiaret. (De prætore urbano plura vide ad calc. Verr. I.) Assidebant porro M. Fannio judices ex ordine senatorio, qui solus tunc judicia exercebat. Equestrem enim ordinem Sulla, lege Cornelia judiciaria, honore illo privaverat.

Acta causa est in foro, in conspectu totius populi, judicum subsellia circumstantis, A. U. C. 673, L. Cornelio Sulla II, Q. Metello Pio coss., Cicerone septimum et vigesimum annum agente.

Absolutus est S. Roscius, ut ex Plutarcho constat in Cic. vit. 3: Ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας, ἐθαυμάσθη. Et ex hac causa tantam consequutus est Cicero virtutis ac eloquentiæ laudem, ut non ulla esset causa quæ non ejus digna patrocinio videretur. Brut. 90. De Offic. II, 14. An vero in paterna bona restitutus fuerit Roscius, non liquet.

Ab hac statim causa Ciceronem profectum esse in Græciam, metu Sullæ dominantis, idem narrat Plutarchus, cui videtur Eusebius in Chronico suffragari. Sed refellit eos ipse Tullius in Bruto, cap. 91, ubi veram profectionis suæ causam aperit. Anno præterea sequente, Arretinæ mulieris libertatem contra Cottam Romæ defendit.

SYNOPSIS.

Quæstio est in genere judiciali: an Sex. Roscius patrem suum occiderit.

Partes orationis hujus sunt quinque: Exordium, 1-5. Narratio, 6-12. Par-

titio, 13. Contentio, quæ tria capita continet. 1° Refutationem objecti Roscio criminis, 14-29. 2° Audaciam duorum Rosciorum, Capitonis et Magni, in quos crimen ita confert orator, ut eos esse cædis auctores multis suspicionibus et argumentis coarguat, 30-42. 3° Chrysogoni insectationem, 43-49. Peroratio ad finem.

In Exordio, 1-5, Cicero exponit quid sit, quod quum tot summi oratores hominesque nobilissimi Roscium defendere potuissent, ipse ejus defensionem aggrediatur, qui cum illis neque ætate, neque ingenio, i. e. eloquentia, neque auctoritate sit comparandus. Illos scilicet silere, quia Chrysogoni, Sullæ liberti, potentiam timeant; eorumque neque dicta obscura esse possint, nec temere dictis concedi; ipse autem si quid liberius dixerit, vel occultum esse, vel ignosci adolescentiæ suæ posse. Præterea se rogatum esse, ut Roscium defenderet, ab iis, quorum neque benivolentiam erga se ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeat, 1. Orat deinde judices, ut attente bonaque cum venia verba sua audiant, quum ipse se de rebus tantis tamque atrocibus, neque satis commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligat. In primis eos obsecrat, ut hominis innocentissimi calamitatem misereantur, accusatorum autem audaciæ et malitiæ resistant, 2-5.

Sequitur Narratio rei gestæ prudentissime sic instituta, ut et innocentia Sex. Roscii eluceat, et cædes Roscii patris ab inimicis, qui ejus bona invaserint, perpetrata esse videatur, 6-12.

Absoluta narratione Partitionem orationis facit Cicero, 13. Ita ut primum de crimine ab accusatore conficto, deinde de Rosciorum Capitonis et Magni audacia ad quos cædes Sex. Roscii patris pertinere videatur, denique de intoleranda et perniciosa Chrysogoni potentia se dicturum ostendat.

Prima igitur parte docet Sex. Roscium a filio nec occisum esse, nec occidi potuisse; quippe qui neque causam, neque facultatem occidendi patris habuerit. Non enim esse adolescentulum corruptum, utpote qui annos quadraginta natus sit, non esse luxuriosum, non obæratum, non cupiditatibus obnoxium. Neque verum esse, quod Erucius dictitet eum patri displicuisse, aut odio fuisse; et quod exheredare pater filium voluerit, id prorsus fictum et commentitium esse, 13-19. Qua re demonstrata, Cicero digreditur ad malitiosam nonnullorum accusatorum, in his Erucii, audaciam; et calumniandi libidinem mire exagitat, 20, 21. Ubi simul ostendit, ad probandum parricidii crimen gravissimas et manifestissimas causas afferri debere, 22. Idque naturæ huic suspicioni reclamitantis testimonio, exemplo filiorum T. Clœlii, 23. Auctoritate poetarum, 24. Solonis dicto et legibus romanis de parricidarum supplicio, 25, 26, illustrat. Quem locum magnis populi clamoribus exceptum senior reprehendit Cicero (in Orat. cap. 30). Facultatem autem Sex. Roscium patris occidendi non habuisse demonstrat, quod cædem nec ipse, nec per alios sive liberos, sive servos perpetrare potuerit, 27-29.

Secunda parte Cicero ostendit cædem Sex. Roscii patris ad ejus inimicos T. Roscios Capitonem et Magnum, in primis ad Magnum, pertinere. Hunc enim tenuem, avarum, audacem, Sex. Roscio inimicissimum fuisse; itaque causas esse permultas, quæ eum ad cædem impellere potuerint, 30-32. Facultatem vero maleficii ei fuisse ostenditur, quod eo die, quo Sex. Roscius occisus est, Romæ, et quod in societate sicariorum et sectorum fuerit, 33. Denique a consequentibus demonstratur Roscios cædis auctores fuisse, quod Mallius Glaucia, Roscii Magni cliens, cædem Sex. Roscii patris Ameriam non filio, sed Capitoni nuntiaverit, quod hic Chrysogonum impulerit, ut Sex. Roscii nomen in proscriptorum tabulas referret, ejusque bonorum vilissimo pretio manceps fieret, ita ut tria prædia paullo post Capitoni daret, reliqua cum Roscio Magno communiter possideret. Denique Roscium Capitonem, quo minus legati Amerinorum Sullam adire potuerint impedivisse; Roscium Magnum vero Sex. Roscii servos in quæstionem postulatos recusare, 34-42.

Tertio loco Cicero demonstrat bona Sex. Roscii nullo jure a Chrysogono emi potuisse; quia jure venire haud potuerint, nec re vera venierint. Itaque quærit quare civis optimi bona venierint; deinde quare hominis ejus, qui neque proscriptus, neque apud adversarios occisus sit, bona venierint, quum in eos solos lex (Cornelia de proscriptis) scripta sit; deinde quare aliquanto post eam diem venierint, quæ in lege præfinita esset; denique cur tantulo venierint, 43-45. Verum tota hæc pars orationis, qua Cicero tria ista exsequutus erat, intercidit. Superest pars amplificationis, in qua Chrysogoni luxuries, potentia et superbia in odium et invidiam adducitur, 46-49.

In Peroratione petit a Chrysogono, ut Roscii filii, in summam miseriam adducti, opibus et pecunia contentus sit, sanguinem et vitam ne petat, 50, 51. Deinde judices implorat, ut Roscii innocentiam et calamitatem in sua humanitate, justitia, misericordia præsidium invenire patiantur, 52, 53.

Dicendi genus subtile est et acutum; sæpius sententiis ac ornamentis copiosius; quippe quod, ut in præcedenti oratione, nondum deferbuerat, et cujus luxuries seniore stylo erat depascenda.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PRO SEX. ROSCIO AMERINO
ORATIO.

ORATIO SECUNDA.

I. Credo ego vos, judices[1], mirari, quid sit, quod, quum tot summi oratores, hominesque nobilissimi[2] sedeant, ego potissimum surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, injuriam novo[3] scelere conflatam putant oportere defendi[4]; defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent: ita fit, ut adsint, propterea quod officium sequuntur; taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? audacissimus[5] ego ex omnibus? Minime. At tanto officiosior,

I. 1. *Judices.* Senatores intellige, ad quos Sulla judicia transtulerat.

2. *Nobilissimi.* Metelli, Servilii, Scipiones sedebant inter Roscii advocatos. — *Surrexerim.* Stantes enim et oratores in foro causam, et senatores in curia sententiam dicebant.

3. *Novo.* I. e. inaudito. Nam duo in uno scelere sunt: unum occidisse Roscii patrem, qui proscriptus non erat; alterum tam horrendum facinus misero filio affingere; ita ut revera patris occisores filium accusent.

4. *Defendi.* Propulsari. — *Iniquitatem temporum.* Sullæ potentiam, cujus offensionem metuunt.

5. Schütz ita distinguit: « Quid? ergo audacissimus ». J. V. L.

quam ceteri? Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam præreptam velim. Quæ me igitur res præter ceteros impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem[6]? Quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo; si verbum de republica fecisset, id quod[7] in hac causa fieri necesse est, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur. Ego etiamsi omnia, quæ dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. Deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse, propter nobilitatem et amplitudinem; neque temere dicto concedi[8], propter ætatem et prudentiam : ego, si quid liberius dixero, vel occultum esse, propterea quod nondum ad rempublicam accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit : tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi[9] consuetudo jam de civitate sublata est. Accedit illa quoque causa, quod a ceteris forsitan ita petitum sit ut dicerent, ut utrumvis[10] salvo officio se facere posse arbitrarentur; a me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt : quorum ego neque benivolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam.

II. His de causis ego huic causæ patronus exstiti,

6. *Reciperem. Suscipere* et *recipere* differunt : *suscipimus* sponte; *recipimus* rogati. Adnotat *Laharpe* Ciceronem semper subjicere quibus rationibus ad causam accesserit; nempe quod publicum munus erat et quoddam magistratus genus, patrocinatio, quæ secundum publicam existimationem erat habenda.

7. *Id quod.* Defendi enim Roscius non potest, nisi Chrysogonus accusetur, nec iste accusari sine Sullæ offensione.

8. *Concedi.* Si quid temere dixerint, ignosci non potest.

9. *Cognoscendi.* Non inauditum condemnandi.

10. *Utrumvis.* Ut Roscium defenderent, ita rogati sunt, ut tamen iis liberum esset aut loqui, aut tacere; quod ab illis rogati sunt quibus erant minus obligati.

non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere : neque uti satis firmo præsidio defensus Sex. Roscius, verum uti ne omnino desertus esset.

Forsitan quæratis, qui iste terror sit, et quæ tanta formido, quæ tot ac tales viros impediat, quo minus pro capite et fortunis alterius, quemadmodum consueverunt, causam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum est, propterea quod consulto ab accusatoribus ejus rei, quæ conflavit hoc judicium, mentio facta non est.

Quæ res ea est? Bona patris hujusce Sex. Roscii, quæ sunt sexagies[1] : quæ de viro fortissimo et clarissimo, L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum[2] se dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostræ civitatis, L. Cornelius[3] Chrysogonus. Is a vobis, judices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam[4], tam plenam atque præclaram, nullo jure invaserit, quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roscii obstare atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis : sese, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere : damnato et ejecto, sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum[5],

II. 1. *Sexagies*. Sub. centena millia sestertium (1,230,000 fr.)

2. *Nummum*. I. e. sestertiorum. Nam et *nummus* dicitur absolute et etiam conjuncte *nummus sestertius* (410 fr.). Plutarchus empta dicit δισχιλίων δραχμῶν, duobus millibus denariorum (1,640 fr.). Vid. Ruald. Animadvers. XXVII.

3. *L. Cornelius*. Sullæ libertus, patroni nomen de more sumpserat.

4. *Pecuniam*. Bona. Nam *pecuniæ* nomine quandoque significantur bona omnia, tam immobilia quam mobilia.

5. *Scrupulum*. *Scrupulus* est lapillus in calceo latens, qui pressus pedem offendit. Hic sumitur metaphorice pro ægritudine animi. — Loco

qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis postulat; ut ad hanc suam prædam tam nefariam adjutores vos profiteamini. Si vobis æqua et honesta postulatio videtur, judices, ego contra brevem postulationem affero, et, quomodo mihi persuadeo, aliquanto æquiorem.

III. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat: deinde a vobis, judices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis, et in causa Sex. Roscii periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis.

Quod si aut causa criminis[1], aut facti suspicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil[2] tamen in deferendo nomine sequuti; postremo si præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud causæ inveneritis, non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscii vita dedatur: sin aliud agitur nihil, nisi ut iis ne quid desit, quibus satis nihil est; si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam præclaramque prædam damnatio Sex. Roscii, velut cumulus, accedat; nonne quum multa[3] indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias jusque jurandum[4] id assequantur, quod antea ipsi scelere et ferro assequi consuerunt? qui ex civitate[5] in senatum propter digni-

« stimulat ac pungit » Ernest. « stimulet ac pungat ».

III. 1. *Causa criminis.* Accusatio parricidii.

2. *Nonnihil.* Quamdam suspicionis umbram in accusando sequuti. Accusationis initium erat nominis ad prætorem delatio. *Deferri nomen* dicitur, quum is, qui accusare vult quempiam apud prætorem, v. g. interrogat: « Aio te patrem interfecisse », ut, si neget, ejus nomen in reos referatur, et instituatur accusatio.

3. *Quum multa.* Inter tot res indignas, tum vel hoc indignissimum.

4. *Jusjurandum.* In leges jurabant judices, et religione erant obstricti.

5. *Ex civitate.* Sulla trecentis equi-

tatem, ex senatu in hoc consilium delecti[6] estis propter severitatem, ab his hoc postulare homines sicarios, atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quæ a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam ut spoliis Sex. Roscii hoc judicio ornati auctique discedant?

IV. His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo: nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor[1], quem mihi natura pudorque meus attribuit, et vestra dignitas, et vis adversariorum, et Sex. Roscii pericula. Quapropter vos oro atque obsecro, judices, ut attente, bonaque cum venia verba mea audiatis.

Fide sapientiaque vestra fretus, plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, judices: sin a vobis, id quod non spero[2], deserar, tamen animo non deficiam, et id, quod suscepi, quoad potero, perferam: quod si perferre non potero,

tibus in senatum inductis, judicia olim a C. Graccho (A. U. C. 630) romanis equitibus delata, senatui uni restituit. Quod ad prætorem Aurelium Cottam usque duravit, qui (A. U. C. 683) una cum coss. Pompeio, in judiciis equites atque ærarii tribunos senatoribus immiscuit.

6. *Delecti*. Certum judicum numerum, qui suspecti essent, rejiciebant accusator et reus. His rejectis, alios prætor subsortiebatur, quibus judicum legitimus numerus compleretur. Qui ergo judices post rejectionem relinquebantur cum iis qui per subsortitionem accesserant, dicebantur *delecti*.

IV. 1. *Summus timor*. Id a natura Ciceroni insitum fuit, ut dicendi initio maxime permoveretur. Vid. Divin. 13. Cluent. 18. Neque hunc dicendi timorem deinde aut usus, aut ætas imminuit. Cf. Dejot. c. 1, et de Orat. I, 26, ubi sub Crassi persona de se ipse ait: «in me ipso sæpissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, et tota mente atque omnibus artubus contremiscam».

2. *Non spero*. Subaud. *futurum*. Sperare enim idem est ac existimare. Vid. Duk. ad Flor. III, 1. Periz. ad Sanct. Minerv. IV, 14, 6. — *Cum fide*. Propter opinionem de fide mea.

opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. Te quoque magnopere, M. Fanni, quæso, ut, qualem te jam antea populo romano præbuisti, quum huic idem quæstioni[3] judex præesses, talem te et nobis, et populo romano hoc tempore impertias.

V. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides; quæ sit omnium mortalium exspectatio, quæ cupiditas, ut acria ac severa judicia fiant, intelligis. Longo intervallo[1] judicium inter sicarios[2] hoc primum committitur, quum interea cædes indignissimæ maximæque factæ sint. Omnes hanc quæstionem, te prætore, de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius[3] sperant futuram. Qua vociferatione in ceteris judiciis accusatores uti consueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui causam dicimus[4]. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis; ut quam fortissime hominibus audacissimis resistatis; ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tri-

3. *Quæstioni.* Id erat nomen publicis judiciis, quod in eis *quæritur,* an reus nocens sit, an innocens. Quæstionis judex erat quasi vicarius prætoris. Judices sortiebatur, in causis a prætore commissis præerat, testes audiebat, uno verbo ea omnia agebat, quæ essent cognitionis, hoc uno a prætore dissimilis, quod cum ceteris judicibus juratus sententiam ferret. Quamvis non inter magistratus id muneris adnumeraretur, ad ædilitios tamen plerumque viros pertinebat, et erat ad præturam gradus. Vid. orat. pro Cluent. 33, et Rosin. lib. IX, c. 18.

V. 1. *Longo intervallo.* Ab anno 665, quo bellum Marianum coortum est. Vid. Flor. III, 21.

2. *Inter sicarios.* Vetus locutio pro, *de sicariis.* — *Committitur.* Exercetur.

3. *Haud remissius.* Non habitum iri mollius quam antea egisti. Frustra quibusdam corruptus videtur locus. Pro *haud remissius* invenit in schol. Garat. *dimissorum*, i. e. qui impuniti hactenus dimissi fuerunt. Non feliciter.

4. *Causam dicimus.* Rei sumus, nos judicio defendimus, ut infr. 29, 30.

bunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia[5] cædes futuræ sint.

Etenim quid aliud hoc judicio tentatur, nisi ut id fieri liceat? Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt: causam dicit is, cui, præter calamitatem, nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum judicium cum præsidio[6] venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur[7]. Denique accusant ii, quos populus poscit[8]: causam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde restat.

Atque ut facilius intelligere possitis, judices, ea, quæ facta sunt, indigniora esse, quam hæc sunt, quæ dicimus, ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus; quo facilius et hujus hominis innocentissimi miserias, et illorum audaciam cognoscere possitis, et reipublicæ calamitatem.

VI. Sex. Roscius, pater hujusce, municeps Amerinus[1] fuit, cum genere, et nobilitate, et pecunia, non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile

5. *Subsellia.* Trina subsellia erant; judicum, reorum, accusatorum. *Tribunal* autem locus erat editior, ex quo, sella curuli posita, magistratus jus dicebat.

6. *Præsidio.* Significat advocatorum consessum, qui vitam Roscii defendunt.

7. *Trucidetur.* Nam adversarii ad judicium armati venerant.

8. *Poscit.* Ad supplicium propter cædes quotidianas.

VI. 1. *Municeps Amerinus.* Ex urbe Ameria, municipio romano. Municipes a munere capiendo dicuntur, qui in civitatem rom. recepti, ejus munerum erant participes. Munerum istorum ratio erat duplex. Quibus civitas cum suffragio dabatur, ii Romanis vivebant legibus, et habebant jus Romæ petendi magistratus. Quibus autem civitas data erat sine suffragio, ii suis vivebant legibus, sed a vectigalibus et ceteris oneribus erant liberi. Ea varietas mansit ad bellum sociale, hoc est, ad annum 663, quo anno

primus, tum gratia atque hospitiis[2] florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis[3], Serviliis, Scipionibus, erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo; quas, ut æquum est, familias honestatis[4] amplitudinisque gratia nomino. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum[5] filio reliquit: nam patrimonium domestici[6] prædones vi ereptum possident; fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur.

Hic quum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu[7] proximo, quum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, præter ceteros in ea vicinitate eam partem causamque opera, studio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos[8] ipse honestissimus inter suos numerabatur. Posteaquam victoria constituta est, ab armisque recessimus, quum proscri-

municipiorum jus lege Julia exæquatum est.

2. *Hospitiis*. Tantum erat apud veteres hospitii jus, ut sanguinis nexui præferretur, et Jovem illi præesse arbitrarentur. Virg. Æn. I, 734. Homer. Odyss. VI, 207.

3. *Metellis*, etc. Significatur procul dubio P. Scipio, pater illius qui postea adoptatus a Q. Metello Pio, socer fuit Cn. Pompeii; et P. Servilius, qui Isauricus est dictus. Quinam Metelli fuerint dubitatur. Certe non erat Nepos consularis, ut Manutio placet, quum c. 28 post Scipionem nominetur. Ceterum hæ tres familiæ propinquitate conjunctæ erant. Nam Servilios et Scipiones fuisse Metellarum filios, et avum illis exstitisse Q. Metellum Macedonicum auctor est Cicero in orat. post Red. et pro Domo. Vid. Burmann. ad Paterc. II, 11.

4. *Honestatis*. Vix operæ pretium est monere, numquam apud Romanos viventis cujusquam nomen citari, quin illud omni honoris specie prosequantur. De mortuis non item.

5. *Hoc solum*. Hæc pronuntians, gestum intendebat in nobiles viros S. Roscii advocatos. His autem verbis amolitur a Roscio invidiam tam frequentis ex omni nobilitate advocationis.

6. *Domestici*. Duo Titi Roscii, Sexti gentiles.

7. *Tumultu*. Hoc nomine proprie dicebatur bellum aliquod subitum, quod ob periculi magnitudinem, magnam Urbi trepidationem injiciebat. Hic bellum civile Marianum; quo tempore Cinna et Marius in Urbem recepti omnes nobiles trucidaront.

8. *Propter quos*. Propter quorum familiaritatem.

berentur[9] homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, erat ille Romæ frequens, atque in foro, et in ore omnium quotidie versabatur; magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret.

Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video; alterum tria hujusce prædia possidere audio: quas inimicitias si tam cavere potuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque enim, judices, injuria metuebat: nam duo isti sunt T. Roscii (quorum alteri Capitoni cognomen est; iste, qui adest, Magnus vocatur), homines ejusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator[10] habetur; hic autem nuper se ad eum lanistam contulit, qui, quum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.

VII. Nam quum hic Sex. Roscius esset Ameriæ, T. autem iste Roscius Romæ; quum hic filius assiduus in prædiis esset, quumque se voluntate patris rei familiari vitæque rusticæ dedisset, iste autem[1] frequens Romæ esset; occiditur ad balneas Palatinas[2], rediens a cœna, Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso[3] non esse obs-

9. *Proscriberentur*. Sulla primus, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, fixa in foro tabula, in qua erant scripta eorum nomina, quos ad cædem quæri volebat. Hi proscripti dicebantur, quasi palam scripti.

10. *Gladiator*. Sicarius (ut est pro Quint. 7) peritus et in cæde non semel versatus; ita ut victor sæpe palmam reportarit.—*Lanista* vero est ludi gladiatorii magister. — *Contulit*. Ut interficiendorum hominum scientiam edisceret.

VII. 1. *Iste autem*. Iterat idem de Roscio Magno, ut suspicionem injiciat ejus insidiarum in vitam S. Roscii; et hæc est altera causa, unde suspicio nascitur; prima vero illa, quod S. Roscii inimicus.

2. *Palatinas*. Ad Palatinum montem sitas.

3. *Ex hoc ipso*. Quod occiditur S. Roscius, quum inimicus ejus Romæ esset. Itaque supra Sextum filium Ameriæ, Titum eo tempore Romæ fuisse non semel judicibus inculcat.

curum, ad quem suspicio maleficii pertineat. Verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem culpæ judicatote.

Occiso Sex. Roscio, primus Ameriam nuntiat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus[4], cliens et familiaris istius T. Roscii; et nuntiat domum, non filii, sed T. Capitonis, inimici; et, quum post horam primam[5] noctis occisus esset, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia[6] passuum cisiis[7] pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuntium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quam recentissimum, telumque paullo ante e corpore extractum ostenderet.

Quatriduo, quo hæc gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullæ Volaterras[8] defertur; magnitudo pecuniæ demonstratur; bonitas prædiorum (nam fundos decem et tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt[9]), hujus inopia et solitudo commemoratur: demonstrant, quum pater hujusce, Sex. Roscius, homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominem, incautum, et rusticum, et Romæ ignotum, de medio tolli posse; ad eam rem operam suam pollicentur. Ne diutius vos teneam, judices, societas coitur.

4. *Libertinus.* Ex servitute manumissus, differt a vocabulo *libertus*, quod libertinus dicitur respectu ad conditionem, libertus ad dominum qui manumisit. Sic homo libertinus; Tiro Ciceronis libertus.

5. *Horam primam.* Oriente sole numerabatur hora prima diei, et sic porro usque ad XII. Tum post occasum solis rursum hora prima noctis. Inæquales inde erant horæ, quæ et diurnæ et nocturnæ duodecim semper fuerunt, dies sive longus esset, sive brevis.

6. *Sex et quinquaginta millia.* Ad nostram rationem 9 myriam. Vid. Tab. Mens. nostri Liv. vol. XII, p. 111.

7. *Cisiis.* Vehiculi gallici genus erat.

8. *Volaterras.* Confluxerant Volaterras Mariani quidam a Sulla proscripti; qui, quatuor cohortibus armatorum constitutis, per biennium toleraverunt obsidionem. Strab. V.

9. *Tangunt.* Ergo fertiliores, et ideo

VIII. Quum jam proscriptionis[1] mentio nulla fieret, et quum etiam, qui antea metuerant, redirent, ac jam defunctos sese periculis arbitrarentur, nomen refertur in tabulas Sex. Roscii, hominis studiosissimi nobilitatis; manceps[2] fit Chrysogonus; tria prædia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quæ hodie possidet; in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius, nomine Chrysogoni, quemadmodum ipse dicit, impetum facit. Hæc bona sexagies H-S emuntur duobus millibus nummum.

Hæc omnia, judices, imprudente[3] L. Sulla facta esse certo[4] scio. Neque enim mirum, quum eodem tempore et ea, quæ præterita sunt[5], et ea, quæ videntur instare, præparet; quum et pacis constituendæ rationem, et belli gerendi potestatem solus habeat; quum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet; quum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit; si aliquid non animadvertat: quum præsertim tam multi occupationem ejus observent, tempusque aucupentur, ut, simul atque ille despexerit[6], aliquid hujuscemodi moliantur. Huc accedit, quod, quamvis

meliores, quia fructus inde Romam navigiis deportari poterant.

VIII. 1. *Proscriptionis*. Kalendis enim juniis proscriptionum finis fuerat designatus; atqui S. Roscius circa septembris idus interfectus est. Vide inf. cap. 44.

2. *Manceps*. Sic dicitur qui aliquid in auctione emit, quasi *manuceps*, i. e. manu capiens, quia manu sublata, vel digito, licitationes fiebant. (Gall. *adjudicataire*.)

3. *Imprudente*. Non sciente. Oratorie et ad tempus, ut vitaret crudelissimam Sullæ offensionem. Constat enim multos qui nihil negotii cum eo habuerant, ipso connivente, fuisse obtruncatos. Vid. Val. Max. IX, 2.

4. Rectius quam *certe*. J. V. L.

5. *Ea, quæ præterita sunt*. Sub. corrigat, *reparet*. Sæpe enim idem verbum duobus nominibus ita adjicitur, ut alterutri tantum conveniat. Sic ad Att. X, 4: « horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur ».

6. *Despexerit*. Oculos alio rejecerit; quod faciunt qui somno oppressi, oculos demittunt, vel alicui rei attendere desinunt.

ille felix[7] sit, sicut est, tamen in tanta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminem neque servum, neque libertum improbum habeat.

Interea iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit; in prædia hujus invadit; hunc miserum, luctu perditum, qui nondum etiam omnia paterno funeri justa[8] solvisset, nudum ejicit domo, atque focis patriis diisque penatibus præcipitem, judices, exturbat; ipse amplissimæ pecuniæ fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Multa palam domum suam auferebat; plura clam de medio removebat; non pauca suis adjutoribus large effuseque donabat; reliqua, constituta auctione, vendebat.

IX. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur: mors hominis florentissimi, Sex. Roscii, crudelissima; filii autem ejus egestas indignissima, cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem[1] ad sepulcrum patrium reliquisset; bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio, furta, rapinæ, donationes. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscii, viri optimi atque honestissimi, bonis jactantem se, ac dominantem T. Roscium.

7. *Felix*. Ob perpetuos rerum successus, Sulla sibi cognomen *Felicis* adscivit, filiumque *Faustum* appellavit. Imo senatus ei pro Rostris statuam equestrem auream posuit hoc titulo: L. CORNELIO SVLLAE IMPERATORI FORTVNATO. De quo Plinius: « unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi nomen asseruit L. Sulla, civili nempe sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset! »

8. *Justa*. I. e. omne funerandi officium. Quæ pietas erga mortuos erat justitiæ genus.

IX. 1. *Ne iter quidem*. Sepulcra olim erant aut propter vias publicas, aut in agris; et ad ea iter necesse erat, propter religionem. Unde in vendendis prædiis jus itus, aditus, ambitus,

Itaque decurionum[2] decretum statim fit, ut decemprimi proficiscantur ad L. Sullam, doceantque eum, qui vir Sex. Roscius fuerit; conquerantur de istorum scelere et injuriis; orent, ut et illius mortui famam, et filii innocentis fortunas conservatas velit. Atque ipsum decretum, quæso, cognoscite. DECRETUM DECURIONUM. Legati in castra veniunt. Intelligitur, judices, id quod jam ante dixi, imprudente L. Sulla scelera hæc et flagitia fieri: nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat[3] iis, qui peterent, ne ad Sullam adirent, et omnia Chrysogonum, quæ vellent, esse facturum pollicerentur. Usque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. Homines antiqui[4], qui ex sua natura ceteros fingerent, quum ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de tabulis exempturum, prædia vacua[5] filio traditurum; quumque id ita futurum T. Roscius Capito[6], qui in decem legatis erat, adpromitteret[7], crediderunt: Ameriam re inorata reverterunt. Ac primo rem differre quotidie ac procrastinare illi cœperunt;

funeris faciendi causa, venditori nominatim excipiebatur; et sæpius in veterum tumulis inscriptum illud reperitor: ADITVS. LIBER. EXCEPTVS. EST. Ceterum illod juris Roscio ademptum erat, qnod venditio facta erat non Roscii, sed Sullæ nomioe.

2. *Decurionum. Decuriones* erant in monicipiis et coloniis quod Romæ senatores. Sic dictoa eos foisse ait Poioponius Digest. L, 239, § 5, quod iuitio, quum colòoiæ dedocerentur, decima pars earum, consilii publici gratia, describeretur.—*Decemprimi* aotem erant decuriooes primi decem, qnorum in admioistranda civitate præcipua erat auctoritas.

3. *Allegat.* Privatim ad illos mittit.

4. *Antiqui.* Antiqua fide et virtote. Sic ad Att. IX, 18: « vide quam sim aotiquorum hominum ». Sic Græcia ἀρχαῖοι, παλαιοί.

5. *Vacua.* I. e. noiversa, tota. Formula apud JCtos usitata, qua significamos nos de nostro jore, deqne possessiooe decedere, et omnino vacuam alteri tradere. Ne enim *vacua* eodem sensu iotelligas, qno seqnior ætas dixit *vacantia.*

6. *Capito.* Unus eoim erat e primariis decorionibos.

7. *Adpromitteret. Adpromissor* est, qni, quod alter suo nomine promisit, idem pro eo quoque promittit. FEST.

deinde aliquanto lentius; nihil agere, atque deludere; postremo, id quod facile intellectum est, insidias vitæ hujusce Sex. Roscii parare; neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere.

X. Quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit, et sese ad Cæciliam[1], Nepotis filiam, quam honoris causa nomino, contulit, qua pater usus erat plurimum: in qua muliere, judices, etiam nunc, id quod omnes semper existimaverunt, quasi exempli causa[2], vestigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roscium inopem, ejectum domo, atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela et minas, recepit domum; hospitique[3] oppresso jam, desperatoque ab omnibus, opitulata est. Ejus virtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos[4] referretur.

Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri, neque sibi ullam cædis faciendæ potestatem dari, consilium ceperunt plenum sceleris et audaciæ, ut nomen hujus de parricidio deferrent; ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem[5] compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio; denique, ut, quoniam crimine non poterant, tempore[6] ipso pugnarent. Ita loqui homines: Quod judicia tam diu facta non es-

X. 1. *Cæciliam*. Metellam, Q. Cæcilii Metelli Nepotis filiam, Sullæ uxorem, quam ille constanter coluit, et cujus victus precibus, Roscium judicio defendi contra Chrysogonum passus est. Vid. Indic. Histor.

2. *Exempli causa*. Ut quasi testimonio sit olim fuisse homines tanto officio, et probitate præditos.

3. *Hospitique*. Supra dixit S. Roscio patri hospitii necessitudinem fuisse cum Metellis.

4. *In proscriptos*. Ut pater, qui posteaquam interfectus est, in proscriptos est relatus.

5. *Veterem*. Multis in accusationibus versatum; quod invidiosum erat.

6. *Tempore*. Temporis uterentur opportunitate. Sic inf. 13, « potentia pugnat ».

sent [7], condemnari eum oportere, qui primus in judicium adductus esset; huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos; de bonorum venditione, et de ista societate verbum esse facturum neminem; ipso nomine parricidii et atrocitate criminis fore, ut hic nullo negotio tolleretur, quum a nullo defensus esset. Hoc consilio, atque adeo hac amentia impulsi, quem ipsi, quum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt.

XI. Quid primum querar? aut unde potissimum, judices, ordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium, populine romani, vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta; filii vita infesta [1], sæpe ferro atque insidiis appetita: quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? Tamen hæc aliis nefariis cumulant atque adaugent; crimen incredibile confingunt; testes in hunc et accusatores hujusce pecunia comparant; hanc conditionem misero ferunt, ut optet [2], utrum malit cervices Roscio [3] dare, an insutus in culeum [4] per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt; desunt: qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto, judices. Et forsitan in suscipienda causa temere, impulsus adolescentia, fecerim: quoniam quidem semel

7. *Facta non essent*. Apparet inde hoc primum publicum judicium fuisse, ex quo tempore Sulla dictaturam obtinebat.

XI. 1. *Infesta*. Periculo obnoxia. *Infestus* ancipiti significatione, tam de eo dicitur qui malum infert, quam de eo cui infertur. A. Gell. IX, 12.

2. *Ut optet*. Ut eligat. Hinc *optio* potestas eligendi.

3. *Roscio*. Magno, qui hic adest.

4. *I. i. culeum, supplicium parricidarum*. Glossam Lamb. sustulit. J. V. L. — De hoc vid. infr. 24, 25.

suscepi, licet, hercules, undique omnes in me terrores, periculaque impendeant[5] omnia, succurram, atque subibo. Certum est, deliberatumque, quæ ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum libenter, audacter, libereque dicere: nulla res tanta exsistet, judices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides. Etenim quis tam dissoluto animo est, qui, hæc quum videat, tacere ac negligere possit? Patrem meum, quum proscriptus non esset, jugulastis; occisum in proscriptorum numerum retulistis; me domo mea per vim expulistis; patrimonium meum possidetis. Quid vultis amplius? Etiamne ad subsellia cum ferro[6] atque telis venistis, ut hic aut juguletis, aut condemnetis[7] Sex. Roscium?

XII. Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate, C. Fimbriam[1], et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is quum curasset, in funere C. Marii[2], ut Q. Scævola[3] vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostræ civitatis (de cujus laude neque hic locus est ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus romanus memoria retinet),

5. Græv. « impendant, succurram atque omnia subibo ». Male.

6. *Cum ferro*. Vid. sup. cap. 5.

7. *Condemnetis*. Per vim damnandum curetis.

XII. 1. *C. Fimbriam*. De Fimbria sic loquitur Cic. in Bruto: « omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato; ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus ». C. Fimbria L. Flaccum, cujus erat legatus in Asia, interfecit, et imperium ad se transtulit. Ab exercitu postea desertus, Pergami, in templo Æsculapii, sua et servi manu, ipse est interfectus.

2. *Funere C. Marii*. Qui mense primo consulatus septimi decessit, A. U. C. 667.

3. *Q. Scævola*. Pontifex maximus, ad quem juris civilis studio M. Tullius se contulit adolescens. In funere Marii vulneratus, et triennio post, Carbone et Mario coss. in vestibulo ædis Vestæ trucidatus est jussu L. Damasippi prætoris. Cic. de Nat. Deor. III, 32. Vell. II, 26. Oros. V, 20. Damasippus autem, victoria constituta, L. Sullæ jussu est interfectus.

diem Scævolæ dixit[4], posteaquam comperit eum posse vivere. Quum ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset: aiunt, hominem, ut erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset; quo populus romanus nihil vidit indignius, nisi ejusdem viri mortem, quæ tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit[5] et afflixerit; quos quia servare per compositionem[6] volebat, ipse ab iis interemptus est.

Estne hoc[7] illi dicto atque facto Fimbriæ non simillimum? Accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus vestris effugit, quia se occidi passus non est. Illud quia in Scævola factum est, magis indignum videtur; hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum? Nam, per deos immortales! quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? Totam causam, judices, explicemus, atque ante oculos expositam consideremus: ita facillime, quæ res totum judicium contineat[8], et quibus de rebus nos dicere oporteat, et quid vos sequi conveniat, intelligetis.

XIII. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent hoc tempore Sex. Roscio, crimen adversariorum, et audacia, et potentia. Criminis confectionem accusator Erucius suscepit; audaciæ partes

4. *Diem dixit.* Ad populum accusare, privati hominis non erat, sed proprie tribonorum plebis, quo tum in magistratu Fimbriam fuisse credamus. Vid. Val. Max. IX, de factis sceleratis.

5. *Perdiderit.* Quia illo exstincto invasit proscriptio; qoum ille vivus forte composuisset conditionibus intestina hæc bella et sic cives servasset. Ernestios verba loco mota suspicatur. Frustra.

6. *Compositionem.* Conciliationem.

7. *Hoc.* Factnm adversariorum nostrorom.—Rufinian. habet « Fimbriano simillimum », quæ lectio Ruhnkenio placet.

8. *Contineat.* Qnod capot sit judicii, de quo sit judicandum.

Roscii sibi poposcerunt; Chrysogonus autem is, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur[1] est? non eodem modo de omnibus, ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus romanus imposuit: ego crimen[2] oportet diluam; vos et audaciæ resistere, et hominum ejusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exstinguere atque opprimere debetis.

Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales! ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa[3] esse videantur! Etenim si, id quod præclare a sapientibus dicitur, vultu[4] sæpe læditur pietas; quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, jura divina atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro[5] exstitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur, quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne et audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, et mores feros, immanemque naturam, et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profli-

XIII. 1. *Quid igitur est?* Quid ergo? ideone de omnibus eodem modo loquar? Non ita: nam prima res, etc. —Frustra obscurus Hotomanno videtur locus.

2. *Crimen*. Criminationem.

3. *Complexa*. Præter consuetudinem, in patiendi significatione, pro « comprehensa ». Vid. Priscian. pag. 791, ed. Putsch.

4. *Vultu*. Importuno, qualis solet esse indignantium.

5. *Raro*. Romæ per annos sexcentos quinquaginta a Romuli temporibus nemo inventus est qui scelus tam immane perpetrasset. Primus omnium Publicius Malleolus, ob matrem interemptam, insutus culeo in mare est præcipitatus A. U. C. 652. Vide T. Liv. Epit. LXVIII. Rhet. ad Her. I, 13. Oros. V, 3.

gata[6] atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne objiciendi quidem causa, contulisti.

XIV. Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adolescentulus corruptus, et ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis[1] quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, et sæpe in cæde versatus? At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, et æris alieni magnitudo, et indomitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cum dixit hunc ne in convivio[2] quidem ullo fere interfuisse: nihil autem umquam debuit: cupiditates porro quæ possunt esse in eo, qui, ut ipse accusator objecit, ruri semper habitarit, et in agro colendo vixerit? quæ vita maxime disjuncta est a cupiditate, et cum officio conjuncta.

Quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio objecit[3]? Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? Quam ob causam? necesse est enim, eam quoque justam, et magnam, et perspicuam fuisse. Nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis et maximis causis; sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, et magnis, et necessariis.

Rursus igitur eodem revertamur, et quæramus, quæ tanta vitia fuerint in unico[4] filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur

6. *Profligata.* Deducta. De verbo *profligare* consulendus A. Gellius, XV, 5.

XIV. 1. *Magis.* Sic latine dici negat Græv. Cur neget, nescio. Neque enim *magis natus* intellig. est, sed « annos natus magis quam XL ». Idem h. l. sonat ac *amplius quam*. Et de quantitate usurpatur, ut sæpe *plus, amplius.*

2. *In convivio.* De Romanorum intemperantia, vide Athen. IV.

3. *Objecit.* I. e. injecit. Sic T. Liv. XXIX, 8. Sic « mortem offerre » in Vatin.

4. *Unico.* Pondus est hoc in verbo. Necesse est enim ingentia sint in unico filio vitia, ut parentum suorum in odium incurrat.

amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus[5]. Ergo illud jam perspicuum profecto est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse.

XV. Nescio, inquit, quæ causa odii fuerit; fuisse odium intelligo: qui antea, quum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse; hunc in prædia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usu venit in causa optima. Ille, quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat; ego, res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum.

Quid ais, Eruci? tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo, relegationis ac supplicii gratia, colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? patresfamilias, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis[1], ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire, et in prædiis colendis operæ plurimum studiique consumere?

An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam[2]? ut commodis omnibus careret? Quid? si constat, hunc non modo colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse, tamenne hæc attenta[3] vita, et rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur? Vides, Eruci,

5. *Constantissimus*. Qui vel maxime sibi constabat animo.

XV. 1. *Illius ordinis*. Suorum municipiorum ditissimi ac nobilissimi, qualem fuisse S. Roscium dixit.

2. *Ad villam*. In villa. Sic Verr. I: « hæc duo signa quæ nunc ad impluvium tuum stant », i. e. in impluvio.

3. *Attenta*. Subaud. *ad rem*. Integra locutio apud Terent. Adelph. V, 8: « attenti ad rem nimium in senectute sumus », i. e. nimium parci.

quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque a veritate. Quod consuetudine patres faciunt, id, quasi novum, reprehendis; quod benivolentia fit, id odio factum criminaris; quod honoris causa pater filio suo concessit, id eum supplicii causa fecisse dicis. Neque hæc tu non intelligis; sed usque eo, quid arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium.

XVI. At enim [1], quum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Quæso, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi causa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo [2] nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset, at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes. Eo accessit studium doctrinæ, ut ne a literis quidem alienus esses. Ecquid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Cæcilianus [3] minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum, Chærestratum (nam, ut opinor, hoc nomine est)? alterum in urbe secum honoris causa habere? alterum rus supplicii causa relegasse? Quid ad istas ineptias abis? inquies. Quasi vero [4] mihi difficile sit quamvis multos nominatim proferre, ne longius abeam, vel tribules [5], vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt. Verum

XVI. 1. *At enim.* Objectio cujus sensus est: Si tu ex incerto patre natus, nescis quis sit patrius in liberos amor, tamen vel literis scire potuisti, a quibus non es alienus, quemadmodum filios patres diligant.

2. *Certo.* Legitimo. A matris infamia mordet Erucium.

3. *Cæcilianus.* Inductus a Cæcilio, qui, poeta comicus, Romæ florebat, Ennii temporibus, circa annum 180 ante Christum.

4. *Quasi vero.* Subjectio. Quasi penuria exemplorum ad fabulas decurrerim; non mihi difficile, etc.

5. *Tribules.* Qui ex eadem tribu

homines notos sumere odiosum est, quum et illud incertum sit, velintne hi sese nominari; et nemo vobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus; et certe ad rem nihil intersit, utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominem. Etenim hæc conficta[6] arbitror a poetis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostræ vitæ quotidianæ videremus. Age nunc, refer animum, sis[7], ad veritatem, et considera non modo in Umbria atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis, quæ studia a patribusfamilias maxime laudentur : jam profecto te intelliges, inopia criminum, summam laudem Sex. Roscio vitio et culpæ dedisse.

XVII. At non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt; sed permultos et ego novi, et, nisi me fallit animus, unusquisque vestrum[1], qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet; vitamque hanc rusticam, quam tu probro et crimini putas esse oportere, et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur. Quid censes[2] hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus? Ut ex his propinquis ejus, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior[3] es, quam hic in suo. Verum, ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit, et

sunt mecum, et vicini urbis Arpini, meæ patriæ.

6. *Conficta*. Dixerat jam antea Livius Andronicus, qui primus apud Latinos docuit comœdias et tragœdias, « comœdiam esse quotidianæ vitæ speculum ». — Loco *videremus* edit. Venet. *videamus*.

7. *Sis*. Si vis : verbum comicum.

XVII. 1. *Unusquisque vestrum*. Subaud. *novit*.

2. *Quid censes*. Trajectio Ciceroni non insolens. Ordo vult ut verbum *censes* collocetur post *esse*; et ut prima vox *Quid* pronuntietur per interrogationem : *Quid ?* Sic de Orat. I, 27. Agrar. II, 17, etc.

3. *Callidior*. Peritior, exercitatior.

artificium obliviscatur, et studium deponat, licebit[4]. Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen æquo animo, judices, si per vos vitam et famam potest obtinere. Hoc vero est, quod ferri non potest, si et in hanc calamitatem venit propter prædiorum bonitatem et multitudinem; et, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi : ut parum miseriæ sit, quod aliis coluit, non sibi; nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.

XVIII. Næ tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, quum ab aratro[1] arcessebantur, qui consules fierent. Etenim, qui præesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Attilium[2], quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum[3] judicares. At hercule majores nostri longe aliter et de illo, et de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima tenuissimaque republica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant : quibus rebus[4], et agris, et urbibus, et nationibus, rempublicam atque hoc imperium, et populi romani nomen auxerunt.

Neque ego hæc eo profero, quo[5] conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quærimus; sed ut illud intelli-

4. *Licebit.* Vehemens ironia, ex qua mox in vividissimam assurgit indignationem orator.

XVIII. 1. *Ab aratro.* De his plura vide apud Plin. maj. VIII, 4. A. Gell. IV, 12. Columell. præfat. *Viatoribus* autem nomen erat iis qui antiquitus Romanos proceres ex villis et agris suis arcessebant.

2. *Attilium.* Qui a serendo Serranus dictus est. Virgil. Æn. VI, 844. Consul fuit A. U. C. 496, et de Pœnis eodem anno triumphavit.

3. *Inhonestissimum. Honestus* dicitur qui honoribus seu dignitatibus quas aut ipse, aut majores ejus sunt assequuti, est insignis. Contra *inhonestus*, vilis et abjectæ sortis homo; vilis operarius.

4. *Rebus.* Artibus.

5. *Quo.* Elegantius pro *quod.* Sic orat. pro Quint. 11.

gatur, quum apud majores nostros summi viri, clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reipublicæ sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ temporisque consumpserint, ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, quum ruri assiduus semper vixerit: quum præsertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi jucundius, aut revera honestius facere posset.

Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc ruri esse patiebatur: numqnid est aliud? Imo vero, inquit, est: nam istum exheredare in animo habebat. Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse, atque inepta. Convivia cum patre non inibat: quippe qui in oppidum[6] quidem, nisi perraro, veniret. Domum suam istum non fere quisquam vocabat: nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus[7] esset.

XIX. Verum hæc quoque tu intelligis esse nugatoria. Illud, quod cœpimus, videamus; quo certius argumentum odii reperiri nullo modo potest. Exheredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de causa; quæro, qui[1] scias: tametsi te dicere atque enumerare causas omnes oportebat; et id erat certi[2] accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret; ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo; ut

6. *Oppidum.* Ameriam.

7. *Revocaturus. Revocare* est eum, a quo vocatus ad convivium fueris, vicissim invitare. Vid. Phæd. I, 26. Lactant. VI, 12, et Martial. III, 27: « Numquam me revocas, venias quum sæpe vocatus: Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas ».

XIX. 1. *Qui.* Quomodo.

2. *Certi.* Fide digni, cui merito credas, quia certis argumentis accusationem suam probat.

denique patrem esse sese oblivisceretur: quæ sine magnis hujusce peccatis accidere potuisse non arbitror.

Verum concedo tibi, ut ea prætereas, quæ, quum taces, nulla esse concedis. Illum quidem voluisse exheredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commode, ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, hujus miseri fortunis, et horum virorum talium[3] dignitati illudere. Exheredare filium voluit: quam ob causam? Nescio. Exheredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? cui dixit? Nemini. Quid est aliud, judicio, ac legibus, ac majestate vestra abuti ad quæstum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id objicere, quod planum facere non modo non possis[4], verum ne coneris quidem? Nemo nostrum est, Eruci, quin sciat, tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse: vident omnes, qua de causa huic inimicus venias; sciunt hujusce[5] pecunia te adductum esse. Quid ergo est? ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem, et legem Remmiam[6] putares aliquid valere oportere.

XX. Accusatores[1] multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. Inno-

3. *Virorum talium*. Judicum, quibus illudere videris.

4. *Non possis*. Modus efferendi potentialis, qui non ad Erucium refertur, sed generatim usurpatur, quasi dicat «non possit aliquis». Judices enim alloquitur, ut apparet ex verbis «majestate vestra».

5. *Hujusce*. T. Roscii Magni, qui hic adest, pecunia corruptum, ad accusandum S. Roscium descendisse.

6. *Remmiam*. De calumniatoribus. Vide Ind. Legum. Olim «Memmiam», vitiose.

XX. 1. *Accusatores*. Accusatorum Romæ triplex genus: nempe adolescentium, qui gloriæ spe, potentissimum quemque accusabant. Alterum genus fuit virorum fortium et in arte oratoria jam confirmatorum, qui aut privati odii causa, aut reip. studio adducti, alios persequebantur. Ter-

cens est quispiam : verumtamen[2], quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. Tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere : quum enim aliquid habeat, quod possit criminose ac suspiciose dicere, aperte ludificari et calumniari sciens non videatur. Quare facile omnes patimur esse quam plurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Utilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere. Anseribus[3] cibaria publice locantur, et canes[4] aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. At fures internoscere non possunt : significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint; et quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant[5], quæ est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, quum deos salutatum aliqui venerint; opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, quum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo cla-

tium deniqoe eorum qui accusatoriam vivebant vitam, improbam mercedem ex aliena calamitate quærentes. Hi *quadruplatores* appellati, qood quartam booorum partem ejûs qui fuerat damnatus, conseqoebantur; postea Cæsarum temporibus *delatores* dici cœperunt. Sullanis vero temporibus ita pollutum fuerat accusatoris nomen, ut nemo illud, nisi pravissimus qoisque usurparet.

2. Schütz leg. « verum, q. etc. », ut molestam repetitionem tollat. J. V. L.

3. *Anseribus*. Quorum clangore noctu ascendentes in Capitolium Galli proditi sont. T. Liv. V, 47. Virg. Æn. VIII, 655. Et Plin. XX : « Est et anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus caoum silentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anserom censores io primis locaot ».

4. *Canes aluntur*. Hoc, inquit Manutius, nulla traditur historia; et Hotomanno falsum videtor. Verum quis dubitet de Ciceronis fide? Neque enim quod canes silentio suo semel Capitolium prodidissent, idcirco ejiciendi erant, fidissimi ceteroquin custodes. Satis pœnarum dabant aliqui eorum quotannis in sambucea arbore fixi, in pristinæ oblivionis soppliciam. Plin. XXIX, 4.

5. *Peccant*. Ea parte peccant, quæ est magnæ diligentiæ indicium.

mant, nocere non possunt; alii canes[6], qui et latrare et mordere possunt. Cibaria[7] vobis præberi videmus; vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur : hoc populo gratissimum est. Deinde, si voletis, etiam tum, quum verisimile erit aliquem commisisse[8], in suspicione latratote : id quoque concedi potest. Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis; crura quidem vobis nemo suffringet[9] : sed si ego hos bene novi, literam illam[10], cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eas omnes[11] oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas[12] vestras, accusare possitis.

6. *Alii canes.* Apposite Cicero hos canibus assimilat, tum ob impudentiam, unde et cynici philosophi, tum in primis quod omni eloquentia destituti, *latrarent* verius quam causas orarent. Vid. Verr. III, 11. Senec. de Brev. vit. 11. Colom. præf. lib. I.

7. *Cibaria.* Nempe in præmium accusationis, quartam partem bonorum ejus, qui fuerat damnatus, consequebantur.

8. *Commisisse.* Subaud. *aliquid.*

9. *Suffringet.* De crurifragii pœna, vide Senec. de Ira, III, 18. Ceterum fuit pæne servile supplicium, canibus aptissimum, quamvis eis vere crura non frangerentur. Vid. Gruter. in Plaut. Mil. II, 2.

10. *Literam illam.* Nempe literam *K*, quæ calumniatorum fronti inurebatur. *Kalumnia* enim tum scribebatur.

11. *Eas omnes.* Subaud. *literas.* Jocus ex ambiguo in hostes humanitatis et doctrinæ qui clamatores sunt, non oratores, canes non homines; qui in exsilium et ad mortem doctrinam omnem projecisse velint. In quibusdam MSS legitur « kal. omnes », quæ erat Pighii Vossiique conjectura. Sic autem explicatur : Accusatores literam *K*, i. e. ejus literæ inustionem tantopere timere, ut etiam kalendas omnes oderint, quod ea litera scribantur. Erit quoque jocus, quod kalendis creditores æs alienum exigant, unde ab Horatio *tristes* vocantur, ab Ovidio *celeres*, quod citius recurrant. Magno se nomine duæ interpretationes tuentur, quum priori Hotomann. Lambin. Græv. posteriori vero Pigh. Vossius, Garaton. faveant. Mihi prior magis arridet, eo quod sibi universos fere MSS habeat, et magis cum Ciceronis ingenio consentire videatur. Neque contra eam facit, quod supra Erucium a literis non alienum dixit ; quum nunc de omnibus generatim accusatoribus loquatur, qui et virtutem et doctrinam eodem prosequebantur odio.

12. *Fortunas.* Malam vestram for-

XXI. Quid mihi ad defendendum dedisti[1], bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? Ne exheredaretur, veritus est. Audio : sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo. Planum fac. Nihil est : non[2], quicum deliberarit, quem certiorem fecerit, unde istud vobis suspicari in mentem venerit. Quum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis? ego, quid acceperim, scio; quid dicam, nescio : unum illud spectavi, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum; de bonorum emptione, deque ea societate neminem esse qui verbum facere hoc tempore auderet. Hæc te opinio falsa in istam fraudem impulit : non mehercule verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. Operæ pretium erat, si animadvertistis, judices, negligentiam[3] ejus in accusando considerare. Credo, quum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quæsisse, num ille aut ille defensurus esset; de me ne suspicatum quidem, quod antea causam publicam[4] nullam dixerim : posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent, ita negligens esse cœpit, ut, quum in mentem veniret ei, resideret; deinde spatiaretur[5]; nonnumquam etiam puerum vocaret, credo, cui cœnam impe-

tandem tunc solummodo accusandi vobis erit locus. Quem enim judex calumniatorem pronuntiaverat, is amplius accusare non poterat. Ludit orator in verbo *accusare*. Nam accusare nostras fortunas dicimur, quum de eis querimur.

XXI. 1. *Dedisti*. Dixisti quod a me sit refellendum.

2. *Non*. Scil. planum facis.

3. *Negligentiam*. Hinc illud Ciceronis in M. Callidium, qui, quum indicia mortis se comperisse manifesto diceret, solute tamen et oscitanter egerat : «Tu istuc Callidi, nisi fingeres, sic ageres».

4. *Causam publicam*. Non semel jam causas oraverat Cicero (ut pro Quint. videre est cap. 1), sed tantum in privatis judiciis. *Publicam* vero *causam*, i. e. quæ de his habetur criminibus quorum castigatio ad remp. pertinet, nullam antea gesserat.

5. *Spatiaretur*. Causas æquo in loco dicebant, et interdum inambulabant in spatio quod inter advocato-

raret : prorsus ut vestro consessu, et hoc conventu, pro summa solitudine abuteretur.

XXII. Peroravit aliquando[1]; assedit; surrexi ego: respirare visus est, quod non alius potius diceret. Cœpi dicere. Usque eo animadverti, judices, eum jocari, atque alias res agere[2], antequam Chrysogonum nominavi; quem simul atque attigi, statim homo se erexit: mirari visus est: intellexi, quid eum pupugisset. Iterum ac tertio nominavi. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt, credo, qui Chrysogono nuntiarent, esse aliquem in civitate, qui contra voluntatem ejus dicere auderet; aliter causam agi, atque ille existimaret; aperiri bonorum emptionem; vexari pessime societatem; gratiam[3] potentiamque ejus negligi; judices diligenter attendere; populo rem indignam videri.

Quæ quoniam te fefellerunt, Eruci, quoniamque vides versa esse omnia; causam pro Sex. Roscio, si non commode, at libere dici; quem dedi[4] putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, vides judicare : restitue[5] nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam; confitere te huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non judicium futurum. De parricidio[6] causa dicitur : ratio ab accusatore red-

rum subsellia reliquum erat. Sic Quintil. «ambulantem loqui ita demum oportet, in causis publicis, in quibus multi sunt judices, si quod dicimus, quasi singulis peculiariter inculcare velimus». At paullo post «Ciceroni raro incessum, neque ita longum probari» subjicit.

XXII. 1. *Aliquando*. Tandem.

2. *Alias res agere*. Sic dicuntur qui non attendunt.

3. *Gratiam*. Apud Sullam tunc rerum potientem. — *Potentiam*. Apud judices.

4. *Dedi*. Tradi.

5. *Restitue*. Ostende veterem tuam calliditatem; dic aliquid nunc dignum te : confitere te antea oscitanter egisse, quod, etc. Interpolari vult Hotom. «aut confitere t. h.», quod recentiores edd. recepere; sed non necessario.

6. *De parricidio*. Magnum scelus non temere, aut sine causa creditur.

dita non est, quam ob causam filius patrem occiderit.

Quod in minimis noxiis[7], et in his levioribus peccatis, quæ magis crebra et jam prope quotidiana sunt, maxime et primum quæritur, quæ causa maleficii fuerit, id Erucius in parricidio quæri non putat oportere: in quo scelere, judices, etiam quum multæ causæ convenisse unum in locum, atque inter se congruere videntur, tamen non temere[8] creditur, neque levi conjectura res penditur, neque testis incertus auditur, neque accusatoris ingenio res judicatur. Quum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur necesse est; neque audacia solum, sed summus furor atque amentia : hæc quum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris vestigia[9], ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. Quæ nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest.

Magna est enim vis humanitatis; multum valet communio sanguinis; reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura : portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos[10] hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce

Parricidium est magnum scelus. Ergo, etc. Hactenus a Roscii persona probavit, causam parricidii non fuisse; jam argumentatur a re ipsa.

7. *Noxiis. Noxia* est leve peccatum. *Noxa*, pœna peccati. Hinc aliquem noxæ tradere, idem est, ac eum pœnæ tradere. Vid. Florid. de Latin. ed. Duker. p. 8, et Sanctii Minerv. IV, 4.

8. *Non temere*, Non nisi confessos, parricidarum supplicio affici, moris fuisse observat Sueton. in Augusto, cap. 33.

9. *Vestigia*. Argumenta certa, quæ judices ad verum ducant.

10. Facciol. *per quos*. J. V. L. — Non vero immutari locum necesse. Sæpius apud Ciceronem *propter* eodem sensu quo *per* usurpatur. Sic pro Milone, 22, «propter quos vivit», i. e. quorum opera. Et ead. orat. 30: «lugere eum, propter quem ceteri lætarentur».

privarit; quum etiam feras[11] inter sese partus, atque educatio, et natura ipsa conciliet.

XXIII. Non ita multis ante annis, aiunt, T. Cœlium[1] quemdam Tarracinensem, hominem non obscurum[2], quum cœnatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inventum esse mane jugulatum. Quum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret; id[3] ætatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt. Quid postea[4]? erat sane suspiciosum, neutrum sensisse; ausum autem esse quemquam se in id conclave committere, eo potissimum tempore, quum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent. Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen quum planum judicibus esset factum, aperto ostio, dormientes eos repertos esse, judicio absoluti adolescentes, et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, quum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset[5]; propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

XXIV. Videtisne, quos[1] nobis poetæ tradiderunt,

11. *Quum etiam feras.* Vid. de Offic. I, 4.

XXIII. 1. *T. Cœlium.* Sunt qui legant « T. Clœlium », ut apud Valer. Max. qui totam hanc narrationem desumpsit, VIII, 1, 13.

2. *Non obscurum.* In patria, sed Romæ incognitum, ut ex verbo *quemdam* apparet.

3. *Id ætatis.* Ea ætate. Græca locutio apud Latinos usitata.

4. *Quid postea?* Varie legitur h. l. in MSS, in quorum uno est: « quid poterat enim tam suspiciosum esse, aut neutrum sensisse, aut ausum »; in altero, « quod poterat satis esse suspiciosum, aut neutrum, etc. » Ceterum nihil ad sensum, qui per se patet.

5. Ernest. *posset.* J. V. L.

XXIV. 1. *Quos.* Orestem designat, qui in patris ultionem, matrem interfecit; et Alcmæonem, qui, ob patrem

patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumpsisse, quum præsertim deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent furiæ, neque consistere usquam patiantur, quod ne pii[2] quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, judices. Magnam vim, magnam necessitatem[3], magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite[4] enim putare, quemadmodum in fabulis[5] sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, et suus terror[6] maxime vexat; suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes, conscientiæque[7] animi terrent: hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ; quæ dies noctesque parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetant. Hæc magnitudo maleficii facit, ut, nisi pæne manifestum parricidium proferatur, credibile non sit[8]; nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitiis vita in-

Amphiaraum proditum, matrem Eriphylen occidit.

2. *Pii.* Quum jussis deorum parerent, et patrem ulciscerentur.

3. *Necessitatem.* H. l. est conjunctio sanguinis, et parentibus debitum officium, aliter *necessitudo*. Vide Manut. ad Div. II, 19.

4. *Nolite enim.* Sic de Leg. I: « At vero scelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio est. Itaque pœnas luunt non tam judiciis, ut eos agitant insectanturque furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ fraudisque cruciatu ». Conf. Pis. 20.

5. *In fabulis.* Tragœdiis. Fabularum enim nomine Latini æque et tragœdias et comœdias appellant.

6. *Suus terror.* Terror qui ex animo sibi sceleris conscio proficiscitur. Sic Juvenal. « diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit », quem conf. Sat. XIII.

7. *Conscientiæque.* Casus pluralis animadversione dignus, quamvis apud Ciceronem non semel inveniatur.

8. *Credibile non sit.* Persæ pro notho et spurio habebant, si quis apud eos parricidii accusabatur; rati maleficium tam nefarium in eum, qui vere esset filius, cadere non posse. Herod. I, 137.

quinata, nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternæ metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: pæne dicam, respersas manus sanguine paterno judices videant oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum, credituri sint. Quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si convincitur, vindicandum.

XXV. Itaque quum multis ex rebus intelligi potest, majores nostros non modo armis plus, quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re vel maxime, quod in impios [1] singulare supplicium invenerunt: qua in re quantum prudentia præstiterint iis, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea [2] rerum potita est, fuisse traditur: ejus porro civitatis sapientissimum Solonem [3] dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. Is quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum [4] putasse. Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere [5] videretur. Quanto majores nostri sapien-

XXV. 1. *Impios*. Erga parentes sacrilegos. — *Singulare*. Illis proprium, peculiare.

2. *Dum ea*. Tempora liberæ Græciæ significat, quam deinde Philippus Macedo servire docuit. Prudentiam autem Atheniensium civitas cum imperio simul amisit.

3. *Solonem*. Atheniensium legislator Solon natus est Athenis ann. ante Christ. 639. De quo olim Anacharsis: «viso Solone omnia vidisti: hæ sunt Athenæ, hæc est tota Græcia». Vide Lucian. Toxar. Plutarch. in Solone. Val. Max. V, 3.

4. *Neminem facturum*. Sic Laertius: Ἐρωτηθεὶς διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε, διὰ τὸ ἀπελπίσαι ἔφη. Cf. Plut. in Romul.

5. *Admonere*. In animos hominum

tius! qui quum intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt; ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii, magnitudine pœnæ, maleficio summoverentur: insui voluerunt in culeum[6] vivos, atque ita in flumen dejici.

XXVI. O singularem sapientiam, judices! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente cælum, solem, aquam, terramque ademerint; ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere[1], ne bestiis quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur[2]; non sic[3] nudos in flumen dejicere, ne, quum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quæ violata sunt, expiari[4] putantur. Denique

inducere, quod alioqui non cogitarent.

6. *In culeum.* Modestinus in l. 9 D. de parricid. ait, insui consuevisse eum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia. Sed non tempore Ciceronis; non enim omisisset, quæ vim argumenti augere poterant. Neque sane ante Senecam exstat quisquam, qui culeo ullam adjiciat bestiam. Porro Justinianus, Inst. IV, 18, 6, hæc omnia Pompeiæ legi adscripsit. Hinc igitur totam parricidii pœnam legi Pompeiæ tribuere deberemus, nisi probe sciremus, culei quanto sit usus antiquior, quum « more majorum fieri » dicat Cicero, i. e. ex summa vetustate atque ipsarum XII Tabb. lege. Nisi forte dixerimus bestias a Cæsare, qui de parricidarum bonis quædam graviora constituit, sequentibusve imperatoribus fuisse additas. Ceterum tam densa huic historiæ parti offusa caligo est, ut nihil judicare satius videatur. Conf. ad Her. I, 13, de Inv. II, 50, de lege, cujus ea sunt verba: « qui parentem necassit, *necaverit*, caput obnubito, culeoque insutus in profluentem mergitor ». Sulla autem nihil isti legi addidit, nisi quod aliquando peculiarem de parricidii causa prætorem assignari permisit. Quod tamen hac in causa non exstitit. Vide Indic. Legum.

XXVI. 1. *Feris corpus objicere.* Quod deinde sub Cæsaribus factum est. Digest. XLVIII, 9, 9.

2. *Uteremur.* Verbum *utor* usurpatur tum in bonis, tum in malis.

3. *Sic.* Abundat h. l. particula, ut apud Horat. II, 11, 14: « sub pinu jacentes sic temere ».

4. *Expiari.* Respicit orator ad Euripidis versum hunc, ex Iphig. Taur. 1193: Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά: *Mare proluit omnia mortalium mala.*

nihil tam vile, neque tam vulgare est, cujus partem ullam eis reliquerint. Etenim quid[5] tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat[6]; ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur[7]; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eique judicio Chrysogonus præesset, tamen diligentius paratiusque venisses. Utrum, quid agatur, non vides? an, apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere.

XXVII. Esto : causam proferre non potes : tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam; et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit : quæro, quomodo occiderit. Ita quæro abs te, C. Eruci, quomodo; et sic

5. *Etenim quid*, etc. Hunc locum Cicero adducit et de eo judicium fert in Orat. 30 : « Quantis illa circumstantis populi clamoribus, adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? Quæ nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire cœpimus. Sunt enim omnia sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudati ». Quintil. XII, 6, ait etiam totum hunc locum *juveniliter* esse tractatum. Quid enim in argutiis et antithetis commorari de parricidio loquentem decet?

6. Cicero ipse, Orat. c. 30 : « terram non tangant ». J.V. L.

7. *Alluantur*. Ut numquam aqua undique madefiant, eaque penitus perfundantur, quod nisi culeus obstaret, fieri necesse erat. Quid vero admi-

tecum agam, ut in eo loco vel respondendi, vel interpellandi tibi potestatem [1] faciam, vel etiam, si quid voles, interrogandi.

Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romæ non fuit: si per alios [2] fecisse dicis, quæro, servosne, an liberos? quos homines? indidemne [3] Ameria, an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria; qui sunt hi? cur non nominantur? si Roma [4]; unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit? ubi eos convenit? quicum loquutus est? quomodo persuasit? Pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? Nonne his vestigiis [5] ad caput maleficii perveniri solet? Et simul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam hujusce depinxeris: hunc hominem ferum atque agrestem fuisse; numquam cum homine quoquam colloquutum esse; numquam in oppido constitisse.

Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita, istiusmodi maleficia gigni non solere. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat avaritia necesse est;

rabilius quam in medio mari non madefieri?

XXVII. 1. *Potestatem*. Quam potestatem non habebat accusator, nisi rei patrono permittente.

2. *Si per alios*. Argumentum ex partium enumeratione. Omnes autem, quorum opera Roscius interfici potuit, sic removet a reo, ut omnis sceleris suspicio in Roscios duo derivetur.

3. *Indidem*. Ex illo ipso loco, ex eadem urbe Ameria. Sic T. Liv. « indidem ex Achaia », id est, ex eadem Achaia. Vid. Drakenb. ad T. Liv. XXV, 15; XXXIX, 8. Hoc verbum Ernestus omisit.

4. Sic recte edd. Codices multi, *Romæ*. Perperam. J. V. L.

5. *His vestigiis*. Translatum a venatoribus, qui ferarum vestigia persequentes tandem ad earum latebras perveniunt.

ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parcimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra est. Verum hæc missa facio.

XXVIII. Illud quæro, is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum [1], absens præsertim, conficere potuerit. Multa [2] sunt falsa, judices, quæ tamen argui suspiciose possunt: in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romæ Sex. Roscius occiditur, quum in agro Amerino esset filius. Literas, credo, misit alicui sicario, qui Romæ noverat neminem. Arcessivit aliquem: at [3] quando? Nuntium misit: quem? aut ad quem? Pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem? Nihil horum ne confingi quidem potest; et tamen causa de parricidio dicitur.

Reliquum est, ut per servos id admiserit. O dii immortales! rem miseram et calamitosam! Quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, ut servos in quæstionem [4] polliceatur, id Sex. Roscio facere non licet. Vos, qui hunc accusatis, omnes ejus servos habetis: unus puer, victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello, P. Scipio; te, Metelle: vobis advocatis, vobis agentibus [5], aliquoties duos servos paternos in quæstionem ab adversariis Sex. Roscius postulavit. Meministine te,

XXVIII. 1. *Occultum.* Cujus auctor tantopere se debet occultare.

2. *Multa.* In aliis rebus multa sunt quæ, etsi carent crimine, non carent tamen suspicione; sed in causa S. Roscii, etc.

3. Abest *at* apud Priscianum, pag. 902, ed. Putsch. J. V. L.

4. *In quæstionem.* I. e. ultro permissurum se dicat ut omni tormentorum genere de servis quæstio habeatur. Ex veterum Romanorum instituto de servis in dominos quærere non licebat, nisi de incestu et conjuratione. At reo domino postulante, dabantur in quæstionem. Vid. inf. 41, et orat. pro Milon. 22.

5. *Vobis agentibus.* Vestram ope-

T. Rosci, recusare? Quid? ii servi ubi sunt? Chrysogonum, judices, sectantur; apud eum sunt in honore[6] et in pretio. Etiam nunc, ut ex his quæratur, ego postulo; hic orat, atque obsecrat: quid facitis? cur recusatis?

Dubitate etiam nunc, judices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus: ab eone, qui propter illius mortem in egestate et insidiis versatur, cui ne quærendi quidem de morte patris potestas permittitur; an ab iis, qui quæstionem fugitant, bona possident, in cæde atque ex cæde[7] vivunt. Omnia, judices, in hac causa sunt misera, atque indigna; tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest: mortis paternæ de servis paternis quæstionem habere filio non licet; ne tamdiu quidem dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quæratur. Veniam, neque ita multo post, ad hunc locum. Nam hoc totum ad Roscios pertinet; de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, quum Erucii crimina diluissem.

XXIX. Nunc, Eruci, ad te venio. Conveniat mihi tecum necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas, aut per aliquos liberos, aut servos. Liberosne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostendere. Ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere, quod neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædiis umquam temere[1] discesserit. Restare[2]

ram commodantibus, non in judicio publico, sed privatim cum Roscii adversariis.

6. *In honore*. Ne prodant auctorem cædis. Vide inf. 41.

7. *In cæde*. Quia sicarii. *Ex cæde*. Quia quæstum inde colligunt, ut est in cap. seq.

XXIX. 1. *Temere*. Sine causa.

2. *Restare*. Illud tibi superesse vi-

tibi videbatur servorum nomen, quo, quasi in portum, rejectus a ceteris suspicionibus, confugere posses: ubi scopulum offendis ejusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmet ipsos recidere intelligas.

Quid est ergo, quo tandem accusator, inopia argumentorum, confugerit? Ejusmodi tempus[3] erat, inquit, ut homines vulgo impune occiderentur: quare tu hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo negotio facere potuisti. Interim mihi videris, Eruci, una mercede[4] duas res assequi velle: nos judicio perfundere[5]; accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti. Quid ais? Vulgo occidebantur. Per quos? et a quibus? Nonne cogitas, te a sectoribus huc adductum esse? Quid postea[6]? Nescimus, per ista tempora, eos-

debatur, ut diceres Roscium per servos hanc cædem fecisse. At ego cupere Roscium ostendi, ut de servis quæratur, nec tamen id licere, quia servos Chrysogonus apud se retineat. Sequitur allegoria sumpta de navigantibus. — *Ab hoc*, i. e. a S. Roscio. Elzev. et alii *ad hoc*, male.

3. *Ejusmodi tempus*. Nempe Sullanarum proscriptionum, quibus præmium percussoribus erat publice propositum.

4. *Una mercede*. Quum pro una accusatione pecuniam acceperis, ad duas simul res pervenire, et mercede Chrysogoni ipsum Chrysogonum accusare.

5. *Judicio perfundere*. I. e. judicio obscuro, in quo nihil clare liquidoque probetur, obruere, ut h. l. facit Erucius, qui sine ullo argumento, Roscium dicit Romæ patrem per servos occidisse. Hinc *perfusorie dicere* apud JCtos. Ulpian. V, 1: « Debebit, et ita Labeo, et diem et horam denuntiatione complecti, et ubi et quot opus sit, neque *perfusorie*, aut obscure dicere, etc. » Potest quoque esse, ut Facciolato placet, « speciem quamdam judicii offundere, revera autem eos accusare, etc. » Qua significatione usurpatur *perfusorius* a Seneca, ep. 23: « hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac *perfusoriam* voluptatem ». Species igitur judicii hujus offundebatur S. Roscio, ratio autem et vis interior tota videbatur in adversarios conversa; quum enim Erucius crimen cujus non longe quærendi auctores erant, in publicum proferret, et ipse a sicariis Roscium occisum fateretur, ipse veluti digito duo Roscios et Chrysogonum designare videbatur.

6. *Quid postea?* Sunt verba Erucii fatentis se a sectoribus accusatorem delectum, sed quærentis, « quid inde, quid tum? » Sequitur responsio: « nescimus, etc. »

dem fere sectores[7] fuisse collorum, et bonorum? Ii denique, qui tum armati dies noctesque concursabant, qui Romæ erant assidui, qui omni tempore in præda et sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemque objicient? et illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic[8] crimini putabunt fore, qui non modo Romæ non fuit, sed omnino, quid Romæ ageretur, nesciret, propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit?

Vereor, ne aut molestus sim vobis, judices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere[9], si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est: nisi forte exspectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu[10], ac de ejusmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus ac nova objecit. Quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui causam dicit, pertinebant. De quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. Si quid est, quod ad testes reservet; ibi nos quoque, ut in ipsa causa, paratiores reperiet, quam putabat.

XXX. Venio nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios

7. *Sectores*. Ludit in ambiguo: *sector* est, qui universa damnati hominis bona emit, ut iis per partes vendendis lucrum faciat. Itaque nomen habet a *secando*, quod bona secat et separatim divendit. Poteat etiam *sicarium* significare. Optime autem verbum hoc duabus rebus accommodat h. l. Cicero, quod iidem proscriptis capita amputabant, et bona eorum distrahebant. Vide plura in Indic. Latin.

8. *Huic*. Scil. S. Roscio.

9. *Diffidere*. Ne vos minus dociles, aut paullo tardiores ad verum perspiciendum credere videar.

10. *Peculatu*. *Peculatus* est publicæ pecuniæ furtum. Hoc autem crimen qua de causa objecerit S. Roscio, divinare non possumus.

potius, ex quibus possem crescere[1] : quod certum est non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit; non, qui adscendit per alterius incommodum et calamitatem.

Desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania: quæramus, ubi maleficium et est, et inveniri potest. Jam intelliges, Eruci, certum[2] crimen quam multis suspicionibus coarguatur: tametsi neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. Neque enim id facerem, nisi necesse esset; et id erit signi, me invitum facere, quod non prosequar longius, quam salus hujus et mea fides postulabit.

Causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. At ego in T. Roscio reperio : tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris. De Capitone[3] post viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit : tum alias quoque suas palmas[4] cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur.

L. Cassius[5] ille, quem populus romanus verissimum et sapientissimum judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe[6] atque

XXX. 1. *Crescere.* Quorum ex detrimento ditior, potentior, aut certe clarior reddi possem.

2. Lambin. male conj. *incertum.* Nisi forte contraris velimus inducere iis, quæ tractat auctor.

3. *De Capitone.* Observandum est, in judiciis publicis, tantum prodire testes, quum accusator et reus perorassent. In repetundarum causis aliter erat. Vide Verr. I, cap. ult.

4. *Palmas.* Successus: ironice. Sic sup. cap. 6, « plurimarum palmarum gladiator ». Palmæ gladiatoribus in victoriæ signum dari solebant.

5. *L. Cassius*, consul A. U. C. 646, vir summæ severitatis, cujus tribunal *scopulus reorum* dicebatur. Val. Max. III, 7, 9. T. Liv. Epit. LXV. Sallust. Jug. 32. Vide Ind. Hist.

6. *Sine spe atque emolumento.* Nempe pervulgatum est : « nemo gratis est improbus ». Conf. Lysias λόγῳ ἀρσιοπ. τοῦ σίχου.

emolumento accedere. Hunc quæsitorem ac judicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur; ideo quod, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus [7] ad severitatem, videbatur. Ego, quamquam præest huic quæstioni vir, et contra audaciam fortissimus, et ab innocentia [8] clementissimus, tamen facile me paterer, vel illo ipso acerrimo judice quærente, vel apud Cassianos judices, quorum etiam nunc ii, quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere.

XXXI. In hac enim causa quum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse; illud quidem non quærerent, cui bono fuisset: sed eo perspicuum [1] crimen, et suspicionem potius ad prædam adjungerent, quam ad egestatem. Quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus? num quærenda causa, quæ te ad tantum facinus adduxerit?

Quid ergo horum negari potest? Tenuitas hominis ejusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Avaritiam præfers, qui

7. *Implicatus*. Severitate præpeditus. Sic implicari morbo, qui arcta nos habet, interiusque pervadit. Sic dicitur amicus « benivolentia implicatus », qui eam non facile abjecerit. Ad Div. VI, 12. Quodammodo ita sua natura Cassius severitati immixtus erat, ut, etc. Frustra Grævius reponit « implacatus », probatque Ernestius quasi ita loqui latine sit, nec vulgata optime possit explicari.

8. *Ab innocentia*. Propter vitæ integritatem. Sic Att. VII, 15, « imparatus a militibus ». T. Liv. V, 45, « a secundis rebus incauti ».

XXXI. 1. *Eo perspicuum*. Vocula *eo* negotium doctis facessit. Refingit Hotom. in *et*. Cl. Puteano et Lamb. placet « sed, eo perspicuo, crimen »; quod unice verum affirmat Schütz. Sed quum tam MSS quam editi libri nulla varietatis indicia præ se ferant, non recedendum a vulgata scriptura; atque *eo* hic est pro *adeo*, ut apud Plautum et ipsum Ciceronem; aut potius pro « ea re, per eam rem ».

societatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alienissimo. Quam sis audax, ut alia obliviscar, hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota societate, hoc est, ex tot sicariis, solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes, atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. Inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, et magnas rei familiaris controversias, concedas necesse est.

Restat, judices, ut hoc dubitemus[2], uter potius Sex. Roscium occiderit, is, ad quem morte ejus divitiæ venerint, an is, ad quem mendicitas; is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui postea factus sit egentissimus; is, qui ardens avaritia feratur infestus in suos, an is, qui semper ita vixerit, ut quæstum[3] nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset; is, qui omnium sectorum audacissimus sit, an is, qui, propter fori judiciorumque insolentiam[4], non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidet; postremo, judices, id quod ad rem, mea sententia, maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius!

XXXII. Hæc tu, Eruci, tot et tanta si nactus esses in reo, quam diu diceres? quo te modo jactares? tempus, hercule, te citius, quam oratio deficeret. Etenim in singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum: non enim

Hinc apertus sensus: Quoniam viderent illos Roscios bona omnia possidere, hunc in summa paupertate vivere, manifestum ex ea re crimen cædis Sextianæ et de ejus auctore suspicionem, ad prædam potius adjungerent quam ad egestatem; i. e. illos potius suspectos haberent, qui præda potiti sunt, quam qui bonis ejectus mendicat.

2. *Dubitemus.* Consideremus, deliberemus.

3. *Quæstum. Quæstum* et *fructum* ita distinguit, ut ille sit qui ex opera et industria obvenit, hic vero qui ex agris.

4. *Insolentiam.* Quia non assuevit foro et judiciis. Sic pro Dejot. « moveor loci insolentia ». Terent. Andr. V, 4, 4: « quid tu Athenas insolens ».

mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. Verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum, in grege annumerer[1]; te pugna Cannensis[2] accusatorem sat bonum fecit. Multos cæsos non ad Trasimenum lacum, sed ad Servilium[3] videmus. «Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio[4]?» Non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Memmios[5], quos jam ætas[6] a præliis avocabat: postremo Priamum[7] ipsum,

XXXII. 1. *In grege annumerer.* Forsan ego unus de multis sum, qui patronorum gregem faciunt; tu vero nunc accusator sat bonus es, non propter eloquentiam, sed quia periere accusatores plerique.

2. *Pugna Cannensis.* Cum pugna Cannensi comparatur cædes Marianorum a Sulla facta, quæ etiam accusatores multos io ipsa strage involvit. Quemadmodum enim post illam pugnam coactus est senatus ipsos servos armare, propter civium inopiam, ut est apud T. Liv. XXII, 57, ita etiam post Sullanam stragem vel inepti homines cœperunt accusare, atque inopia bonorum videri boni.

3. *Ad Servilium.* Aquæ receptaculum fuit Romæ a conditore Servilio dictum; ad quem locum Sullanis temporibus multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris pependeruot. Jul. Firm. l. Seoeca autem in libro de Div. Prov. 3: « videant largum in foro sanguinem et supra Servilianum lacum (id enim proscriptionis Sullanæ spoliarium est) senatorum capita; et passim vagantes per Urbem percussorum greges, et multa millia civium rom. uno loco post fidem, imo per ipsam fidem trucidata ». — Al. *vidimus*, *facit*.

4. *Ferro Phrygio.* Versus ex vetere Ennii tragœdia, quo excusat se Ulysses, quod vulneratus ex pugna fugerit in Achillis tentorium. Porro *Phrygium* forsan h. l. dicitur Sullæ ferrum, ut mores ejus notet; Phryges quippe impuri et flagitiosi.

5. *Memmios.* Nomina accusatorum, qui ad lacum Servilium cæsi sunt. Cicero in Brut. « Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi: itaque in judicium capitis multos vocaverunt; pro reis noo sæpe dixerunt ». — Legitur *Mamercos* apud Hottomann. Græv. Garat. Sed contra faciunt duo codd. Lallem. et ed. 1480.

6. *Ætas.* Qui propter ætatem arma ferre non poterant, atque ita cum Marianis Sullanas partes non impugnarant, neque ad partes adversariorum pertinebant, ideo vero occidebantur, quia erant accusatores.

7. *Priamum.* Comparat Antistium Priamo, quia ut ille rex, summa senectute, in magna Trojanorum suorum strage occisus est; sic Antistius inter accusatores quasi rex quidam ac princeps, senex admodum in multa accusatorum cæde occubuit. Hunc in Bruto « rabulam sane probabilem » vocat Cicero. Conf. etiam Pat. II, 25.

senem Antistium, quem non modo ætas, sed etiam leges[8] pugnare prohibebant. Jam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios et de veneficiis accusabant: qui omnes, quod ad me attinet, vellem viverent. Nihil enim mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt.

Verum, ut fit, multa sæpe, imprudentibus imperatoribus, vis belli ac turba molitur. Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui suis vulneribus[9] mederentur; qui, tamquam si offusa reipublicæ sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant: a quibus miror, ne quod judiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta; nam et accusatores et judices sustulerunt. Hoc commodi est, quod ita vixerunt, ut testes omnes, si cuperent, interficere non possent: nam, dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit; dum civitas erit, judicia fient. Verum, ut cœpi dicere, et Erucius, hæc si haberet in causa, quæ commemoravi, posset ea quamvis diu dicere; et ego, judices, possum: sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leviter transire, ac tantummodo per-

8. *Leges.* Nullæ erant leges, quæ senes pugnare prohiberent; sed tantum eos cogi ad militiam vetabant. Ceterum in Antiatio aliquod forsan notatur vitium, quod eum a militia arcebat. Vide Lips. de Mil. Rom. I, 4. Aut etiam h. l. ad prælia forensia metaphorice refertur, a quibus turpi aut calumniæ judicio exclusus fuerat. Vide sup. 20.

9. *Suis vulneribus.* Qui homines opulentos, qualis erat S. Roscius, occidendo et illorum bona invadendo, suis rei familiaris vulneribus, h. e. egestati mederentur. Sic Græv. Malim Manutii sententiam: qui omnes occidendo providerent, ne quis postea esset qui de quotidianis suis cædibus eos accusaret, aut judicaret; ita fore sperantes, ut scelerum vulneribus mederentur, h. e. pœnas effugerent. His verbis Chrysogonum et T. Roscios vult intelligi. In hanc quoque sententiam Hotom. et Desjard.

stringere[10] unamquamque rem, ut omnes intelligant, me non studio[11] accusare, sed officio defendere.

XXXIII. Video igitur, causas esse permultas, quæ istum impellerent. Videamus nunc, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. Ubi occisus est Sex. Roscius? Romæ. Quid? tu, Rosci, ubi tunc eras? Romæ. Verum quid ad rem? et alii multi[1]. Quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur, eum, qui Romæ sit occisus, utrum verisimilius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romæ fuerit, an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit.

Age, nunc ceteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemoravit Erucius, et homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quæ erat? opinor, aut eorum, qui in bonis[2] erant occupati; aut eorum, qui ab aliis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant, tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es: sin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percussores[3] vocant; quære, in cujus fide[4] sint, et clientela: mihi crede, aliquem de societate tua reperies. Et, quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito: ita facillime causa Sex. Roscii cum tua conferetur.

Dices: Quid postea[5], si Romæ assiduus fui? Respon-

10. *Perstringere.* Leviter attingere, ut Verr. IV, 4, 7.

11. *Studio.* Non dedita opera, et mea indole; sed ratione officii ac defensionis.

XXXIII. 1. *Et alii multi.* Subaud. tunc erant Romæ. Dialogismus inter T. Roscium et Ciceronem.

2. *In bonis.* Occisorum diripiendis. Iidem hi sectores bonorum conducebant percussores ad cædem, mercede proposita.

3. *Percussores.* Istos, lege sua de sicariis, pœnæ exemerat Sulla. Sueton. Jul. 11.

4. *In cujus fide.* Chrysogoni scilicet. Vide inf. 37.

5. *Quid postea?* Si Romæ assiduus fui, quid inde sequitur? an concludes Roscium a me interfectum?

debo: At ego omnino non fui. — Fateor, me sectorem esse; verum et alii multi. — At ego, ut tute arguis, agricola, et rusticus. — Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. — At ego profecto, qui ne novi quidem quemquam sicarium, longe absum ab ejusmodi crimine. Permulta sunt, quæ dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi: quæ non modo idcirco prætereo, quod te ipsum non libenter accuso; verum eo magis etiam, quod, si de illis cædibus velim commemorare, quæ tum facta sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

XXXIV. Videamus nunc strictim, sicut cetera, quæ post mortem Sex. Roscii abs te, T. Rosci, facta sunt; quæ ita aperta et manifesta sunt, ut medius fidius, judices, invitus ea dicam. Vereor enim, cuicuimodi [1] es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim. Quum hoc vereor, et cupio tibi aliqua ex parte, quod salva fide possim, parcere, rursus immuto voluntatem meam: venit enim mihi in mentem oris [2] tui. Tene, quum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc judicium non de illorum præda, sed de hujus maleficio [3] fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in judicio versarere, et sederes cum accusatore? qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et impudentia.

XXXIV. 1. *Cuicuimodi*. Cujuscumque modi es, sive probus, sive improbus. Sic Att. III, 22: « ad me velim omnia, cuicuimodi sunt, scribas ». Vide Priscian. edit. Putsch. 959, et Voss. de Analog. I, 47.

2. *Oris*. Impudentiæ. Suband. *recordatio*.

3. *Hujus maleficio*. Roscii filii parricidio. — *Depoposcisse*. Fierine potuit, ut hanc personam potissimum agere velles, etc.

Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nuntiat? Mallius Glaucia, quem jam antea nominavi, tuus cliens et familiaris. Quid attinuit[4] eum potissimum nuntiare, quod, si nullum jam ante consilium de morte ac de bonis ejus inieras, nullamque societatem neque sceleris, neque præmii cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua sponte Mallius nuntiat. Quid, quæso, ejus intererat? An, quum Ameriam non hujusce rei causa venisset, casu accidit, ut id, quod Romæ audierat, primus nuntiaret? Cujus rei causa venerat Ameriam? Non possum, inquit, divinare. Eo rem jam adducam, ut nihil divinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum nuntiavit? quum Ameriæ Sex. Roscii domus, uxor, liberique essent, quum tot propinqui cognatique optime convenientes[5], qua ratione factum est, ut iste tuus cliens, sceleris tui nuntius, T. Roscio Capitoni potissimum nuntiaret?

Occisus est a cœna rediens: nondum lucebat, quum Ameriæ scitum est. Quid hic incredibilis cursus? quid hæc tanta celeritas, festinatioque significat? Non quæro, quis percusserit: nihil est, Glaucia, quod metuas: non excutio[6] te, si quid forte ferri habuisti; non scrutor; nihil ad me arbitror pertinere: quoniam, cujus consilio occisus sit, invenio, cujus manu sit percussus, non laboro. Unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus, resque manifesta dat. Ubi, aut unde audivit Glaucia? qui[7] tam cito scivit? Fac audisse statim. Quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coegit?

4. *Quid attinuit*. Quid opus fuit tibi nuntiari quod minime te spectabat, scil. occisum esse Roscium, nisi jam consilium iniisses, etc.

5. *Convenientes*. Inter se concordes, et unanimes.

6. *Excutio*. Non in vestibus quæro (gall. *fouiller*).

7. *Qui*. Quomodo. Ante *Glaucia* interrogationem delet Heusing. ita ut sit: Unde audivit Glaucia, qui illud tam cito scivit?

quæ necessitas eum tanta premebat, ut, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret? Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda sit?

XXXV. Nonne vobis hæc, quæ audistis, cernere oculis videmini, judices? Non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a cœna videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? Non versatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? Non adest iste T. Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem[1] illum, sui sceleris acerbissimi nefariæque victoriæ nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui causa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet?

Quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit? Nescio: nisi[2] hoc video, Capitonem in his bonis esse socium; de tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. Audio præterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri; multas esse infames palmas[3]; hanc primam esse tamen lemniscatam[4], quæ Romæ deferatur[5]; nullum

XXXV. 1. *Automedontem*. Lepida antonomasia. Automedon Achillis auriga fuit, Marti par velocitate. Hunc Achilles, victo Hectore, ire jussit ac nuntiare occisum infensissimum Græcorum hostem. Iliad. XVII, 536. Æneid. II, 477.

2. *Nisi*. Sed. Ut in Plaut. Stich. II, 1. Terent. Eun. III, 4, 10, etc.

3. *Palmas*. Nobiles et gloriosæ in victoria palmæ gladiatorum erant; hujus vero Capitonis fuerant infames, quippe qui gladiator cives tantum occidit.

4. *Lemniscatam*. Λημνίσκοι, Syracusana vox, teste Hesychio, unde latine *lemnisci*, i. e. tæniæ angustæ palmis seu coronis circumvolvi solitæ, ut in imperatorum nummis antiquis cernuntur. Sic obligata corona *lemniscata* dicebatur; ceteris erat nobilior, et nemini, nisi multis illustri victoriis, deferri solebat. Vide Plin. XXI, 3. Serv. ad Virgil. Æn. V, 269.

5. *Deferatur*. Capitoni. Nempe quod inde quæstus ingens, et hæc nefaria in filium calumnia ad patris cædem accesserit. Quamvis igitur multas turpes victorias retulerit Capito, nullam tamen majorem quam

modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit; multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem, contra morem majorum, minorem annis LX[6], de ponte in Tiberim dejecerit. Quæ, si prodierit[7], atque adeo quum prodierit (scio enim proditurum esse), audiet. Veniat modo; explicet suum volumen[8] illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse: quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse, et minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O præclarum testem, judices! o gravitatem dignam exspectatione! o vitam honestam, atque ejusmodi, ut libentibus animis ad ejus testimonium vestrum jusjurandum accommodetis! Profecto non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos cæcos redderet cupiditas, et avaritia, et audacia.

XXXVI. Alter[1] ex ipsa cæde volucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum suum misit: ut, si dissimulare omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter[2], si diis[3] immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est: quasi vero id nunc agatur, utrum, is quod

hanc Romæ per socium et alumnum T. Roscium Magnum reportavit.

6. *Minorem annis LX.* Qui suffragium erant dicturi, *septum* quoddam, in campo Martio cancellis conclusum, intrabant, trans ligneum pontem, ad tempus factum et aliquot pedes altum a terra, de quo sexagenarii dejiciebantur. Nemini quippe post annos sexaginta nato ferre suffragium licebat. Unde etiam « depontani senes » vocabantur. Jocatur inde Cicero (nescio an frigidius) in Capitonem, qui de ponte vere civem in Tiberim præcipitaverat, ac demerserat, contra morem majorum, i. e. nefarie, et contra fas et jura.

7. *Si prodierit.* Si ad dicendum prodeat.

8. *Suum volumen.* Erucius dictaverat Capitoni verba, quæ pro testimonio diceret, eaque Capito S. Roscio fuerat minitatus.

XXXVI. 1. *Alter.* T. Roscius Magnus, eodem temporis puncto quo cædes est peracta.

2. *Alter.* T. Roscius Capito.

3. *Si diis.* Forma loquendi ad indignationem plerumque, ut h. l. pertinens.

dixerit, credendum; an quod fecerit, vindicandum sit.

Itaque more majorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent[4]. Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret: nam, illud in talem virum non audeo dicere, si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa et mutata in pejorem partem sint omnia. Quum de bonis et de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est, et sicarius[5]; hoc est, qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor et possessor est, et eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur.

Quid tu[6], vir optime? ecquid habes, quod dicas? Mihi ausculta: vide, ne tibi desis; tua quoque res permagna agitur. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti; unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia: nihil opus fuit te istic sedere. Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paullo tamen[7] occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset: nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret, quum, quæ facitis, ejusmodi sint, ut ea, dedita opera, nobis[8] contra vosmet ipsos facere videamini? Age, nunc illa videamus, judices, quæ statim consequuta sunt.

4. *Non dicerent.* Nam nullus idoneus testis in re sua intelligitur, inquit Pompon. Digest. XXII, 5, 10.

5. *Sicarius.* Hinc colligitur sicarium dici, et eum qui occidit, et illum qui occidendum curat.

6. *Quid tu.* T. Roscium Magnum alloquitur, qui præsens assidet, non Capitonem qui absens est. Is superioribus Ciceronis dictis commotus, murmure fortasse speciem obloquuturi præbuit.

7. Add. *tamen* e MSS. J.V. L.

8. *Nobis.* Pro nobis pugnare. In vett. edd. et MSS quibusdam legitur *a vobis*, quod retinet Facciol. quasi sit, « ex vobis, sponte vestra », ut apud Græcos ἀφ' ὑμῶν. Malit Garat.

XXXVII. Ad Volaterras[1] in castra L. Sullæ mors Sex. Roscii, quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur. Quæritur etiam nunc, quis eum nuntium miserit? Nonne perspicuum est, eumdem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, ut ejus[2] bona veneant statim, qui non norat hominem[3], aut rem. At qui ei venit in mentem prædia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat? Soletis, quum aliquid hujuscemodi auditis, judices, continuo dicere : Necesse est, aliquem dixisse municipem, aut vicinum; ii plerumque indicant; per eos plerique produntur. Hic nihil est, quod suspicionem[4] hanc putetis. Non enim ego ita disputabo : Verisimile est, Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse; erat enim eis cum Chrysogono jam ante amicitia : nam quum multos[5] veteres a majoribus Roscii patronos hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt.

Hæc possum omnia vere[6] dicere; sed in hac causa conjectura nihil opus est. Ipsos certo scio non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui, indicii[7] partem acceperit, oculis cernetis, poteritisne dubitare, judices, qui indicarit? Qui sunt

a nobis, i. e. pro nobis, ut elegantius.

XXXVII. 1. *Volaterras*. Quod oppidum centum quinquaginta millibus passuum ab urbe Roma distabat. Hoc obsidebat oppidum Sulla, quod Marianis faverat. Victis et agros ademit, et jus civitatis romanæ. Ad Div. XIII, 4.

2. *Ejus*. Tanquam proscripti; et ne persequendi sceleris facultas filio supersit.

3. *Hominem*. S. Roscium. *Rem*, i. e. ejus bona.

4. *Suspicionem*. Non est suspicio, quod dixi de proditis a Rosciis bonis S. Roscii, est ipsa veritas.

5. *Quum multos*. Ordo est : Quum T. Roscii, Capito et Magnus, haberent a majoribus suis multos, etc.

6. Tres codd. Oxoniens. « omnino vere ». Infra iidem codd. « quisquam ». J. V. L.

7. *Indicii*. Prædæ indicatæ. Explicat seipsum Tullius continuo subjungens « partem in istis bonis ». Sic Facciol. Desjard. Garat. Intelligunt

igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? Duo Roscii. Num quisnam præterea? Nemo est, judices. Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc prædam Chrysogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt?

Age, nunc ex ipsius Chrysogoni judicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna Roscii, quod operæ[8] pretium esset, fecerant, quam ob causam a Chrysogono tantis præmiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique, ut perliberaliter ageretur, honoris[9] aliquid haberi? Cur tria prædia tantæ pecuniæ statim Capitoni dantur? Cur, quæ reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? Nonne perspicuum est, judices, has manubias[10] Rosciis Chrysogonum, re cognita, concessisse?

XXXVIII. Venit in decemprimis[1] legatus in castra Capito. Totam vitam, naturam, moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. Nisi intellexeritis, judices, nullum esse officium, nullum jus tam sanctum atque integrum, quod non ejus scelus atque perfidia violarit et imminuerit, virum optimum esse eum judicatote. Impedimento est, quo minus de his rebus Sulla doceatur; ceterorum legatorum consilia et voluntatem Chrysogono enuntiat; monet, ut provideat, ne palam res agatur; ostendit, si sublata[2] sit venditio bonorum, illum[3] pecuniam grandem amissurum, sese capitis pe-

autem pro indicii præmio Hotom. et Ernest. Non ita bene.

8. *Quod operæ*. Quod utile esset Chrysogono.

9. *Honoris*. Præmii, remuneratio-nis. Sic Cæs. Bell. civ. II, « honores habere », pro, conferre præmia.

10. *Manubias*. Sic prædæ pars ea dicebatur, quæ ad imperatorem pertinebat : venustissime dictum ; quia duces illi in facinore fuere, ideo præmium manubias appellat.

XXXVIII. 1. *Decemprimis*. Vid. sup. cap. 9.

2. *Sublata*. Remota et abrogata.

3. *Illum*. Chrysogonum. — *Acuere*.

riculum aditurum. Illum acuere; hos, qui simul erant missi, fallere : illum identidem monere, ut caveret; hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia; horum consilia illi enuntiare : cum illo partem suam depacisci; hisce, aliqua fretus[4] hora, semper omnes aditus ad Sullam intercludere. Postremo isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt; istius fide, ac potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit[5] testimonium eis denuntiare, pro re certa spem falsam domum retulerunt.

In privatis rebus si qui rem mandatam[6] non modo malitiosius gessisset, sui quæstus aut commodi causa, verum etiam negligentius, eum majores summum ad-

Consilio suo instigare, et ad hanc rem caute et insidiose tractandam impellere.

4. *Aliqua fretus hora.* Hunc locum, ut mendi suspectum, docti frustra sollicitaut. Schütz *fretis* legit, et ad legatos refert; Hotom. et Lamb. *aura;* Gruter. « fretum ora »; Manut. « facta mora »; Græv. « aliqua ficta mora »; Beck. « fretus mora ». Ernest. suspicatur *causa.* Sed retinenda vulgata lectio, quam præbent omnes MSS et edd. p. *Hora* sumitur hic pro negotio, cui hora diei certa sit vacandum. Sic a Quintiliano, VI, 4, dictus est Asinius Pollio « omnium horarum homo », quod idem semper esset, omnibusque negotiis tum seriis, tum ludicris accommodatus. Capito igitur aliqua semper Sullæ occupatione confisus, hanc prætexendo socios legationis eludebat. Semper aliquod Sullæ impedimentum comminiscebatur, quo fretus legatis aditum impediret. Sic Facciol. quæ nobis hujus loci verissima videtur sententia. Nihil mutat etiam Lallem. sed diverso sensu: « aliqua fretus hora », nempe opportuna aliqua occasione adeundi Sullam, quum diceret, se « tentaturum aditus et mollia fandi Tempora », ut ait Virg. Æn. IV. Minus feliciter. Intelligit autem Garat. nihil aditus intercludendo Capitonem quærere, nisi ut horam aliquam auferret et lucraretur. Fretus igitur illa hora, illave mora (nam utrumque recipit) legatos ab Sullæ conspectu arcebat, id fore confidens, quod evenit, ut ii denique mendaciis ejus perfidiisque decepti, a castris, re infecta, abirent.

5. *Si accusator voluerit.* Nam reo denuntiandi testimonii potestas non dabatur. Quos produxerat testes, accusator et postea reus interrogabat; nunquam vero judex.

6. *Rem mandatam.* Mandatum a JCtis definitur contractus quo negotium aliquod honestum procuratori gratis suscipienti committitur. Qui mandat *mandator* dicitur, et is cui mandatur, *mandatarius*, si negotium sit civile, et proprie *procurator*, si ad litem mandatum fuerit.

misisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est judicium[7], non minus turpe, quam furti : credo propterea quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his, operæ nostræ vicaria, fides amicorum supponitur; quam qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. Non enim possumus omnia per nos agere : alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.

Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis, officio simulato, officis et obstas? Recede de medio; per alium transigam. Suscipis[8] onus officii, quod te putas sustinere posse; quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam et fidem : nam neque mandat quisquam fere, nisi amico; neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul et amicitiam dissolvere, et fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset.

XXXIX. Itane est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur necesse est : in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ sunt atque concreditæ, ignominia mortuum, egestate vivum[1] affecerit; is inter honestos

7. *Mandati judicium.* Quo cognoscitur de ejus culpa, qui rem sibi mandatam negligenter, aut malitiose egerit. De judicio turpi, seu infamiam afferenti, vid. orat. pro Quint.

8. *Suscipis onus.* Per exprobrationem diluit tacitam prolepsim, aitque Cicero mandati onus nec grave esse, nisi hominibus levibus, nec visum esse grave ipsi suscipienti. H. l. deesse aliquid suspicatur Facciol. Nobis expressa manifeste satis videtur sententia.

XXXIX. 1. Aberant hæc duo verba. Recepimus e MS Garatonii. J. V. L. — Lacunam explere tentaverant Hot.

8.

homines, atque adeo inter vivos numerabitur[2]? In minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati in crimen judiciumque infamiæ[3] vocatur, propterea quod, si recte fiat[4], illum negligere oporteat, qui mandarit; non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum læserit, sed perfidia legationis ipsius cærimoniam[5] polluerit, maculaque affecerit, qua is tandem pœna afficietur? aut quo judicio damnabitur?

Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transigeret atque decideret, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum[6], et rem restitueret, et honestatem omnem amitteret?

Nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandavit; sed, id quod multo gravius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus a decurionibus publice Roscio

Lambin. Ernestius autem suppleverat « damno vivum », quæ verba ante « ignom. mort. » posuerat. Sed jam conjectura non opus est.

2. *Numerabitur*. Is non modo honestatem amittat, sed vitam ipsam. Dignus est, qui non modo ex honestorum, sed vivorum etiam numero expungatur, qui tanti criminis reus est.

3. *Infamiæ*. In levibus rebus mandatarii negligentia crimen habet mandati male gesti, ac etiam judicio turpi punitur. Loco *infamiæ* in vett. edd. legitur *infamia*, quam omnino expungit Græv. Hotomann. autem, Faern. Lambin. *infame*, Manut. *infamiæ*. Facciol. « judiciique infamiam », quem sequuti sunt Olivet. Lallemand. et Schütz.

4. *Si recte fiat*. Si is, cui res est mandata, munere fungatur probi viri, de ea re non jam debet esse sollicitus mandator, sed in ejus, cui mandata est, fide et diligentia acquiescere. Sic Lambin. et Manut. Heusingerus vero sic explicat: Si ratio sit aliqua, cur res mandata negligatur, non is negligere debet, cui ea sit mandata, sed qui mandarit. Sic etiam Ernest.

5. *Cærimoniam*. Sanctitatem inviolatam. Sic Tusc. 1, 12: « cærimonia sepulcrorum ».

6. *Arbitrum*. In ejus causis, quæ erant fidei bonæ *arbiter* judicabat,

mandatus[7] est; et ex eo T. Roscius non paullum nescio quid[8] in rem suam convertit, sed hunc funditus evertit bonis; ipse tria prædia sibi depactus est; voluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam, fecit.

XL. Videte jam porro cetera, judices, ut intelligatis, fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere[1], turpissimum est, æqueque turpe, atque illud, de quo ante dixi. Neque injuria: propterea quod auxilium sibi se putat adjunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, quum per ejus fidem læditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda[2] peccata maxime, quæ difficillime præcaventur. Tecti esse[3] ad alienos possumus; intimi multa apertiora videant necesse est. Socium vero cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, jus officii lædimus. Recte igitur majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.

At vero T. Roscius non unum rei pecuniariæ socium fefellit (quod, tametsi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur); verum novem homines honestissimos, ejusdem muneris, legationis, officii, mandato-

non ex jure ac formula, ut judices; sed ex æquitate et conscientia. Vid. pro Rosc. Com. cap. 4. Datus erat a prætore, et apud eum quædam a litigantibus reponebatur pecuniæ summa, quam amitteret, qui ejus judicio acquiescere nolebat.

7. *Publice..... mandatus.* Publica auctoritate. — *Roscio.* Capitoni.

8. *Nescio quid.* Sæpius in contemptum dicitur de re parva.

XL. 1. *Fallere.* Transit a mandati judicio ad illud pro socio: quia socios ejusdem legationis et mandati T. Roscius eluserat.

2. *Animadvertenda.* Graviter punienda.

3. *Tecti esse.* Muniti esse possumus adversus alienos; intimis autem patere multa necesse est; socii ipso societatis jure omnia sciunt. Itaque alienos cavere possumus, atque etiam intimos, quibus, etsi multa, tamen omnia non patent. Socium vero ca-

rumque socios, induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit: qui de ejus scelere suspicari nihil potuerunt; socium officii metuere non debuerunt; ejus malitiam non viderunt; orationi vanæ crediderunt. Itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti providique fuisse: iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilia adversariis enuntiavit, deinde societatem cum ipsis adversariis coiit, terret etiam nos, ac minatur, tribus prædiis, hoc est, præmiis sceleris ornatus. In ejusmodi vita, judices, in his tot tantisque flagitiis, hoc quoque[4] maleficium, de quo judicium est, reperietis.

Etenim quærere ita[5] debetis: ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta videtis, ibi id scelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote. Tametsi hoc quidem minime latet, quod ita promptum et propositum est, ut non ex illis maleficiis, quæ in illo constat esse, hoc intelligatur; verum ex hoc etiam, si quod illorum forte dubitabitur, convincatur. Quid tandem, quæso, judices? num aut ille lanista omnino jam a gladiis recessisse videtur, aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere? Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina[6] audacia.

XLI. Etenim, quoniam fidem magistri cognostis, cognoscite nunc discipuli æquitatem. Dixi jam antea, sæpenumero postulatos esse ab istis[1] duos servos in

vere nullo modo possumus. Translatio a gladiatoribus ducta, ubi de insidiis cavendis agitur.

4. *Hoc quoque.* In vita Capitonis tam flagitiosa, reperietis etiam scelus illud, de quo nunc agitur, nempe cædem S. Roscii.

5. *Quærere ita.* Hanc sequi regulam in quærendo.

6. *Gemina.* Par, similis. Sic *gemellus* apud Horat. Sat. II, 3, 244.

XLI. 1. *Ab istis.* Ab adversariis, i. e. nos a duobus Rosciis postulasse. Vid. sup. 28.

quæstionem : tu semper, T. Rosci, recusasti. Quæro abs te, iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? An iste[2] non commovebat, pro quo postulabant? An res ipsa tibi iniqua videbatur? Postulabant homines nobilissimi atque integerrimi nostræ civitatis, quos jam antea nominavi; qui ita vixerunt, talesque a populo romano putantur, ut, quidquid dicerent, nemo esset qui non æquum putaret. Postulabant autem pro homine miserrimo atque infelicissimo, qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. Res porro abs te ejusmodi postulabatur, ut nihil interesset, utrum eam rem recusares, an de maleficio confiterere.

Quæ quum ita sint, quæro abs te, quam ob causam recusaris. Quum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo[3], neque purgo : quod a vobis hoc pugnari video, ne in quæstionem dentur, suspiciosum est; quod vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est, sciant aliquid, quod si dixerint, perniciosum vobis futurum sit. In dominos[4] quæri de servis iniquum est. Anne quæritur[5]? Sex. enim Roscius reus est. Neque enim, quum de hoc quæritur[6], vos dominos[7] esse dicitis. Cum Chrysogono sunt. Ita, credo, literis eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur, ut inter suos om-

2. *Iste.* S. Roscius, quem digito indicat. Legunt quidam *is te.*

3. *Arguo.* Puniri juste poterant, quod, domino ipsis præsentibus occiso, opem non tulissent. Ad Div. IV, 12.

4. *In dominos.* Objectio Rosciorum, qua de servis in dominos, h. e. in se et in Chrysogonum quæri iniquum esse contendunt.

5. *Anne quæritur?* Subaud. in dominos. Quæritur enim in reum, quem dominum esse negatis : vos vero domini eorum haberi non vultis; dominum unum dicitis Chrysogonum.

6. *De hoc quæritur.* Quum quæritur, cujus in potestate sint.

7. *Dominos.* In dominos non quæri ait Cicero, quia in reum quæstio instituitur, non in accusatores : atqui in Sextum quæri quem dominum Roscii non dicerent. Neque sane si dominum, ut olim fuerat, vellent fateri,

nium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familiis[8] lectos, velit hos versari, homines pæne operarios ex Amerina disciplina patrisfamiliæ rusticani.

Non est ita profecto, judices; non est verisimile[9], ut Chrysogonus horum literas adamarit, aut humanitatem; non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum, et fidem : est quiddam, quod occultatur; quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet.

XLII. Quid igitur? Chrysogonus, sui maleficii occultandi causa, quæstionem de his haberi non vult? Minime, judices : non in omnes arbitror omnia convenire : ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil ejusmodi suspicor; neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. Meministis, me ita distribuisse initio causam, in crimen, cujus tota argumentatio[1] permissa Erucio est; et in audaciam, cujus partes Rosciis impositæ sunt; quidquid maleficii, sceleris, cædis erit, proprium id Rosciorum esse debebit : nimiam gratiam[2], potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare, et perferri nullo modo posse, et a vobis,

iniquam hanc rem dicere poterant, quum ultro is postularet. Iniquitatem igitur in præsentes dominos intelligebant; neque enim obscurum esse qui peteret, eum non adversus se petere, sed ad refutandos adversarios. Quod recte suspiciosum Tullius affirmat; nisi enim sibi timuissent, profecto dedissent. Varie h. l. emendarunt docti. Menardus legi volebat : « in vos dominos hoc esse dicetis ». Heusing. « q. d. h. q. in vos quæritur, neque enim vos dominos e. d. » Ernest. « q. d. h. q. de domino quæritur, vos enim d. e. d. » Beck. edidit : « vos enim dominum esse dicitis ». Nos cum Lallem. Garat. vulgatam tuemur.

8. *Familiis*. Proscriptorum servis.

9. *Verisimile ut*. Durior videtur constructio; sequi enim solet accusativus cum infinitivo. Exempla tamen invenias Verr. IV, 6; pro P. Sext. 36, ubi legitur : « an verisimile est, ut civis rom. cum gladio in forum descenderit ante lucem, etc. »

XLII. 1. *Argumentatio*. Criminis arguendi ratio, argumentorum excogitatio, tractatio.

2. *Gratiam*. Apud Sullam. *Potentiam* in judiciis.

quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari [3] oportere.

Ego sic existimo, qui quæri velit ex iis, quos constat, quum cædes facta sit, affuisse, eum cupere verum invenire; qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio, judices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam causa postularet, ac necessitas ipsa cogeret. Nam et multæ res afferri possunt, et unaquæque earum multis cum argumentis dici potest. Verum ego, quod invitus ac necessario facio, neque diu, neque diligenter facere possum. Quæ præteriri nullo modo poterant, ea leviter, judices, attigi; quæ posita sunt in suspicionibus, de quibus, si cœpero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingeniis conjecturæque committo.

XLIII. Venio nunc ad illud nomen aureum [1] Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuitur : de quo, judices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo, vel maximam partem relinquo : sin autem dico, vereor, ne non ille solus, id quod ad me nihil attinet, sed alii [2] quoque plures læsos se esse putent. Tametsi ita se res habet, ut mihi in communem causam sectorum dicendum nihil magnopere videatur. Hæc enim causa nova profecto et singularis est.

Bonorum Sex. Roscii emptor est Chrysogonus. Pri-

3. *Vindicari.* Plane supprimi, ne nocere possit amplius.

XLIII. 1. *Aureum.* Jocus a notatione græci nominis, quod idem latine sonat, ac « fœtus aureus ». Fit enim a χρυσός, aurum, et γόνος, semen, fœtus. Hac vero ironia servile et contemptissimum genus ei exprobrat; quod græca appellatione servi soli in ludibrium notarentur.

2. *Alii.* Nempe sectores, potentes homines, ut Crassus ille divitiis et triumviratu famosus, qui et ipsi proscriptorum bona coemerunt.

mum hoc videamus, ejus hominis bona qua ratione venierint, aut quomodo venire potuerint? Atque hoc non ita quæram, judices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona venisse. Si enim hæc audientur, ac libere dicentur; non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. Verum hoc ego quæro, qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, sive Valeria[3] est, sive Cornelia (non enim novi[4], nec scio), verum ista ipsa lege, bona Sex. Roscii venire qui potuerunt?

Scriptum enim ita dicunt esse, « Ut eorum bona veneant, qui proscripti sunt »; quo in numero Sex. Roscius non est: « aut eorum, qui in adversariorum præsidiis occisi sunt ». Dum præsidia ulla fuerunt, in Sullæ præsidiis fuit: posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio, rediens a cœna, Romæ occisus est. Si lege; bona quoque lege venisse fateor: sin autem constat, contra omnes non modo veteres leges[5], verum etiam novas, occisum esse; bona quo jure, aut quo modo, aut qua lege venierint, quæro.

XLIV. In quem hoc dicam, quæris, Eruci? Non in eum, quem vis, et putas: nam Sullam et oratio mea ab initio, et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, ut[1] emen-

3. *Valeria.* Qua L. Valerius Flaccus Sullam dictatorem perpetuum dixit. Vid. Ind. Leg.

4. *Non enim novi.* Quia leges istæ injustissimæ erant, fingit, per contemptum et indignationem, orator eas se ignorare, non sine Sullæ contumelia: quippe dum eas se non legisse, nec, quis tulerit, scire ait, non leges, sed tyranni edicta, putare significat.

5. *Veteres leges.* Porciam et Semproniam. Quarum alia vetabat civem rom. indemnatum necari, alia prohibebat de capite civis rom. nisi centuriatis comitiis judicari. Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit.

XLIV. 1. *Fecisse dico, ut,* etc. I. e. ementitum fuisse, finxisse, dixisse, passum non esse. Et est latina constructio sæpius apud veteres usurpata. Sic ad Div. X, 17: « fecit ut

tiretur, ut malum civem Roscium fuisse fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret; ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit. Denique etiam illud suspicor, omnino hæc bona non venisse: id quod postea, si per vos[2], judices, licitum erit, aperietur. Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, venditionesque fiant: nimirum ad kal. junias. Aliquot post menses et homo occisus est, et bona venisse dicuntur. Profecto aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt[3], nosque ab isto nebulone[4] facetius eludimur, quam putamus; aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse constat. Intelligo me ante tempus, judices, hæc scrutari, et propemodum errare, qui, quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, rediviam[5] curem. Non enim laborat de pecunia; non ullius rationem sui commodi ducit; facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione et ficto crimine liberatus sit.

Verum quæso a vobis, judices, ut hæc pauca, quæ restant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipso[6] putetis, partim pro Sex. Roscio. Quæ enim mihi ipsi indigna et intolerabilia videntur, quæque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso,

Apellam ad me mitteret», id est, misit.

2. *Si per vos.* Si me audire volueritis, ea quæ ad causam pertinere puto, libere narrantem.

3. *Nulla redierunt.* Non in tabulis inscripta sunt, quas ærarii quæstores asservabant, et in quibus pecuniam, quæ ex publicatis bonis redigebatur, perscribere solebant. — Ed. 1480, «nulla ratione redierunt».

4. *Nebulone.* Chrysogono, quem paullo post et «hominem postremum» et «servum nequissimum» appellat.

5. *Rediviam.* Rebus majoris momenti neglectis, curam levioris mali suscipiam. Porro proverbium est: *redivia*, seu reluvium, morbus est, quo particula cutis circa ungues digitorum se resolvit. (Gall. *envie.*)

6. *Pro me ipso.* Meo nomine. Prudenter separat a causa Roscii quæ graviora dicturus est; ne illius saluti officiat propria oratoris audacia.

ex animi mei sensu ac dolore, pronuntio: quæ[7] ad hujus vitæ casum, causamque pertineant, et quid hic pro se dici velit, et qua conditione contentus sit, jam in extrema oratione nostra, judices, audietis.

XLV. Ego hæc a Chrysogono, mea sponte, remoto Sex. Roscio, quæro: primum, quare civis optimi bona venierint; deinde, quare hominis ejus, qui neque proscriptus[1], neque apud adversarios occisus est, bona venierint, quum in eos solos lex scripta sit; deinde, quare aliquanto post eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita est; deinde, cur tantulo venierint. Quæ omnia si, quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere, in patronum[2] suum voluerit conferre; nihil egerit: nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos [partim connivente[3]], partim imprudente L. Sulla, commisisse.

Placet igitur[4] in his rebus aliquid imprudentia præteriri? Non placet, judices, sed necesse est. Etenim, si Jupiter[5] optimus maximus, cujus nutu et arbitrio cælum, terra, mariaque reguntur, sæpe ventis vehe-

7. *Quæ ad.* Quæ ad calamitatem S. Roscii, vitæ periculum, ejusque causam ac defensionem pertineant.

XLV. 1. *Neque proscriptus.* Hæc duo verba, in nullo veteri exemplari reperta, ex Hotomanno Lamb. Man. Gruter. Garat. reposuere.

2. *In patronum.* L. Sullam. Quæ dicuntur ad evitandam dictatoris offensionem.

3. Binæ hæ voces non sunt in MSS aut edd. veterrimis, nec videntur auctoris, quum in sequentibus de sola imprudentia sermo sit, et illa Sullæ objecta conniventia, in pejorem sane partem accipi potuisset. Victorius et P. Manutius invexere, quod *partim* semper bis ponendum esse arbitrabantur. Credit Garat. scripsisse Tullium « multa multos privatim, imprudente L. Sulla, commisisse ». Quod quum sæpe in MSS *ptim* legatur, inde profectum errorem *partim* legentium. Atque h. l. *privatim* significaret *ex se*, Sulla non participe, ipsos denique solos commisisse. Ceterum optime explicatur *partim*, ita ut verba illa quæ adduntur, nullo modo sint necessaria, sed tantum in audientium animis subintelligantur.

4. *Placet igitur.* Oportet igitur, ut multa prætereat qui remp. administrat? Non ita sane: verum ita cogit necessitas.

5. *Si Jupiter.* Si deus ille, cui maxima attribuitur et clementia, et po-

mentioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit; quorum nihil perniciei causa divino consilio, sed vi ipsa[6], et magnitudine rerum, factum putamus; at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, quum solus rempublicam regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit.

Verum, ut hæc missa faciam, quæ jam facta sunt; ex iis, quæ nunc maxime fiunt, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? Hoc judicium[7]... cujus honoris[8] causa accusare se dixit Erucius....

XLVI. *(Desunt non pauca.)*

.....[1] Aptam et ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis, aut in Bruttiis habent, unde

tentia, non omnia tamen mala avertit: multo minus Sulla. Magnifica comparatio, et ad vitandam Sullæ iram aptissima!

6. *Vi ipsa.* Vi magna naturæ, et æternæ legis aut fati imperio, cui dii ipsi erant obnoxii. Vid. de Offic. III, 28.

7. *Judicium.* Mancus locus, cujus tamen hic sensus esse videtur: « qui hoc judicium totum conflavit ».

8. *Honoris.* Cujus mercede Erucius adductum esse se esse dixit ad accusandum. *Honor* pro remuneratione h. l. accipitur, ut supra c. 37.

XLVI. 1. Desideratur totus ille locus, in quo ostendebat orator bona S. Roscii neque venire potuisse, neque venisse: deinde amplificationis principium, qua Chrysogonum insectatur, ut omnium Sullæ libertorum opulentissimum ac potentissimum; quem cum ceteris libertis comparat, qui antea quoque egentissimi, non mediocres rei familiaris cupias repente consequuti sunt. Sed quid ad Chrysogonum? hi secum bene actum seque omnino felices arbitrantur, si villas in extremo Italiæ angulo remotas ac devias habeant, ille vero, etc.

vix ter in anno audire nuntium possunt. Alter[2] tibi descendit de Palatio[3], et ædibus suis; habet animi relaxandi causa rus amœnum et suburbanum, plura præterea prædia; neque tamen ullum, nisi præclarum et propinquum : domus referta vasis Corinthiis et Deliacis[4], in quibus est authepsa[5] illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui prætereuntes pretium[6] enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam vero quantam, et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios : animi et aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, et[7] nervorum, et tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. In hac vita, judices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ vero convivia? ho-

2. *Alter*. Chrysogonus. *Tibi*. Pleonasmus est, ad emphasim faciens et indignationem.

3. *Palatio*. Colle Palatino, ubi principes civitatis habitant; et ubi Chrysogonum ædes suas habere, quum servus fuerit, indignissimum videtur. Conf. Horatii Epod. IV, qua vilissimum Pompeii libertum eadem audacia insectatur : verum curaverat Horatius ut hanc saltem intra chartas servaret.

4. *Corinthiis et Deliacis*. Vasa æris Corinthii celebratissima erant; illud ex Corinthii incendio conflatum, confuso quippe auro, argento et ære, credidit Florus; quam fabellam de æris Corinthiaci origine refellit ex ipso Plinio, XXXIV, 3, 4, Bochardus Hierozoici, VI, 16. Secundum locum Deliaca obtinebant.

5. *Authepsa*. Ollæ genus coquendis cibis ac postea calefaciendis balneis accommodatum, ex coctili terra aut ferro (hic vero ex ære Corinthio) : a græco αὐτὸς, ipse, et ἕψω, coquo, quasi per se coqueret, nec foco indigeret. Vid. Senec. Quæst. natur. III, 24.

6. *Pretium*. Pretii est enumeratio in auctione, ubi quantum singuli in foro licitarentur, ex præconis voce intelligere poterant prætereuntes. Loco *pretium* in Pal. prim. *præconi*.

7. *Nervorum*. Fidium quæ citharis aptantur.

nesta, credo, in ejusmodi domo: si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ, et deversorium flagitiorum omnium. Ipse vero quemadmodum composito et delibuto capillo[8] passim per forum volitet cum magna caterva togatorum[9], videtis, judices; ut omnes despiciat; ut hominem præ se neminem putet; ut se solum beatum, solum potentem putet. Quæ vero efficiat, et quæ conetur, si velim commemorare, vereor, judices, ne quis imperitior existimet, me causam nobilitatis victoriamque voluisse lædere: tametsi meo jure[10] possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse a causa nobilitatis existimet.

XLVII. Sciunt ii, qui me norunt, me, pro illa tenui infirmaque parte[1], posteaquam id, quod maxime volui, fieri non potuit, ut componeretur, id maxime defendisse[2], ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret, humilitatem[3] cum dignitate de amplitudine contendere? Quo in certamine perditi civis erat, non se ad eos jungere, quibus incolumibus et domi dignitas, et foris auctoritas retineretur. Quæ perfecta esse, et suum cuique honorem, et gradum redditum, gaudeo, judices, vehementerque lætor; eaque omnia deorum voluntate, studio populi romani,

8. *Delibuto capillo.* Ad hujus loci explicationem faciunt, quæ habet Ursinus ad Ciacconii triclinium, p. 132.

9. *Togatorum.* Civium romanorum, quorum toga erat propria. Quo uno verbo et liberti arrogantiam, et clientium abjectam servitutem designat orator.

10. *Meo jure.* Quod satis constat, me partes Sullanas semper sequutum fuisse: quod ipse Sullanarum partium sim fautor. Ceterum hac in re causæ suæ ac tempori servit Cicero, quum contra magno semper studio Marium sit prosequutus.

XLVII. 1. *Infirmaque parte.* Pro illa virium mearum infirmitate, pro mearum opum tenuitate. Male hoc retulerat Hotom. ad Marii, Cinnæ, Carbonis partes.

2. *Defendisse.* Omni asseveratione, palam probando, optando contendisse.

3. *Humilitatem.* Plebeios nempe cum nobilibus de potentia contendere.

consilio et imperio et felicitate L. Sullæ, gesta esse intelligo. Quod animadversum est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt, non debeo reprehendere: quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exstitit, honos habitus est, laudo: quæ ut fierent[4], idcirco pugnatum esse arbitror, meque in eo studio partium fuisse confiteor. Sin autem id actum est, et idcirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, et in fortunas uniuscujusque impetum facerent, et id non modo re prohibere non licet, sed ne verbis quidem vituperare: tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressusque populus romanus est. Verum longe aliter est; nihil horum est, judices: non modo non lædetur causa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur.

XLVIII. Etenim qui hæc[1] vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur; qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. Ac jam nihil est, quod quisquam aut tam stultus[2], aut tam improbus sit, qui dicat, « Vellem quidem liceret, hoc « dixissem ». Dicas licet. « Hoc fecissem. » Facias licet: nemo prohibet. « Hoc decrevissem. » Decerne, modo recte: omnes approbabunt. « Hoc judicassem. » Laudabunt omnes, si recte[3] et ordine judicaris. Dum ne-

4. *Quæ ut fierent.* Ut domi dignitas, foris auctoritas retineretur.

XLVIII. 1. *Hæc.* Sullæ victoriam.

2. *Stultus.* Qui non metuenda timeat.—*Improbus.* Qui fingat metum, ut improbe judicet. Hæc judices sui officii admonent, quibus liberum esse affirmat, quæ sentiant dicere. Sed quæ de decernendo loquitur, et magistratu ac procuratione, ad M. Fannium quæsitorem ac præsidem pertinere maxime videntur.

3. Melius forte *ratione*, ut cod. Lincoln. et ed. Venet. J. V. L. — Ceterum « recte et ordine » idem est quod non præpostere, re antea cognita, juste. Præterea formula erat approbantium et laudantium, qua senatus quotidie utebatur, ut notissimum est ex Brisson. Formul. II, 197.

cesse erat, resque ipsa cogebat, unus omnia poterat: qui posteaquam magistratus[4] creavit, legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt, in perpetuum poterunt obtinere: sin has cædes, et rapinas, et hos tantos tamque profusos sumptus aut facient, aut approbabunt; nolo in eos gravius quidquam, ne ominis quidem causa, dicere; unum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes, et boni, et fortes, et misericordes erunt, iis hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta sua concedant necesse est.

Quapropter desinant aliquando dicere, male aliquem loquutum esse, si quis vere ac libere loquutus sit; desinant suam causam cum Chrysogono communicare; desinant, si ille læsus sit, de se aliquid detractum arbitrari; videant, ne turpe miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem[5] pati non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse. Quæ quidem dominatio, judices, in aliis rebus antea versabatur; nunc vero quam viam munitet[6], quod iter affectet, videtis: ad fidem, ad jusjurandum, ad judicia vestra, ad id, quod solum prope in civitate sincerum sanctumque restat.

Hicne[7] etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? O rem miseram atque acer-

4. *Magistratus*. Sulla dictator comitia haberi, consules creari permisit, sed tantum ad speciem. Sua cuique auctoritas restituta non est, nisi anno 674, quo anno dictaturam abdicavit. Neque hæc ignorat Cicero, sed causæ suæ consulit.

5. *Equestrem splendorem*. Significat judicia, quæ equestri ordini Sulla victor ademerat, et ad senatorium ordinem transtulerat.

6. *Munitet*. Sibi aperire cupiat, i. e. quid paret, quid moliatur. Totum hoc e poeta desumptum Grutero videtur: nam pedes apparent trochaici versus: « quam viam Munitet, quod iter affectet ». Quod melius etiam demonstrat usurpatum verbum *munitet*, quod non alibi occurrit.

7. *Hic*. In judiciis. Nempe putat Chrysogonus se judicum animos ad nutum posse moderari.

bam! Neque mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit: verum quod ausus est, quod speravit, sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, id ipsum queror.

XLIX. Idcircone experrecta[1] nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium, bona, fortunas vestras nostrasque vexare possent? Si id actum est, fateor me errasse, qui hoc[2] maluerim; fateor insanisse, qui cum illis senserim: tametsi inermis, judices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento atque emolumento reipublicæ, populoque romano debet esse; tum vero optimo et nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. Quod si quis est, qui et se, et causam lædi putet, quum Chrysogonus vituperetur; is causam ignorat, se ipsum prope non novit[3]. Causa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur; ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, læditur[4], quum ab hoc splendore causæ separatur.

Verum hæc omnis oratio, ut jam ante dixi, mea est; qua me uti respublica, et dolor meus, et istorum injuria coegit. Sed Roscius horum nihil indignum putat; neminem accusat; nihil de suo patrimonio queritur; putat homo imperitus morum, agricola et rusticus, ista omnia, quæ vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, jure gentium facta: culpa liberatus, et crimine nefario solutus cupit a vobis discedere. Si hac indigna suspicione careat, animo æquo se carere suis omnibus

XLIX. 1. Olim, *exspectata*; et sic nonnulli MSS. J. V. L.

2. *Hoc.* Ut nobiles vincerent.

3. *Non novit.* Non intelligit se nobilem esse, nihilque se cum Chrysogono, liberto homine, commune habere.

4. *Læditur.* Se ipse lædit, quum se a splendida nobilium causa, volens lubensque separat.

commodis dicit : rogat, oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit; si nulla in re te fraudavit; si tibi optima fide sua omnia concessit, annumeravit, appendit; si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito[5] suum tibi tradidit; si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque præterea quidquam excepit; ut sibi[6] per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere.

L. Prædia mea tu possides : ego aliena misericordia vivo; concedo, et quod animus æquus est, et quia necesse est : mea domus tibi patet, mihi clausa est; fero : familia mea maxima uteris, ego servum habeo nullum; patior, et ferendum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi a me putas? Ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliorum causa[1] vis hominem occidere, spoliasti : quid quæris amplius? Si inimicitiarum; quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus ante prædia possedisti, quam ipsum cognosti? Sin metuis[2]; ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem injuriam propulsare non posse? Sin, quod bona, quæ Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc

5. *De digito.* Hanc elegantem correctionem, quæ Lambini est, sequuti sunt omnes. Porro intelligendus est aureus annulus quem locupletissimi ferebant, ut S. Roscius; hunc Chrysogono tradidit, quippe quem omnibus fortunis eversus, non jam gestare posset. Similia exempla in Verr. I invenies. Ceterum frustra turbat Manutius, quum ferreum tantum a Roscio gestari potuisse annulum dicat, quia non eques rom. erat. Ut enim Ciceronem mittam, Isidorus aperte dicit : «annulo aureo liberi utebantur, libertini argenteo, servi ferreo ». Olim legebatur « os suum tibi tradidit », unde cui commoda explicatio non poterat. Verburgius emendarat « annulumque dedit, rus suum tibi tradidit », quod unice probat Otto, quamvis illud rus post vestitum et annulum satis imperite, nedum parum oratorie collocetur.

6. *Ut sibi.* Repete e superiori : « rogat, oratque te ».

L. 1. *Spoliorum causa.* Jam loquitur ex persona sua Cicero.

2. *Sin metuis.* Ne aliqua in re noceat. — Franc. 1 : « ab eo ne aliquid metuas ». Vulg. abest *aliquid*.

illius filium studes perdere; nonne ostendis, id te vereri, quod præter ceteros tu metuere non debeas[3], ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur[4]. Facis injuriam, Chrysogone, si majorem spem emptionis tuæ in hujus exitio[5] ponis, quam in his rebus, quas L. Sulla gessit. Quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis; si tibi omnia sua, præter animam, tradidit, nec sibi quidquam paternum[6], ne monumenti quidem causa, reservavit: per deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis umquam prædo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut, quum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil umquam contra rem tuam cogitasse: et tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam habere jam reliqui vides, quod ei detrahere possis: nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in judicio vides, quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio, nudum expulisti. Quasi vero nescias, hunc et ali et vestiri a Cæcilia, Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima femina: quæ, quum patrem clarissimum[7], amplissimos patruos, ornatissimum fratrem

3. *Non debeas.* Quum tantum apud Sullam gratia valeas, quantum in civitate nemo alius.

4. *Reddantur.* Quæ ne redderentur Valeria lege cautum erat.

5. *In hujus exitio.* Injuste facis, si spem certæ possessionis Roscianorum bonorum, quæ emisti, in erepta potius huic vita ponis, quam in lege Valeria, qua omnia Sullæ acta rata esse jubentur. Ea enim siquando abrogabitur, excidet tibi rapina, etiamsi Sex. Roscii filium interfeceris.

6. *Quidquam paternum.* I. e. ne tantum quidem paterni agri, quantum adeundo patris sepulcro satis est: vel potius, quod satis sit ut cum paternis cineribus suos olim misceat.

7. *Clarissimum.* Cæciliæ gentis claritudo notatur ex eo, quod intra viginti quatuor annos consules aut censores fuere Metelli, aut triumpharunt, amplius quindecim. Plin. VII, 45. Vell. Pat. II, 11.

haberet, tamen, quum[8] esset mulier, virtute perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet.

LI. An, quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? Mihi crede, si, pro patris ejus hospitiis et gratia, vellent omnes hujus hospites adesse, et auderent libere defendere, satis copiose defenderetur: sin autem pro magnitudine injuriæ, proque eo, quod summa respublica[1] in hujus periculo tentatur, hæc omnes vindicarent, consistere mehercule vobis isto in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non sane ut moleste ferre adversarii debeant, neque ut se potentia superari putent. Quæ domi gerenda sunt, ea per Cæciliam transiguntur; fori judiciique rationem Messalla[2], ut videtis, judices, suscepit. Qui, si jam satis ætatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret: quoniam ad dicendum impedimento est ætas, et pudor, qui ornat ætatem, causam mihi tradidit, quem sua causa cupere[3] ac debere intelligebat; ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscii vita, erepta de manibus sectorum, sententiis judicum permitteretur. Nimirum, judices, pro hac nobilitate[4] pars maxima civitatis in armis fuit: hæc acta res[5] est, uti nobiles restituerentur in civitatem, qui hoc facerent,

8. *Quum*. Quamvis. Sensu non novo.

LI. 1. *Summa respublica*. I. e. res in qua versatur totius reip. salus. Publica libertas in periculum vocatur; id agitur ut resp. evertatur, ut optimis quibusque civibus, qui sua virtute remp. sustinent, exitium afferatur. Nam si innocens ille damnatur, quis sicarius, quod libeat, id sibi non licere putaturus est? Vid. J. F. Gronov. ad T. Liv. XXVI, 9.

2. *Messalla*. De hoc loquitur Cicero in Bruto, cap. 79, « M. Messalla minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, etc. »

3. *Quem sua causa cupere*. Mihi quem suæ causæ favere scit. Sic ad Div. XIII, 64. In priore *cupere* amor ostenditur, in posteriore *debere* officium. — J. V. L. *intelligat*.

4. *Hac nobilitate*. Nobilibus Messallæ similibus.

5. *Hæc acta res*. Arma sumpta sunt.

quod facere Messallam videtis; qui caput[6] innocentis defenderent; qui injuriæ resisterent; qui, quantum possent, in salute alterius, quam in exitio, mallent ostendere. Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent; et respublica ex illis, et ipsi ex invidia minus laborarent.

LII. Verum si a Chrysogono, judices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam[1] ne petat; si ille adduci non potest, ut, quum ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis est, eripere cupiat; si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis[2] perlitus sit: unum perfugium, judices, una spes reliqua est Sex. Roscio, eadem, quæ reipublicæ, vestra pristina bonitas et misericordia: quæ si manet, salvi etiam nunc esse possumus. Sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in republica versata est, vestros quoque animos, id quod fieri profecto non potest, duriores acerbioresque reddidit; actum est, judices: inter feras satius est ætatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. Ad eamne rem vos reservati[3] estis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnare-

6. *Caput.* Vitam, libertatem, existimationem sine qua vita nulla putatur.

LII. 1. *Vitam ne petat.* Mirabilis locus in epilogis inducendus ad commovendam misericordiam. Similis ille pro Quintio, 30, in fine.

2. *Crudelitate sanguinis.* I. e. sanguine crudeliter effuso, crudeli cæde adspersus sit et perfusus. Quæ sane elata, ut in indignante, translatio est. Clericus autem Art. critic. III, 1, 8, audaciori hoc loquendi genere offensus legendum censet « crudelitati sanguine perlitarit », ita ut Crudelitati quasi deæ sacra faciat. Hoc recepit Sch. Ceterum ostendit Oliv. placere Ciceroni eas vocum commutationes, quæ grammaticis auribus forsan non placeant, sed novitatem dictioni ac admirabilitatem concilient. Inde enim vis major et quædam colorandi efficacis a bonis oratoribus non minus quam poetis sæpius usurpata. — Loco *perlitus* in vett. edd. *præditus*. Pessime.

3. *Reservati.* Ex nobilium, quos Marius trucidavit, cæde servati. — *Delecti.* Judices constituti.

tis, quos sectores ac sicarii jugulare non potuissent? Solent hoc boni imperatores facere, quum prælium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent; in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. Dii prohibeant, judices, ut hoc quod majores consilium publicum[4] voçari voluerunt, præsidium sectorum existimetur! An vero, judices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quavis ratione tollantur, et ejus rei initium in vestro jurejurando, atque in Sex. Roscii periculo quæri? Dubium est, ad quem maleficium pertineat, quum videatis in altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eumdemque accusatorem hoc tempore; ex altera parte egentem, probatum suis[5] filium, in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? Numquid hic aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt[6]?

LIII. Quod si id vos suscipitis, et eam ad rem operam vestram profitemini; si idcirco sedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cavete, per deos immortales, judices, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quæ facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit[1], ne quid acrius, quam more majorum[2] comparatum est, pu-

4. *Consilium publicum*. Consessum judicum publicæ utilitati consulentium. Sic appellata publica omnia judicia. Sæpius etiam hoc nomen senatui tribuitur, ut infra.

5. *Suis*. Amerinis suis civibus.

6. *Venierunt*. Quæ retinere se posse non putant, incolumi filio.

LIII. 1. *Suscipere noluit*. Senatusconsulto probare noluit.

2. *More majorum*. Respicit h. l. ad leges Porcias et Sempronias, quæ

blico consilio[3] factum videretur. Hanc vero, quæ ad eorum liberos atque infantium puerorum[4] incunabula pertinet, nisi hoc judicio a vobis rejicitis et aspernamini, videte, per deos immortales, quem in locum rempublicam perventuram putetis. Homines sapientes, et ista auctoritate et potestate præditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime respublica laborat, iis maxime mederi convenit. Vestrum nemo est, quin intelligat populum romanum, qui quondam in hostes[5] lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate, judices; hanc pati nolite diutius in hac republica versari: quæ non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam[6] consuetudine incommodorum. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

securim a civium cervicibus, virgas a tergo removebant.

3. *Publico consilio*. Auctoritate senatus.

4. *Puerorum incunabula*. Hanc vehementissime insectatur legem in Sallustio Lepidus: « quin solus omnium (Sulla), post memoriam hominum, supplicia in postfuturos composuit, queis prius injuria quam vita certa esset ». Hanc postea Cæsar, rerum potitus, abrogavit. Sueton. in Jul. c. 41.

5. *In hostes lenissimus*. Vide Cæsarem apud Sallust. in Bell. Catil. 50.

6. *Ademit misericordiam*. Monet judices ne inviti ferme ad crudelitatem sint propensiores. Illud enim, ex bellorum civilium spectaculo trahitur, ut quodammodo humanitatis omnis hebescat sensus.

M. TULLII CICERONIS
PRO Q. ROSCIO COMOEDO
ORATIO

ARGUMENTUM.

Tradidit C. Fannius Chærea (homo, ut videtur, natione Græcus, C. Fannii cujusdam libertus, cujus de more nomen sibi adoptaverat) Q. Roscio, comœdo nobilissimo, de quo fusius ad calcem hujus orationis dicitur, Panurgum servum suum, ea conditione ut arte histrionica ab illo institueretur, quæstusque inter eos esset communis. Pauurgus autem, quum in ea arte jam aliquantum profecisset, et a multis, ut Roscii discipulus, in scena probaretur, a Flavio quodam Tarquiniensi occiditur. Flavium Roscius quum judicio vellet persequi, hanc provinciam Fannio dedit, cujus quoque illud intererat. Judicio autem constituto, pro sua parte decidit Roscius cum Flavio, et ab eo sestertium centum millia (20,500 fr.) pro damni illati injuria obtinet, neque tamen numeratam pecuniam, sed pro ea agrum accipit non magni æstimatum, nempe quod, Sulla hisce temporibus dominante, non certo bona emi aut possideri possent. Deinde Pisonis rogatu, quem arbitrum Fannius elegerat, Roscius Fannio pro opera, pro labore quod cognitor fuisset, quod vadimonium obiisset, certam pecuniam dedit, ea nimirum conditione, ut siquid et ipse pro servo interempto exegisset a Flavio, partem ejus dimidiam Roscio dissolveret. Repromisit Fannius; Flavio litem intendit, et sumpto hac in privata causa judice C. Cluvio equite romano, ab eo exegit H-S centum millia, cujus pecuniæ pars dimidia, quum Roscio ex convento deberetur, nulla dissoluta est. Imo Fannius, quarto anno post, Flavio interea mortuo, Roscio litem intendit, ab eoque H-S quinquaginta millia (10,250 fr.), dimidiam scilicet partem pretii, quo ager quem Flavius olim Roscio tradiderat, nunc æstimabatur, postulavit; quasi Roscius tum pro tota societate cum Flavio decidisset, et in animum induxisset socium dimidia parte, quæ ei deberetur, fraudare. Datus igitur judex a prætore C. Calpurnius Piso, triennio ante in eadem causa arbiter, et novem annis post hanc causam, h. e. anno 686 consul, et severissimæ legis Calpurniæ *de ambitu* auctor. Huic assidet in consilio M. Perperna, vir censorius et consularis, cui illud evenit, ut quum vixisset annos 98,

septem tantum in senatu reliquerit, moriens, ex iis quos censor legerat. Plin. VII, 48. Val. Max. VIII, 13, 4.

Acta videtur causa A. U. C. 677, Cn. Octavio, M. Scribonio Curione coss. quarto anno post causam Sex. Roscii Amerini defensam, quum Cicero ex Asia reversus annum ageret ætatis suæ primum et trigesimum. Fannii causam agit P. Saturius, cui rerum capitalium quæstionem A. U. 678 sortito ingenii, diligentiæ, religionis laudem tribuit Cicero pro Cluentio, c. 38. Oratoriam autem ejus facultatem nunc irridet infra cap. 10; at adversarius adversarium pungit, et ea semper oratoribus lex est, ut causæ primum, dein veritati serviant.

Causa vicit Tullius, ex ea nempe ratione quod judicibus demonstravit Fannium quoque pro *damni dati injuria* pecuniam a Flavio accepisse.

SYNOPSIS.

Hujusce orationis vix sexta pars ad nos pervenit integra. Deest enim exordium, narratio, maxima pars contentionis et peroratio.

Quod superest de contentione partes habet duas, confirmationem et confutationem.

Propositio Confirmationis tria in argumenta distribuitur. Pecunia, quam Fannius petit, a Roscio non debetur, quia

1° Fannius mutuo nihil dedit Roscio.

2° Fannius societatis nomine pecuniam non expendit.

3° Fannio Roscius nihil promisit.

Primum argumentum, temporum injuria periit. Secundum non est integrum: in ea, quæ reliqua est parte, demonstratur non tabulis suis probare Fannium posse se societatis nomine pecuniam expendisse, 1, 2, 3. Si vere ei certa pecuniæ summa deberetur, non ad arbitrum primum, deinde ad judicem iturum fuisse. Qui nempe ad arbitrum confugiunt, non definitam summam repetunt, sed plus aut minus impetrant, prout arbitro æquum videtur. Ergo male agit Fannius, qui nunc certum petit; et causa cadat necesse est. Judex enim formula sua constringitur, et ab ea recedere ne uno quidem verbo potest; ita ut, etiam si plus aut minus H-S quinquaginta millibus deberi intelligat, ex formula tamen reum absolvat. De formulis vide plura ad calcem voluminis hujus, in excursu De ordine exercendorum judiciorum.

Nunc confirmationi Confutationem subjungit orator, 5. Demonstrat in Roscium, ut virum optimum, non cadere suspicionem, eum socium suum fraudare voluisse, contra in Fannii ingenium ejusmodi malitiam convenire,

6, 7. Porro causam non fuisse, cur Roscius Fannium fraudaret, quippe qui non solum locuples, sed etiam semper liberalissimus fuisset, 8. Confessum ipsum Fannium qui non eum hoc nomine sit persequutus, 9-11. Neque ab iis quæ Panurgi mortem sequuta sunt, argui posse Roscii fidem. Demonstratur enim Roscium illo tempore quo agrum a Flavio solutionis causa accepisset, cum eo pro sua parte, non pro tota societate pactionem fecisse, 12. Tum ostendit Fannium postea tantumdem, quantum Roscius a Flavio acceperat, ab eo exegisse; id quod T. Manilii et C. Luscii Ocreæ testimoniis confirmatur, qui hoc se ex Cluvio audisse dixerunt, 13-17. Postremo occurritur calumniæ Fannii, qui, quamvis partem suam a Flavio obtinuerit, quod sibi exegit Roscius, id commune societatis factum esse contendit.

Reliqua hujus orationis desiderantur, non sine magno dolore eorum, quibus oratio placet gravis et incitata, distincta luminibus sententiarum atque verborum.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

PRO Q. ROSCIO COMŒDO ORATIO.

ORATIO TERTIA.

Multa, quæ desunt, quærenda.

....

...... I...... [1] Malitiam naturæ, crederetur?..... Is scilicet vir optimus [2], et singulari fide præditus, qui, in suo judicio, suis tabulis [3] testibus uti conatur. Solent fere dicere, qui per tabulas homines..... citi [4] pecuniam expensam tulerunt : Egone talem virum corrumpere potui, ut mea causa falsum in codicem

I. 1. Deest principium orationis una cum narratione et prima parte confirmationis. — Primæ sententiæ conjicitur sensus : Illine fidem adhibebunt, qui malitiam ejus naturæ noscunt?

2. *Optimus*. Hoc ad C. Fannium ironice refertur, qui quum res ipsius agitur, quasi testes affert suas tabulas.

3. *Tabulis*. Mos erat patrumfamilias, quæcumque per singulos dies aut acciperent aut expenderent, ut ea primum in codice quem *adversaria* vocabant, deinde eadem per otium in tabulis (*un registre*) perscriberent. Ex iis vero quinto quoque anno uniuscujusque civis census æstimabatur. Vid. Vossii Etym. Salmas. de Usur. p. 147.

4. Ernestius conjicit « hominis certi »; P. Manutius, « honesti »; F. Ursinus, « acciti »; Ant. August. « sciti »; alii aliter, ut in omni hac parte orationis. J. V. L.

referret? Exspecto, quam mox Chærea hac oratione utatur: Egone hanc manum, plenam perfidiæ [5], et hos digitos meos impellere potui, ut falsum perscriberent nomen [6]? Quod si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius: erit in illius tabulis hoc nomen; at in hujus non erit. Cur potius illius, quam hujus, credetur? Scripsisset ille [7], si non jussu hujus expensum tulisset? Non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri jussisset? Nam, quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur; sic improbum est non referre, quod debeas: æque enim tabulæ condemnantur ejus, qui verum [8] non retulit, et ejus, qui falsum perscripsit. Sed ego copia et facultate causæ confisus, vide, quo progrediar. Si tabulas C. Fannius accepti et expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas; quo minus secundum illum judicetis, non recuso. Quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut, quodcumque retulisset, id ratum haberet? ratum habebit Roscius; profer: quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum; quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. Paullo ante a M. Perperna P. Saturii [9] tabulas

5. *Plenam perfidiæ*. Suspectum hoc habet Ernest. quum nemo sic in sua defensione dicat. Sed potest quasi a parte oratoria et intra parenthesim dici: et sæpius ita loquentes adversarios inducit Cicero ut propriam causam lædant. Sic Divin. 7 Hortensius « de infami et nefaria cera » ipse loquitur, quam olim dederat judicibus.

6. *Nomen*. Debitum.

7. *Scripsisset ille*. Objectio. Anne scripsisset Chærea, si, non permittente Roscio, ejus debitum in tabulas tulisset? — Respondetur: Annon vicissim scripsisset Roscius, quod, etc. — *Expensum ferre*, est in tabulas factum pro aliquo expensum s. sumptum referre. Inde *expensi* et *accepti* tabulæ (gall. *registre de dépense et de recette*).

8. *Verum*. Quod revera debet. — *Non retulit*, in suas tabulas.

9. Sic nonnullæ edd. vett. et un. cod. Oxon. et Pantagatb. Vulgatam servant lectionem « M. Perpernæ, P. Saturii tabulas » Græv. Ern. Beck. hoc potissimum argumento, quod duorum hominum « Perpernæ et Saturii tabulæ » opponuntur « Fannii solius tabulis ». Ceterum a M. Perperna Saturii tabulas poscebant, non tamquam a judice, sed tamquam a

poscebamus: nunc tuas, C. Fanni Chærea, solius flagitamus, et, quo minus secundum eas lis detur [10], non recusamus. Quid ita non profers? Non conficit tabulas? Imo diligentissime. Non refert parva nomina in codices? Imo omnes summas. Leve et tenue hoc nomen? H-S CCCIↃↃↃ [11] sunt: quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria [12] jacet? quomodo H-S CCCIↃↃↃ in codice accepti et expensi non sunt? Proh dii immortales! essene quemquam tanta audacia præditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem [13] non dubitet? quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur?

II. Nimium cito, ait, me indignari de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur; sed in adversariis [1] patere contendit. Usque eone te diligis, et magnifice circumspicis [2], ut

Roscii pariter et Chæreæ amico, et extra judicium. Ille autem Saturius patronus erat Chæreæ libertini, qui a prioris patroni nomine C. Fannius Chærea appellabatur. Tabulas istas Perperna, quasi arbiter, habere poterat, aut afferendas curare. Ceterum amissa orationis parte ad quam *paullo ante* refertur, hanc rem perspicere plane non possumus. — Dat J. V. L. *Perpenna*; verum in nota monet scribi rectius forte *Perperna* e MSS et nummis et Fastis Capitolinis.

10. *Lis detur*. I. e. pronuntietur. Sic Val. Max. II, 8. Gell. V, 10.

11. CCCIↃↃↃ. Centum millia sestertium (20,500 fr.). Vide ad calc. hujus orat. de Romanorum notis numeralibus.

12. *Extraordinaria*. Non suo ordine in tabulas relata. Cf. Verr. I, 39.

13. *Jurare in litem*. Est tanti rem æstimare, jurejurando delato. *Jusjurandum in litem*, vocant JCti, quum judex propter rei contumaciam et fraudem, actori, quanti litem illam, i. e. adversarii sui injuriam æstimet, jurare permittit. Porro in judicio societatis ob dolum in litem jurat actor, et in omnibus adeo judiciis bonæ fidei.

II. 1. *Adversariis*. Eæ dicuntur tabulæ, gall. *brouillon*, ad quotidianum usum paratæ, in quas cursim et negligenter conjiciimus quæ postea in certas tabulas ordine perscribamus.

2. *Circumspicis*. Imago venusta, a pavonibus non sine joco translata, qui adverso sole plumis expansis se circumspectant, ac magnifice incedunt, ita ut majorem in modum sibi placere videantur.

pecuniam non ex tuis tabulis, sed ex adversariis petas? Suum codicem testis loco recitare, arrogantiæ est: suarum perscriptionum [3] et liturarum adversaria proferre non amentia est? Quod si eamdem vim, diligentiam, auctoritatemque habent adversaria, quam tabulæ; quid attinet codicem instituere? conscribere? ordinem conservare? memoriæ tradere literarum vetustatem [4]? Sed si, quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus; quod etiam apud omnes leve et infirmum est, id apud judicem grave et sanctum esse ducetur? Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? Qua de causa? quia hæc [5] sunt menstrua, illæ suut æternæ; hæc delentur statim, illæ servantur sanctæ; hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem et religionem amplectuntur; hæc sunt dejecta [6], illæ in ordinem confectæ. Itaque adversaria in judicium protulit nemo: codicem protulit [7], tabulas recitavit.

III. Tu, C. Piso, tali fide, virtute, gravitate, auctoritate ornatus [1], ex adversariis pecuniam petere non auderes. Ego, quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. Illud vero, quod ad rem vehementer

3. *Perscriptionum.* Adversaria sua proferre, in quibus confuse, nec sine lituris dierum acta perscribuntur.

4. *Vetustatem.* Curare ut tabulæ domesticæ vetustatem habeant, ut earum memoria in longum ævum perduret, et vetusta debita conservet. *Literæ* pro tabulis privatis h. l. usurpantur, ut Verr. IV, 12.

5. *Hæc.* Ad remotius referuntur, *illæ* ad proximum, non præter consuetudinem, ut ait Hotom. sed sæpius apud Latinos, ut videre est, apud Gron. Observ. III, 16. Sanct. Min. II, 9.—*Menstrua.* Ad singulos menses.

6. Cod. Ursini, «conjecta»; Hotom. Lamb. «disjecta». Guliel. «defecta». Ceterum adversaria dejecta idem facillimo sensu sonant, quod perturbatæ paginæ, dissipatæ, nullo ordine digestæ.

7. *Protulit.* Subaud. *quilibet.* Sic Horat. Sat. I, 1, 1 sqq.

III. 1. Frustra Gulielm. damnat *ornatus.* J. V. L.

pertinet, quæro: quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? Erubescit; quid respondeat, nescit; quid fingat extemplo, non habet. Sunt duo menses jam, dices. Tamen in codicem acceptum et expensum[2] referri debuit. Amplius sunt sex menses. Cur tamdiu jacet hoc nomen in adversariis? Quid si tandem amplius triennium[3] est? quomodo, quum omnes, qui tabulas conficiant, menstruas pæne rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in adversariis jacere pateris? Utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes, an non? Si non; quomodo tabulas conficis? si etiam; quamobrem, quum cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in adversariis relinquebas? Nolebas sciri, debere Roscium: cur scribebas? Rogatus[4] eras, ne referres: cur in adversariis scriptum habebas? Sed hæc[5] quamquam firma esse video, tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi a C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. Magnum est, quod conor; difficile est, quod polliceor: nisi eumdem et adversarium et testem habuerit Roscius, nolo vincat.

IV. Pecunia tibi[1] debebatur certa, quæ nunc petitur

2. Ernest. « acceptum et expensum » omnino spurium esse opinatur, et e stolta glossa natum. Forte tamen vetuste, pro « acceptorum et expensorum ». J. V. L.

3. *Triennium*. Tantum temporis intercessit, ex quo Panurgus interfectus est, et Roscius ejus nomine sestertium centum millia ab interfectore accepit.

4. *Rogatus*. Ab ipso Roscio.

5. *Sed hæc*. Transit ad argumentum quod petitor ex ipsius Fannii testimonio.

IV. 1. *Pecunia tibi*, etc. Urgetur Fannius ab inconstantia suarum actionum. Tota autem loci hujus disputatio hæc est: Certa pecunia petitur ad judicem, incerta ad arbitrum: a judice ad arbitrum itur; quia judex formula sua constringitur, arbiter autem plus minusve dare potest. At Fannius statim ad arbitrum iit, et ab arbitro ad judicem confugit; primo incertam, deinde certam pecuniæ summam petiit: ergo male egit, et judicavit ipse sibi pecuniam non deberi.

per judicem, in qua legitimæ [2] partis sponsio facta est. Hic tu [3] si amplius [H-S] nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti : propterea quod aliud est judicium, aliud arbitrium [4]. Judicium est pecuniæ certæ; arbitrium incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex : SI PARET H-S ıɔɔɔ DARI OPORTERE. Hic, nisi planum facit, H-S ıɔɔɔ ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum : QUANTUM ÆQUIUS [5] MELIUS, ID DARI. Illud tamen [6] confitetur plus se petere, quam

2. *Legitimæ*. I. e. lege seu edicto prætoris definitæ. Hæc autem pars in litibus, quibus certa pecunia petebatur, erat tertia totius summæ: in iis vero, quibus incerta petebatur ad arbitrum, legitima pars erat quinta, vel decima totius summæ, de qua lis erat. Vide ad calcem hujus voluminis in Excursu De ordine exercend. judic. § *de sponsione*.

3. *Hic tu*. Si ad judicem uno amplius sestertio petiisti,' etc. Nempe judices nullam judicandi potestatem habent, nisi ex prætoris formula. V. g. in hac causa dat judicem prætor C. Pisonem cum hac formula : « si paret H-S ıɔɔɔ Fannio dari oportere a Roscio, cum tantæ pecuniæ condemnato ». Si, re diligenter examinata, compertum habuerit judex una libella plus aut minus deberi, quam petitum est, pronuntiat H-S ıɔɔɔ non deberi; atque ita causa cadit actor, quia male petiit. JCti id plus petere dicunt, quod fit quatuor modis. Re, si decem pro quinque petantur : tempore, si ante diem petatur : loco, si alio loco, quam quo promissum est agitur; causa, si ex duabus rebus disjunctim promissis, altera præcipue petatur.

4. *Arbitrium*. *Arbitrium* est lati juris. Quum prætor litem dirimendam permittit arbitro ex bona fide, infinitam illi potestatem tribuit, ita ut in judiciis nempe bonæ fidei, vel totum, vel partem actori ille addicere possit. At *judicium* stricti juris est, ut ex sup. not. patet.

5. *Quantum æquius*. Verba prætoris ad arbitrum ex bona fide : jube non quantum petitur, sed quantum tibi bonum et æquum videbitur, petitori dari. In vulg. *et melius*. Sed in talibus formulis solemnibus Romanos copulas omittere Grævius merito adnotavit.

6. *Illud tamen*. I. e. quivis litigator, quamvis certam pecuniæ summam apud arbitrum designet, hoc tamen fatetur, etc. — Loco *illud*, Hotom. Græv. habent *ille*.

debeatur; sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter causæ confidit[7], alter diffidit. Quæ quum ita sint, quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis H-S ıɔɔɔ, de tuarum tabularum fide compromissum[8] feceris, arbitrum[9] sumpseris, quantum æquius et melius sit, dari, repromittive, si pareret? Quis in hanc rem fuit arbiter? Utinam is quidem Romæ esset! Romæ est. Utinam[10] adesset in judicio! Adest. Utinam sederet in consilio C. Pisonis! Ipse C. Piso est. Eumdemne tu arbitrum et judicem sumebas? eidem et infinitam largitionem[11] remittebas, et eumdem in angustissimam formulam sponsionis concludebas? Quis umquam ad arbitrum, quantum petiit, tantum abstulit[12]? nemo: quantum enim æquius esset sibi dari, petiit[13]. De quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad judicem venisti. Ceteri quum ad judicem causam labefactari animadvertunt, ad arbitrum[14]

7. *Confidit.* Quia apud arbitrum pluris petitio nihil est obfutura. *Diffidit.* Quod apud judicem, si plus petat quam debeatur, causa excidit actor.

8. *Compromissum. Compromissum facere* dicuntur, qui, sub pœna certæ pecuniæ se arbitri sententiæ parituros promittunt. Vid. Digest. de receptis, qui arbitrium receperunt, IV, 8.

9. *Arbitrum.* Sensus est : Cur, quum hæc pecunia in tabulis esset scripta, arbitrum adiisti, quasi de incerta pecunia ageretur, ut, ex ejus sententia, quantum æquitas postularet, tantum tibi Roscius daret, vel se daturum promitteret, si modo appareret eum aliquid debere.

10. Nonnulli codd. *jam utinam.* Al. *nam utin.* Delent Grut. Græv. Lall.

11. *Largitionem.* Græv. ad h. l. legendum putat « potestatem permittebas ». At nihil opus correctione. *Remittere* enim pro concedere ac permittere usurpari ostendunt Cujac. XXI, Obs. 29. Lips. ad Tac. Annal. I, 8. Duker. ad T. Liv. XXXII, 2. Itaque verba hæc: « infinitam largitionem remittebas », significant, arbitro latissimam potestatem tribuebas ex æquo statuendi. Sic orat. pro Muren. 20, « æquitatis largitio ».

12. *Abstulit.* Obtinuit, impetravit.

13. Schütz libenter legeret *accepit.* Nihil mutandum video. Hic *petiit*, quantum ad sensum spectat, idem valet. J. V. L.

14. *Ad arbitrum.* In eamdem rationem Senec. de Benef. III: « melior videtur conditio causæ bonæ, si ad judicem, quam si ad arbitrum mittatur, quia illum formula includit, et certos quos non excedat, terminos ponit; hujus libera et nullis constricta vincu-

confugiunt; hic ab arbitro ad judicem venire est ausus [15]: qui quum de hac pecunia, de tabularum fide arbitrum sumpsit, judicavit sibi pecuniam non deberi. Jam duæ partes causæ sunt confectæ: annumerasse sese negat; expensum tulisse non dicit, quum tabulas non recitat. Reliquum est, ut stipulatum [16] se esse dicat: præterea enim, quemadmodum certam pecuniam petere possit, non reperio. Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? quis spopondisse [17] me [17] dicit? nemo.

V. Hic ego [1] si finem faciam dicendi, satis fidei et diligentiæ meæ, satis causæ et controversiæ, satis formulæ et sponsioni, satis etiam judici fecisse videar, cur secundum Roscium judicari debeat. Pecunia petita est certa; cum tertia parte sponsio facta est. Hæc pecunia necesse est, aut data [2], aut expensa lata, aut stipulata sit. Datam non esse Fannius confitetur; expensam la-

lis religio est: detrahere aliquid potest, et adjicere».

15. *Est ausus.* Quum tamen malam causam haberet; nam malæ causæ ad arbitrum melior est conditio, ut ex Seneca vidimus.

16. *Stipulatum. Stipulatio* est contractus verbalis constans interrogatione et congrua ad interrogationem responsione, qua nascitur *obligatio* quæ dicitur *verborum*, et quæ est stricti juris. Instit. III, 16.

17. *Me.* Roscii nomine loquitur.

V. 1. *Hic ego.* Desunt sane multa quæ ad certi conditionem ex stipulato pertinent.

2. *Aut data.* Indicat tres obligationes, quibus certum peti possit, Re, Nominibus et Stipulatione. Porro *expensa lata* dicitur pecunia seu *expensilatio*, quum quis pecuniam alii numerabat, nomenque illius, cui hanc pecuniam mutuam dederat, in tabulas referebat eum summa quam expensam tulerat. Hæ tabulæ domesticæ, in judicio prolatæ, fidem faciebant: quum autem debitum illud acceperat, tum acceptum in iisdem tabulis ferebat: inde expensi et accepti tabulæ dicebantur. Hæc erat mutui contrahendi obligatio quæ *nominibus* olim fieri dicebatur. Aliter contrahebatur debitum aut chirographis, aut syngraphis, aut testibus. Chirographum erat, quum debitor sua manu scriberet et subsignaret tabulas, quibus testabatur se tantum pecuniæ mutuum accepisse: syngrapha a tabellione publico scripta erat et a testibus obsignata. Ex tabulis agere dicebatur creditor, quum tabulas accepti et expensi producebat et recitabat, ut ait

tam non esse codices Fannii confirmant; stipulatam non esse taciturnitas testium concedit. Quid ergo est? quod et reus is est[3], cui et pecunia levissima, et existimatio sanctissima fuit semper; et judex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quam secundum nos judicare velimus; advocatio[4] ea est, quam, propter eximium splendorem, ut judicem unum[5] vereri debeamus: perinde ac si in hanc formulam omnia judicia legitima, omnia arbitria honoraria[6], omnia officia domestica[7] conclusa et comprehensa sint, perinde dicemus. Illa superior fuit oratio necessaria, hæc erit voluntaria: illa ad judicem, hæc ad C. Pisonem[8]: illa pro reo, hæc pro Roscio[9]: illa victoriæ, hæc bonæ existimationis causa, comparata.

VI. Pecuniam petis, Fanni, a Roscio: quam? dic audacter et aperte. Utrum quæ tibi ex societate debeatur?

Cicero. Sic supra «adnumerasse sese negat», quia nullam syngrapham aut chirographum affert, quo se summam adnumerasse probaret judicibus. In stipulatione testes quoque adhibebantur, ut h. l. ostendit Cicero.

3. Sic primus edidit P. Manutius, ann. 1540. Ante erat, «quod et rea ejus est». J. V. L.

4. *Advocatio*. Consessus virorum illorum qui Roscio adsunt advocati. Ferratius putat h. l. significari eos quos sibi M. Piso in consilium advocaverat; quum alioqnin non dubitaret Roscius quin de se bene sentirent illi qui præsentia sua reo suffragari voluissent. Verum si res ita esset, cur Cicero se illos quasi alterum judicem vereri diceret, quum revera judicum loco sint? Imo servandus *advocationi* prior sensus, dicendumque, quamvis Roscius optime advocatorum suorum benivolentiam erga se nosceret, illud tamen velle, ne ex illa disceptatione, nubes aliqua existimationi suæ offunderetur.

5. Garaton. legendum censet, «ut judicem ipsum». Conjecerat Ernest. «ut judicem unicum». J. V. L.

6. *Honoraria*. Quæ honori sunt iis ad quos deferuntur. Inde arbitri a prætore dati *honorarii* appellantur.

7. *Domestica*. Quæ homines privatim sibi de disceptationibus præstare debent. Disceptatore domestico plerumque controversiæ dijudicari solent. Et Cicero bis tribus verbis diversa judiciorum genera complectitur.

8. *C. Pisonem*. Quæ supra diximus nostram causam meliorem esse apud te probaverunt; nunc ita loquemur, ut tuam non judicis, sed privati, existimationem non demereamur.

9. *Pro Roscio*. Ad confirmandam, quam homines habent de Roscii integritate, opinionem.

an quæ ex liberalitate hujus promissa sit et ostentata[1]? quorum alterum est gravius et odiosius; alterum levius et facilius. Quæ ex societate debeatur[2]? Quid ais? Hoc jam[3] neque leviter ferendum est, neque negligenter defendendum. Si qua enim sunt privata judicia summæ existimationis[4], et pæne dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis. Æque enim perfidiosum et nefarium est, fidem[5] frangere, quæ continet[6] vitam; et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit; et socium fallere, qui se in negotio conjunxit[7]. Quæ quum ita sint, qui sit, qui socium fraudarit et fefellerit, consideremus: dabit enim nobis jam tacite vita acta in alterutram partem firmum et grave testimonium. Q. Roscius[8]? quid ais? Nonne, ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur; sic refervens[9] falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et exstinguitur? Roscius socium fraudavit? Potest hoc homini huic hærere peccatum? qui medius fidius (audacter dico[10]) plus fidei, quam artis, plus veritatis, quam disciplinæ possidet in se; quem populus romanus meliorem virum, quam histrionem esse arbitratur; qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignis-

VI. 1. *Ostentata.* Ejus spes oblata.

2. Schütz legit, « Quæ ex societate debetur », et signum interrogandi expungit, quasi sit ipsa responsio Fannii. J. V. L.

3. *Hoc jam.* Oratoria calliditate crimen exaggerat, quo minus sit probabile a viro bono admissum.

4. *Summæ existimationis.* In quibus agitur existimatio, et damnati infamiam subeunt.

5. Unus e codd. Oxoniensibus, *fiduciam*. J. V. L.

6. *Continet.* Sine qua nulla vita est.

7. *In negotio conjunxit.* Societatem iniit negotiationis faciendæ causa.

8. *Q. Roscius.* Subaud. socium fraudavit. De societate vid. supr. pro Quintio.

9. *Refervens.* Ab aqua ferventi metaphoram ad crimen quasi improbitatis igne accensum transfert orator.

10. *Audacter dico.* Confidenter loquor. Sic Plaut. Amphit. « quæ non deliquit, decet audacem esse et confidentem pro se ».

simus sit curia propter abstinentiam. Sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo. Estne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? estne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorque videatur? Quid? tu, Saturi, qui contra hunc venis [11], existimas aliter? nonne quotiescumque in causa in nomen hujus incidisti, toties hunc et virum bonum esse dixisti, et honoris causa appellasti? quod nemo nisi aut honestissimo aut amicissimo facere consuevit. Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eumdem et læderes, et laudares, et virum optimum, et hominem improbissimum esse diceres; eumdem tu et honoris causa appellabas, et virum primarium esse dicebas, et socium fraudasse arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas : de hoc, ut existimabas, prædicabas; Chæreæ arbitratu causam agebas.

VII. Fraudavit Roscius. Est hoc quidem auribus animisque hominum absurdum. Quid? si tandem aliquem divitem [1] timidum, dementem, inertem nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. Verumtamen, quem fraudarit, videamus. C. Fannium Chæream Roscius [2] fraudavit. Oro, atque obsecro vos, qui nostis [3], vitam inter se utriusque conferte; qui non nostis, faciem utriusque considerate : nonne ipsum

11. *Venis.* Suband. in judicium: qui hunc accusas. Vid. ad Att. I, 1.

VII. 1. *Divitem.* Sensus est : Si Roscius incidisset in divitem aliquem qui vel propter timiditatem non auderet, vel ob dementiam nollet, vel propter inertiam non posset litigare. — Ursin. cod. *clementem.*

2. *Chæream Roscius.* Magna vis est his in nominibus. Sic ab Vario quodam accusatus M. Scaurus respondit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum, principem senatus, socios in arma ait concitasse. M. Scaurus princeps senatus negat : testis nemo est. Utri vos, Quirites, convenit credere?

3. Hot. placeret, si plenius scriptum esset, «qui utrumque nostis». J.V. L.

caput[4], et supercilia[5] illa penitus abrasa, olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam[6] conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite et superciliis semper est rasis[7], ne ullum pilum[8] viri boni habere dicatur: cujus personam præclare Roscius in scena tractare consuevit; neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem[9] illum improbissimum et perjurissimum lenonem quum agit, agit Chæream: persona illa lutulenta, impura[10], invisa, in hujus moribus, natura, vitaque est expressa. Qui quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil[11] videtur: nisi forte[12], quod præclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit. Quamobrem etiam atque etiam considera, C. Piso, quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, perjurum castus, callidum imperitus, liberalis avidum. Incredibile est. Quemadmodum, si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrumque ex utriusque persona verisimile videretur, et Fannium per malitiam fecisse;

4. *Caput.* Romani ad annum 454 intonsi fuere. Post quem annum barba radi, et coma cœpit detonderi. Plin. VII, 59. Vid. Hadr. Jun. in comment. de coma, p. 445 sqq. ed. ult.

5. *Supercilia.* Illa in luctu abradi moris erat. Extra luctum autem si raderentur, erat mollitiei specimen. A. Gell. VII, 12. Suet. August. 68.

6. *Si quam.* Quæ fuit opinio quorumdam, quos Græci φυσιογνώμονας appellant.

7. Ernestius arbitratur Ciceronem scripsisse *rasus*. J. V. L.

8. *Ullum pilum.* Ne vel minima re virum probum referret. Sic Græci ἄξιος τριχός.

9. *Ballionem.* *Ballio* est leno in Pseudolo, Plauti comœdia, quam probabat in primis Plautus ipse. Cic. de Senect. cap. 14.

10. *Lutulenta, impura.* Alludit ad verba Plauti, act. I, scen. 3 Pseud. « Fraudulente, impure leno, cœnum ». Confer Rudent. II, 6.

11. *Nihil.* Non. Sic « nihil attinet », i. e. non attinet.

12. *Nisi forte.* Nisi putat sui similem Roscium, quod ille optime lenonem in comœdia imitatur.

et Roscium per imprudentiam deceptum esse : sic quum Roscius Fannium fraudasse arguatur, utrumque incredibile est, et Roscium quidquam per avaritiam appetisse, et Fannium quidquam per se[13] bonitate amisisse.

VIII. Principia sunt hujusmodi : spectemus reliqua. H-S ıɔɔɔ Q. Roscius fraudavit Fannium. Qua de causa? Subridet Saturius, veterator, ut sibi videtur. Ait propter ipsa[1] H-S ıɔɔɔ. Video; sed tamen cur ipsa H-S ıɔɔɔ tam vehementer concupierit, quæro : nam tibi, M. Perperna, C. Piso[2], certe tanti non fuissent, ut socium fraudaretis. Roscio cur tanti fuerint, causam requiro. Egebat? Imo locuples erat. Debebat? Imo in suis nummis versabatur. Avarus erat? Imo etiam, antequam locuples, semper liberalissimus munificentissimusque fuit. Proh deum hominumque fidem! qui H-S cccıɔɔɔ[3] cccıɔɔɔ cccıɔɔɔ quæstus facere noluit (nam certe H-S cccıɔɔɔ cccıɔɔɔ cccıɔɔɔ merere et potuit et debuit[4], si potest Dionysia[5] H-S cccıɔɔɔ cccıɔɔɔ merere), is per summam fraudem, et malitiam, et perfidiam H-S ıɔɔɔ appetiit? Et illa fuit pecunia immanis[6], hæc parvula; illa honesta, hæc sordida; illa jucunda, hæc

13. Hotomann. conj. « per suam bonitatem », Grævio non probante. J. V. L.

VIII. 1. *Propter ipsa*. I. e. ut ista sibi haberet.

2. Schutz transponenda putat nomina sic, « C. Piso, M. Perperna », quoniam ille judex erat, hic tantum judici aderat. Sed hoc hominis dignitati tribuere potuit Cicero, quod M. Perperna consulatu et prætura esset defunctus.

3. H-S cccıɔɔɔ, etc. Trecenta sestertium millia (61,500 fr.), ut inf. ducenta sestert. mill. (41,000 fr.), quæ lucrari repudiavit Roscius, non quod, ut Manutio placet, artis suæ præstantia non dignum hunc quæstum judicaret; sed, ut optime explicant Ferrat. et Garaton., quia gloriam unice quærebat, et ab artificio quæstus infamiam removere præclarum existimabat.

4. *Debuit*. I. e. ex officio et religione potuit.

5. *Dionysia*. Notissima saltatricula, cujus nomine Hortensium Torquatus appellabat, quod in gestu plus artis haberet, quam decebat. A. Gell. I, 5.

6. *Immanis*. Immensa.

acerba[7]; illa propria, hæc in causa[8] et in judicio collocata. Decem his annis proximis H-S sexagies[9] honestissime consequi potuit: noluit: laborem[10] quæstus recepit; quæstum laboris rejecit. Populo romano adhuc servire non destitit; sibi servire jampridem destitit. Hoc tu umquam, Fanni, faceres? et si hos quæstus recipere posses, non eodem tempore et gestum et animam ageres[11]? Dic nunc te ab Roscio H-S ɪↄↄↄ circumscriptum esse, qui tantas et tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris, sed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit.

7. *Acerba.* Quippe quæ, fraudato socio, litium causa fuisset, conscientiamque stimulasset.

8. *In causa.* E judicis sententia pendens.

9. *Sexagies.* Subaudiend. centies millies (circ. 1,230,000 fr.). Plinius Hist. Nat. VIII, 39, ait « H-S quingenta millia annua (circ. 102,500 fr.) meritasse Roscium ». Macrobius autem, Saturn. II, de Roscio sic scribit: « tanta fuit gratia et gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus acceperit », quam summam singulis annis quatuordecies sexaginta millia sestertium (circit. 2,993,000 fr.) valuisse computat Hotomannus. Quæ res eum falsum habuit, quod singulis diebus annumeratam hanc summam credidit, quum iis tantum, quibus ludi essent, diebus Roscio penderetur. Ceterum hæc nihil ad Ciceronis locum facere merito putat Garatonius, nempe quod Cicero non de certa re, quam refert Macrobius, loquitur, necdum summam hanc fuisse de publico attributam apparet. Cicero enim calculum init ejus pecuniæ, quam noluit, quum posset, Roscius accipere; et ad eam rem de saltatricula Dionysia conjecturam sumit. Alioqui, si tunc temporis Roscio certam pecuniam assignasset publicum decretum, non sane perhonorificum illud romanæ benivolentiæ pignus Cicero omisisset. Sic autem arguit: Si potuit Roscius in ludis hac anni quo causa Roscii agitur parte elapsis seu in ludorum uno genere sestertium trec. mill. merere, totidem poterit in iis qui adhuc hoc anno restant, merere; atque adeo si annuus Roscii quæstus esse potuit H-S sexcent. mill., decem annis proxime elapsis potuit consequi sexagies, nisi tantum quæstum per liberalitatem repudiasset.

10. *Laborem quæstus.* Laborem sustinuit quasi quæstum pro labore reciperet; quæstum laboris rejecit. Hoc lumen orationis dicitur, ad Her. IV, commutatio, quum duæ sententiæ inter se discrepantes ex trajectione ita efferuntur, ut a priore posterior contraria priori proficiscatur, ut esse oportet ut vivas, non vivere ut edas.

11. *Ageres.* Jocus in verbo hoc, quod res diversas pro adjuncto nomine diverso indicat. *Agere gestum*, dicitur de histrionibus operam dan-

Quid ego nunc illa dicam, quæ vobis in mentem venire certo scio? Fraudabat te in societate Roscius. Sunt jura, sunt formulæ[12] de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ[13] sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicæ a prætore formulæ, ad quas privata lis accommodetur[14].

IX. Quæ quum ita sint, cur non arbitrum[1] pro socio adegeris Q. Roscium, quæro. Formulam non noras? Notissima erat. Judicio gravi[2] experiri nolebas? Quid ita? propter familiaritatem veterem? cur ergo lædis? Propter integritatem hominis? cur igitur insimulas? Propter magnitudinem criminis? Itane vero? quem per arbitrum[3] circumvenire non posses, cujus de ea re proprium erat judicium, hunc per judicem condemnabis, cujus de ea re nullum est arbitrium[4]? Quin tu hoc

tibus in scena. *Agere animam*, est, mori. Sensus est : Tu, Fanni, usque eo gestum ageres lucri causa, ut te dirumperes.

12. *Formulæ*. I. c. certæ verborum conceptiones seu regulæ quas a prætore urbano postulabat is qui actionem intendebat, et, a quibus si, vel una syllaba, descivisset, causam perderet. Vid. pro Quint. 31.

13. *Expressæ*. Constituta sunt a prætore judicia, cum formulis actionis, sive de damno quod quis acceperit, etc.

14. Sic Hotom. auctoritate duorum codd. Beck, Schütz, alii, vulgatam servant, *accommodatur*. J. V. L.

IX. 1. *Arbitrum*. Subaud. *ad*. Illum arbitrum adire coegeris. Sæpius Cicsic loquitur. Exemp. c. Topic. cap. 10. Sensus est : Cur, quum se fraudatum Fannius diceret, certi petitione et angusta formula uti maluit, quam suctione et judice pro socio, quod erat proprium ejus criminationis, quum in illud fraus omnis sociorum veniret. Judicium autem pro socio etiam *arbitrium* vocari omnes sciunt. Cur maluit arbitro ex compromisso Pisone uti, quam arbitro pro socio.

2. *Gravi*. Quo Roscii existimatio periclitaretur. In iis enim sive judiciis, sive arbitriis, quæ erant *bonæ fidei*, damnati infames erant.

3. *Quem per arbitrum*. Quem ante arbitrum opprimere falsa accusatione non posses, hunc per judicem, cujus ea de re propria cognitio non erat, reum perages fraudis?

4. *Nullum est arbitrium*. Cui de ea re statuendi potestas non est soluta et libera ut arbitro. Vid. sup. cap. 4.

crimen aut objice, ubi licet agere; aut jacere[5] noli, ubi non oportet. Tametsi jam hoc tuo testimonio crimen sublatum est. Nam, quo tu tempore illa formula uti noluisti, nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. Fecit pactionem[6]. Num tabulas habet, an non? Si non habet, quemadmodum pactio est? si habet, cur non nominas[7]? Dic nunc Roscium abs te petisse, ut familiarem suum sumeres arbitrum: non petiit. Dic pactionem fecisse, ut absolveretur[8]: non pepigit. Quære, quare sit absolutus? quod erat summa innocentia et integritate. Quid enim factum est? venisti domum ultro Roscii; satisfecisti[9], quod temere commisisses; in judicium ut denuntiaret rogasti, ut ignosceret; te affuturum negasti; debere tibi ex societate nihil clamitasti: judici hic denuntiavit; absolutus est[10]. Tamen fraudis ac furti mentionem facere audes? Perstat in impudentia. Pactionem enim, inquit, mecum fecerat. Idcirco[11] videlicet ne condemnaretur. Quid erat causæ,

5. *Jacere.* Tamquam tela, id est, objicere.

6. *Fecit pactionem.* Fannii verba: Volebam, inquit, litem persequi; sed Roscius metuens judicium, mecum stipulatus est.

7. *Nominas.* Profers nomen in tabulis scriptum.

8. *Absolveretur.* I. e. judicii molestia solveretur ac liberaretur, neque enim ab arbitro lata est sententia, remisso videlicet et renuntiato judicio.

9. Sic interpungimus Ernest. Sch. et J. V. L. sequuti. — *Ut ignosceret* abest in Schutz. Totius loci sensus est: Pro tua, in eo accusando, temeritate Roscio satisfecisti, i. e. excusationem attulisti, quod eum temere accusasses: ut illud judici significaret, rogasti, et simul ut tibi Roscius ignosceret; te in jus non venturum affirmasti; nullo non audiente, nihil ex societate tibi a Roscio deberi pronunciasti. Roscius judici denuntiavit te actionem deponere; itaque dimissus est et hoc judicio liberatus.—Fr. cod. habet « q. temere commisisses, id judici ut denuntiaret, rogasti ut ignosceret: te affuturum, etc. Censet Grævius semel excidisse *rogasti*, et sic legit « id judici ut denuntiaret rogasti; rogasti ut ignosceret », qui sensus nullo addito verbo satis intelligitur.

10. *Absolutus est.* Judicio liberatus est, ut supra.

11. *Idcirco.* Ciceronis ironia, ut Hotomanno placet; Fannii sermo, ut putat Ferratius. Priorem sensum malim.

cur metueret, ne condemnaretur? Res erat[12] manifesta; furtum erat apertum.

X. Cujus rei furtum factum erat? Exorditur[1] magna cum exspectatione veteris[2] histrionis exponere societatem. Panurgus, inquit, fuit Fannii[3]: is fuit ei cum Roscio communis. Hic primum questus est non leviter Saturius, communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii. Largitus est scilicet homo liberalis, et dissolutus, et bonitate affluens Fannius Roscio? Sic puto. Quoniam ille hic constitit paullisper, mihi quoque necesse est paullum commorari. Panurgum tu, Saturi, proprium Fannii dicis fuisse. At ego totum Roscii fuisse contendo. Quid erat enim Fannii? corpus. Quid Roscii? disciplina. Facies non erat[4], ars erat pretiosa. Ex qua parte erat Fannii, non erat H-S ıↄↄↄ[5]; ex qua parte erat Roscii, amplius erat H-S cccıↄↄↄ[6]. Nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. Nam illa membra merere[7] per se non amplius poterant duodecim æris; disciplina, quæ erat ab hoc tradita, locabat se non minus H-S cccıↄↄↄ. O societatem captiosam et indignam! ubi alter H-S ıↄↄↄ, alter cccıↄↄↄ

12. *Res erat.* Fanoii responsum, in cujus nomine loquitur.

X. 1. *Exorditur.* Satorius, Fannii patroooa, magna cum judicum exspectatione, de Panurgo novitio illo histrione, quem Roscius informandum receperat, magno apparato loqui incipit, quasi exercitatissimos fuisset Roscio traditus comœdus. Nota ironiam toto lo hoc loco.

2. *Veteris.* De nobili histriooe. *Vetus* eoim, looga doctus artis alicujos experientia, in bonam aot malam partem usurpatur.

3. *Fannii.* Servus. Ut Plaut. in Amph. I, 2: «Ego som Amphitruonis, Sosia.

4. *Facies non erat.* Totum Paourgi corpus noo erat multi æstimandum; sed ars, quam Panorgo Roscius tradiderat, erat pretiosa. Ceterum magis rhetorem quam patrooum sapit totus hic locus, et splendida subtilitate magis quam severo jodicio nititur.

5. H-S ıↄↄↄ. Noo vendi poterat sestertiis quinquagies mille (circti. 10,250 fr.)

6. Codd. variant io nomeris sæpissime vitiatis. J. V. L.

7. *Merere.* Lucrari. *Æris.* Subaud. *nummos.*

quod sit, in societatem affert: nisi idcirco moleste pateris, quod H-S ɪↄↄↄ tu ex arca proferebas, H-S ᴄᴄᴄɪↄↄↄ ex disciplina et artificio Roscius promebat. Quam enim rem[8] et exspectationem, quod studium, et quem favorem secum in scenam attulit Panurgus? Quod Roscii fuit discipulus. Qui diligebant hunc, illi favebant; qui admirabantur hunc, illum probabant; qui denique hujus nomen audierant, illum eruditum et perfectum existimabant. Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Quid sciret ille, perpauci animadvertebant; ubi didicisset[9], omnes quærebant. Nihil ab hoc pravum et perversum produci posse arbitrabantur. Si veniret ab Statilio[10], tametsi artificio Roscium superaret, adspicere nemo posset: nemo enim, sicut ex improbo patre[11] probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comœdum fieri posse existimaret. Quia veniebat a Roscio, plus etiam scire, quam sciebat, videbatur.

XI. Quod item nuper in Erote comœdo usu venit: qui posteaquam e scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur; sicut in aram, confugit in hujus domum, disciplinam, patrocinium, nomen. Itaque perbrevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comœdos. Quæ res extulit eum? Una commendatio hujus: qui tamen Panurgum illum, non solum ut Roscii discipulus fuisse diceretur, domum recepit; sed etiam summo cum la-

8. Grævius probat conjecturam viri docti, qui corrigebat *spem*; probat etiam Ernestius. J. V. L.

9. *Ubi didicisset.* Verissima sententia, cujus vis ad nobiliores quam comœdos pervadit! Ceterum hanc de pravis vulgi opinionibus sententiam sæpius apud Ciceronem inveneris.

10. *Statilio.* Non probato histrione, ut hic locus ostendit.

11. *Ex improbo patre.* Inde natum adagium: «mali corvi malum ovum». Et Euripides: Φεῦ φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει· Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

bore, stomacho[1], miseriaque erudiit. Nam, quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius[2] et laboriosius: quod enim ipse celeriter arripuit, id quum tarde percipi videt, discruciatur.

Paullo longius oratio mea provecta est hac de causa, ut conditionem societatis diligenter cognosceretis. Quæ deinde sunt[3] consequuta? Panurgum, inquit, hunc, servum communem, Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit: in hanc rem, inquit, me cognitorem[4] dedisti. Lite contestata[5], judicio damni injuria[6] constituto, tu sine me cum Flavio decidisti. — Utrum pro dimidia parte, an pro tota societate? planius dicam, utrum pro me, an[7] pro me et pro te? Pro me potui: exemplo multorum licitum est; jure fecerunt multi; nihil in ea re tibi injuriæ feci. Pete tu tuum, exige, et aufer, quod debetur: suam quisque partem juris possideat et persequatur. — At enim tuum negotium gessisti bene. — Gere et tu tuum bene. — Magno tuam dimidiam partem decidisti. — Magno et tu tuam partem decide. — H-S cccıↄↄↄ[8] abstulisti. — Si sit hoc vero; H-S cccıↄↄↄ tu quoque aufer.

XI. 1. *Stomacho.* Fastidio et ira.

2. *Iracundius.* Itaque de Orat. I, Crassus dicit: «Sæpe soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidem probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset».

3. Abest *sunt* a multis edd. Restituit jam Grævius ex ed. Victor. et MS Fr. Sed legitur quoque in edd. pr. omnibus. J. V. L.

4. *Cognitorem.* Ille a procuratore differt, quod certis verbis in litem coram adversario substituitur; procurator vero nullis certis verbis in litem constituitur; sed ex solo mandato, et absente et ignorante adversario. Gaius, IV, 83, 84.

5. *Contestata.* Conserta. Causa summatim ab utraque parte apud prætorem exposita, litigator uterque se liti persequendæ obstringebat apud judicem a prætore constituendum, cujus rei testes erant præsentes viri. Inde *litem contestari.*

6. *Injuria.* I. e. per injuriam illati.

7. Beck addit *et* e trib. codd. Ox. J. V. L.

8. Vulg. *tu* hic additur, et sæpius supra. J. V. L.

XII. Sed hanc decisionem Roscii oratione et opinione augere licet; re et veritate mediocrem et tenuem esse invenietis. Accepit enim agrum temporibus iis, quum jacerent[1] pretia prædiorum: qui ager neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus; qui nunc multo pluris est, quam tunc fuit. Neque id est mirum: tum enim, propter reipublicæ calamitates, omnium possessiones erant incertæ; nunc, deum immortalium benignitate, omnium fortunæ sunt certæ[2]: tum erat ager incultus sine tecto; nunc est cultissimus cum optima villa. Verumtamen, quoniam natura tam malivolus es, numquam ista te molestia et cura liberabo[3]. Præclare suum negotium gessit Roscius; fundum fructuosissimum abstulit: quid ad te? tuam partem dimidiam, quemadmodum vis, decide. Vertit hic rationem[4], et id, quod probare non potest, fingere conatur. De tota re, inquit, decidisti.

Ergo huc universa causa deducitur, utrum Roscius cum Flavio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. Nam ego Roscium, si quid communi nomine tetigit, confiteor præstare debere societati. Societatis[5], non suas lites redemit, quum fundum a Flavio accepit. Quid ita? satis non dedit[6], AMPLIUS A[7] SE NE-

XII. 1. *Jacerent.* Vilia essent, propter Sullæ proscriptiones. Quia bona erant incertissima, « et, quemadmodum inquit Sallustius, uti quisque aut domum, aut villam, postremo vas aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, uti is in proscriptorum numero esset ».

2. *Certæ.* Bona juris et legum præsidio sunt confirmata.

3. Multæ edd. vett. *liberabis*, et sic Oxon. codd. tres. J. V. L. — *Liberabo.* Extenuando nimirum pretium agri illius quem accepit.

4. *Rationem.* Subaud. *agendi.* Alio modo jam agere cœpit. Non jam dicit pro se tantum, sed pro tota societate Roscium decidisse. Franc. 1, *orationem;* et statim idem, *quod adprobare non potest.*

5. *Societatis.* Verba sunt Tullii ab Saturio dicta repetentis et explicantis.

6. *Satis non dedit.* Non cautionem, non sponsores dedit, neminem ab ipso Flavio de ea re petiturum. De satisdatione confer ad calcem volum. huj. De ordin. exerc. judic.

7. Lambinus rescribit *ab eo.* Vocu-

MINEM PETITURUM. Qui de sua parte decidit, reliquis integram relinquit actionem : qui pro sociis transigit, satisdat, neminem eorum postea petiturum. Quid? ita Flavio sibi cavere non venit in mentem? nesciebat videlicet Panurgum fuisse in societate? Sciebat. Nesciebat Fannium Roscio esse socium? Præclare : nam iste cum eo litem contestatam habebat. Cur igitur decidit, et non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit [8], et judicio non absolvitur [9]? cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alliget, neque a Fannio judicio se absolvat? Est hoc primum et ex conditione juris [10], et ex consuetudine cautionis [11], gravissimum et firmissimum argumentum : quod ego pluribus verbis amplecterer, si non alia certiora et clariora testimonia in causa haberem.

XIII. Et, ne forte me hoc frustra pollicitum esse prædices; te, te, inquam, Fanni, ab tuis subselliis contra te testem suscitabo [1]. Criminatio tua quæ est? Roscium cum Flavio pro societate decidisse. Quo tempore? Abhinc annis IV [2]. Defensio mea quæ est? Roscium pro sua parte cum Flavio transegisse. Repromittis tu

las duas delendas esse Garaton. judicat : Schütz delet. Malim, cum Boemoræo, *amplius esse*. J. V. L.

8. *Decedit*, conjectura Passeratii, cui nunc favet unus e codd. Oxon. Ceterum non necessario. Fundus enim totius debiti Flaviani loco positus est; quum eo fundo de universa lite societatis transactum Fannius contenderet. Sed Schütz putat verba, « cur de fundo..... absolvitur », superflua esse, ut e glossis conflata videantur.

9. *Non absolvitur*. Litibus non liberatur, quæ sibi a Fannio, Roscii socio, imminent.

10. *Juris*. Quia perpetua juris est regula, solidum solventi hanc stipulationem interponere; et hoc ex formula juris est constitutum.

11. *Ex consuetudine cautionis*. Quia hæc cautio et satisdatio in hujuscemodi solutionibus exigi consuevit.

XIII. 1. MS Ursin. *excitabo*. J. V. L.

2. Olim edebatur XII manifesto mendo, quod est in omnibus MSS. Correxit Hotom. numeralem IV reponendo. Fortasse tamen inter decisionem Roscii et repromissionem Fannii plures anni intercesserunt, quia Cicero illam *rem veterem* appellat.

abhinc triennium Roscio. Quid? recita istam restipulationem clarius. Attende, quæso, Piso. Fannium invitum, et huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se dicere cogo. Quid enim restipulatio clamat? QUOD A FLAVIO ABSTULERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO ME SOLUTURUM SPONDEO. Tua vox est, Fanni. Quid tu auferre potes a Flavio, si Flavius nihil debet[3]? Quid hic porro nunc restipulatur, quod jampridem ipse exegit[4]? quid vero Flavius tibi daturus est, qui Roscio omne, quod debuit, dissolvit? cur in re tam veteri, in negotio tam confecto[5], in societate dissoluta, nova hæc restipulatio interponitur? Quis est hujus restipulationis scriptor[6]? testis? arbiter? quis? tu, Piso. Tu enim Q. Roscium pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, rogasti, ut Fannio daret H-S[7] CCCIↃↃↃ, hac conditione[8], ut, si quid ille exegisset[9] a Flavio, partem ejus dimidiam Roscio dissolveret. Satisne ista restipulatio dicere tibi videtur aperte, Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi veniat in mentem, repromisisse Fannium Roscio, si quid a Flavio exegisset, ejus partem dimidiam; sed omnino exegisse nihil. Quid? tu non exitum exactionis[10], sed initium repromissionis spectare debes; neque, si ille

3. *Nihil debet.* Si tuam quoque partem Roscio dissolvit.

4. *Exegit.* Abstulit a Flavio, si de tota re decidit.

5. *Tam confecto.* Omnino absoluto. *Jam* conjiciebat Passerat. et Gulielm.

6. *Scriptor.* JCtorum opera his in rebus utebantur, qui ideo scribere dicuntur quum cavent.

7. *H-S*, etc. Sestertium centum millia. Manifestum vitium. Quomodo enim Roscius Fannio pro opera totam summam, quam ipse a Flavio exegisset, daret? Corrigit Lamb. CCIↃↃIↃↃ, i. e. quindecim millia. Manut. CCIↃↃ, decem millia. Ernest. IↃↃↃ, quinquaginta millia. Codd. Oxon. IV habent CCCLIII.

8. *Hac conditione.* Ergo pura repromissione et restipulatione.

9. *Exegisset.* Abstulisset a Flavio judicio damni injuriarum.

10. *Exactionis.* Hotomanno legendum videbatur *actionis*. Verum quod monuit Lambinus, *exitus exactionis*

persequi noluit, non, quod in se fuit, judicavit, Roscium suas, non societatis lites redemisse. Quid, si tandem planum facio, post decisionem veterem Roscii, post repromissionem recentem hanc Fannii, H-S ccciↃↃↃ Fannium a Q. Flavio, Panurgi nomine, abstulisse; tamen[11] diutius illudere viri optimi existimationi, Q. Roscii, audebit?

XIV. Paullo ante quærebam, id quod vehementer ad rem pertinebat, qua de causa Flavius, quum de tota lite faceret pactionem, neque[1] satis acciperet a Roscio, neque judicio absolveretur a Fannio. Nunc vero, id quod mirum et incredibile est, requiro, quamobrem, quum de tota re decidisset cum Roscio, H-S ccciↃↃↃ separatim Fannio dissolvit? Hoc loco, Saturi, quid pares respondere, scire cupio: utrum[2] omnino Fannium a Flavio H-S ccciↃↃↃ non abstulisse? an alio nomine et alia de causa abstulisse? Si alia de causa; quæ ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. Addictus[3] erat tibi? non: frustra tempus contero. Omnino, inquit, H-S ccciↃↃↃ a Flavio non abstulit, neque Panurgi nomine, neque cujusquam. Si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscii, H-S ccciↃↃↃ a Flavio te abstulisse; numquid causæ[4] est, quin ab judicio abeas turpissime

est i. q. effectus exactionis. *Initium* autem *repromissionis* est origo et causa repromissionis Fannii; ideo enim repromisit, quia Roscium judicabat pro sua parte, non pro societate decidisse. Sic optime Manut. Sensus ergo est: Tu, Saturi, non exitum in hac re, sed initium spectare debes. Si Fannius rem ad exitum, Flavium persequendo, perducere noluit, non ideo minus judicavit Roscium pro sua tantum parte decidisse.

11. Lambini emendatio, *tamenne*. J. V. L.

XIV. 1. *Satis*. Scilicet cautionem.

2. Cod. Franc. 1, « utrum omnino Fannius a Flavio sest. cccLIII non abstulisset? an alio nomine abstulisset? » Quod non damnat Grævius.

3. *Addictus*. Traditus a judice, qui eum pecuniæ damnaverat. *Addicti* enim dicebantur, quos prætor damnatos neque solvendo judicato pares creditori domum ducendos tradebat. Vid. Varr. de Ling. Latina, VI, sub finem. Quintil. VII, de Finitione. Val. Max. VI, 1.

4. Sic Turneb. emendavit e codd.

victus? Quo teste igitur hoc planum faciam? Venerat, ut opinor, hæc res in judicium. Certe. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus [5]? Flavius. Quis judex? Cluvius. Ex his unus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. Quis est ex his gravissimus? Sine controversia, qui omnium judicio comprobatus est judex. Quem igitur ex his tribus a me testem spectabis [6]? Petitorem? Fannius est: contra se numquam testimonium dicet. Reum? Flavius est: is jampridem est mortuus; si viveret, verba ejus audiretis. Judicem? Cluvius est. Quid is dicit? H-S CCCIↃↃↃ Panurgi nomine Flavium Fannio dissolvisse. Quem tu si ex censu spectas, eques romanus [7] est: si ex vita, homo clarissimus [8] est: si ex te, judicem sumpsisti: si ex veritate, id, quod scire potuit et debuit, dixit. Nega, nega nunc, equiti romano, homini honesto, judici tuo, credi oportere. Circumspicit, æstuat; negat nos Cluvii testimonium recitaturos. Recitabimus; erras; inani et tenui spe te consolaris. Recita testimonium T. Manilii et C. Luscii Ocreæ [9], duorum senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Cluvio audierunt [10]. TESTIMONIUM T. MANILII ET C. LUSCII OCREÆ.

Idem habet cod. Franc. I. Olim edebatur, « numquid causare ».

5. *Quis reus?* Unde petebatur.

6. Hotomann. conj. *exspectabis*, quod receperunt Lamb. Olivet, Lallem. alii. Sch. correxit *exspectas*. Manut. *exspectatis*. Plurali non opus; Saturio enim loquitur.

7. *Eques rom.* Quamvis Cornelia lege senatoribus solis judicia essent delata, in privatis tamen causis judices eligi poterant vel equites vel plebeii. Hoc autem in loco errat Manutius.

8. Lamb. conj. *castissimus*. Vulgatum *clarissimus* h. l. idem est quod, spectatæ et ab omnibus celebratæ integritatis. Paullo post vocat *hominem honestum*, h. e. qui propter spectatam fidem est in honore apud omnes.

9. Frustra Ant. Augustin. et F. Ursin. e codd. vestigiis conj. *Ocriculani*, quasi e tribu esset Ocriculana. Ocrea cognomen est Lusciorum.

10. *Audierunt.* Apparet, quum hæc ageretur causa, Cluvium abfuisse; nam si adesset, testimonium ejus recitaretur, non eorum, qui ex ipso audissent. Cluvii cujusdam, sed non

XV. Utrum dicis? Luscio et Manilio, an et Cluvio non esse credendum? Planius atque apertius dicam. Utrum Luscius et Manilius nihil de H-S ccclɔɔɔ ex Cluvio audierunt? an Cluvius falsum Luscio et Manilio dixit? Hoc ego loco, soluto et quieto sum animo; et, quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro. Firmissimis enim et sanctissimis testimoniis virorum optimorum causa Roscii communita est. Si jam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem jurisjurandi, responde. Manilio et Luscio negas esse credendum? dic, aude: est tuæ contumaciæ, arrogantiæ, vitæque universæ vox. Quid? exspectas, quam mox ego Luscium et Manilium dicam, ordine, esse senatores; ætate, grandes natu; natura, sanctos et religiosos; copiis rei familiaris, locupletes et pecuniosos? non faciam; nihil mihi detraham[1], quum illis exactæ ætatis severissime fructum, quem meruerunt, retribuam: magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum severissima senectus desiderat meam laudem. Tibi vero, Piso, diu deliberandum et concoquendum[2] est, utrum potius Chæreæ injurato in sua lite, an Manilio et Luscio juratis in alieno judicio credas. Reliquum est, ut Cluvium falsum dixisse Luscio et Manilio contendat: quod si facit, qua impudentia est, eumne testem improbabit,

ejusdem, meminit Cic. ad Att. VI, 2; XIII, 46.

XV. 1. *Detraham.* Sensus est: Non mihi ipse nocebo, quod facerem, si tantum mihi sumerem, ut viros tam grandes natu, tam graves laudare conarer, et de illorum exacta severissime ætate, adolescens ego, nulla auctoritate præditus judicium meum interponerem. Hoc loco utitur Ferratius ut juniorem, quam vulgo creditur, Tullium hanc causam oravisse demonstret: cui subscribit Garaton. neque putat ea modestia dicturum fuisse prætorium candidatum: et ille dicendi rationi contrariam in Verrinis audaciam opponit; oblitus sane privatam hic causam agi, quæ tanta auctoritate non egeat.

2. Sic editi et scripti libri. Grævius tamen malit *coquendum*, sine causa, ut Ernest. in Clave multis pro-

quem judicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? ejus testis[3] ad judicem fidem infirmabit, cujus propter fidem et religionem judicis, testes comparabat? quem ego si ferrem[4] judicem, refugere non deberet; quum testem producam, reprehendere audebit?

XVI. Dixit enim, inquit, injuratus[1] Luscio et Manilio. Si diceret juratus, crederes? At quid interest inter perjurum et mendacem[2]? Qui[3] mentiri solet, pejerare consuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere possum; ut pejeret, exorare facile potero. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Quis enim deprecatione[4] deorum, non conscientiæ fide commovetur? Propterea quæ pœna ab diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est. Non enim ex pactione[5] verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam

bat. Idem enim sonat ac valde pensitandum. A stomacho translatum, in quo non coqui cibi dicuntur, sed concoqui; quod est certe majus, atque omnem vim ejus rei ac laborem significat.

3. *Ejus testis.* Ordo est: An infirmabit apud judicem Pisonem fidem ejus testis, cujus, quum judex fuit, ob fidem et religionem, i. e. quia fidelem et religiosum eum judicem existimabat, testes comparabat.

4. *Ferrem.* Offerrem. In judiciis tum publicis, tum privatis judicem actor, quem ei commodum erat, offerebat reo; reus aut recusabat, aut comprobabat. Comprobato ab utraque parte judici prætor judicandi potestatem faciebat, hac formula, *judex esto.*

XVI. 1. *Injuratus.* Nullo adhibito sacramento; quum testem juratum esse oporteat.

2. *Perjurum et mendacem.* Cicero h. l. sententias ad causam accommodat; et hoc a stoicorum doctrina depromit, apud quos æqualia sunt peccata omnia. Vid. Parad. III.

3. Schütz verba, « qui..... consuevit », ex nota marginali in textum venisse putat. Idem frustra paullo inf. conjicit, « Quis enim deprecatione deorum moveatur, qui conscientiæ fide non commovetur? » J. V. L.

4. *Deprecatione.* Imprecatione illa, qua si mentiamur, divini numinis pœnam deposcimus. Quis enim deos perfidiæ vindices pejerando metuat, quum fide et conscientia sua non retinetur? Errat omnino h. l. Manutius.

5. *Pactione.* Ex formula et certa

insidiæ tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt. At ego hoc ex contrario contendo. Levior esset auctoritas Cluvii, si diceret juratus, quam nunc est, quum dicit injuratus. Tum enim forsitan improbis nimis cupidus[6] videretur, qui, qua de re judex fuisset, testis esset : nunc omnibus inimicis necesse est castissimus et constantissimus esse videatur, qui id, quod scit, familiaribus suis dicit. Dic nunc, si potes, si res, si causa patitur, Cluvium esse mentitum. Mentitus est Cluvius? Ipsa mihi veritas manum injecit[7], et paullisper consistere et commorari cogit. Unde hoc totum ductum et conflatum mendacium est? Roscius est videlicet homo callidus et versutus? hoc initio cogitare cœpit : quoniam Fannius a me petit H-S ɪↄↄↄ, petam a C. Cluvio, equite romano, ornatissimo homine, ut mea causa mentiatur; dicat, decisionem factam esse, quæ facta non est; H-S cccɪↄↄↄ a Flavio data esse Fannio, quæ data non sunt. Est hoc principium improbi animi[8], miseri ingenii, nullius consilii. Quid deinde? Posteaquam se præclare confirmavit[9], venit ad Cluvium. Quem hominem? levem? imo gravissimum : mobilem? imo constantissimum : familiarem? imo alienissimum. Hunc posteaquam salutavit[10], rogare cœpit, blande et concinne, scilicet : Mentire mea causa, viris optimis,

sacramenti conditione, ac solemniter conceptis verbis.

6. *Cupidus*. Vel juvandi Roscium, vel nocendi Fannio. Sic sæpius in malam partem usurpatur : « Cupidissime falsum testimonium dicere ». Vatin. « Cupide condemnare ». Suet. in Jul. Gall. *avec passion.*

7. Ernestio placebat « injicit ».

8. *Improbi animi,* quia ad fraudem spectat; *miseri ingenii*, quia dolus est parum callide excogitatus; *nullius consilii*, quia facile prævideri poterat. — Edd. pr. « nulli consilii ». Ernest. sine causa putat Ciceronem forte scripsisse, « stulti consilii ». J.V. L.

9. *Confirmavit.* Animum corroboravit, sumpsit in corde confidentiam, ut ait Plautus.

10. *Salutavit.* Sic Euclio apud Plaut. in Aulul. « Illic aurum me scit habere, eo me salutat blandius ».

tuis familiaribus præsentibus; dic, Flavium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit; dic, H-S CCCIↃↃↃ dedisse, qui assem nullum dedit. Quid ille respondit[11]? Ego vero cupide et libenter[12] mentiar tua causa; et, si quando me vis pejerare, ut paullulum tu compendii facias, paratum fore scito: non fuit causa, cur tantum laborem caperes, et ad me venires; per nuntium hoc[13], quod erat tam leve, transigere potuisti.

XVII. Proh deum hominumque fidem! hoc aut Roscius umquam a Cluvio petisset, si H-S millies[1] in judicium[2] haberet? aut Cluvius Roscio petenti concessisset, si universæ prædæ particeps esset? Vix medius fidius tu, Fanni, a Ballione, aut aliquo ejus simili hoc expostulare[3] auderes, et impetrare posses, quod quum est veritate falsum, tum ratione quoque est incredibile. Obliviscor enim, Roscium et Cluvium viros esse primarios; improbos temporis causa esse fingo. Falsum subornavit testem Roscius Cluvium: cur tam sero? cur quum altera pensio[4] solvenda esset, non tum, quum prima? nam jam antea H-S IↃↃↃ[5] dissolverat. Deinde, si jam persuasum erat Cluvio, ut mentiretur; cur potius H-S CCCIↃↃↃ, quam CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ data dixit Fannio a Flavio, quum ex restipulatione pars ejus dimidia Roscii esset?

11. Non agnoscit Lambinus *respondit*; habent MSS. J. V. L.

12. Id. addit *inquit*, post *libenter*. J. V. L.

13. MS Franc. 1, « per nuntium hoc quidem tam leve, trans. pot. » Quod satis Grævio placet.

XVII. 1. *H-S millies*. Suband. *centies millies* (20,500,000).

2. *In judicium*. Sic in Divinat. « in amicitiam esse »; XV ad Attic. « in Tusculanum futurus ». Vide Vossii Aristarch. de Construct. c. 75.

3. In multis edd. vett. est *postulare*; unde Garaton. conjicit *et postulare*. Aliis placet, « aut impetrare posses ». Ceterum *expostulo* est i. q. vehementer postulo. Cf. Plaut. Pers. IV, 3.

4. *Altera pensio*. Altera pars pecuniæ promissæ.

5. *H-S* IↃↃↃ. Error est in numeris. Vid. supr. c. 13, n. 3.

Jam intelligis, C. Piso, sibi soli[6], societati nihil Roscium petisse. Hoc quum sentit Saturius esse apertum, resistere et repugnare contra veritatem non audet; aliud frandis et insidiarum in eodem[7] vestigio diverticulum reperit. Petisse, inquit, suam partem Roscium a Flavio confiteor; vacuam[8] et integram reliquisse Fannii concedo: sed, quod sibi exegit, id commune societatis[9] factum esse contendo. Quo nihil captiosius[10], neque indignius potest dici. Quæro enim, potueritne Roscius ex societate suam partem petere, necne? Si non potuit, quemadmodum abstulit? si potuit, quemadmodum non sibi exegit? Nam quod sibi petitur, certe alteri non exigitur. An ita est? si, quod

6. *Sibi soli.* Siquidem Fsunius Panurgi numine a Flaviu et ipse pecuniam accepit.

7. *In eodem vestigio.* Nihil mutato loco, ubi constiterat, ibidem, statim. Sic Cæs. Bell. civ. II: « vestigio temporis Id factum ».

8. *Vacuam.* Liberam, nec occupatam. Vacuum enim sæpius est quod a nemine detinetur, ut pro Rosc. Am. cap. 10 observavimus.

9. *Commune societatis.* Ejus dimidiam partem socio præstandam.

10. *Nihil captiosius.* Potuisse videtur Roscius partem suam petere, qui potuit solidum; si tamen Roscius a Flaviu quidquam exegit, nihil veru Fannius, quud Flavius solvendu esse desiit, nihil captionis est nec indignitatis respondere redigendum in commune quidquid Roscius exegerit. Ceterum ex hac tota disputatione apparet, jus illud, quod postea certum fuit, relatum quippe in Pandectas, Tullianis temporibus controversum fuisse. Incertum tunc erat omnino, an socius in judiciu petere solidum posset: quod ni fuerit, Roscii cognitur Fannius non esset factus. Solutiones transactionesque extra judicium factæ ad unumne socium, an ad societatem omnem pertinerent, id vero ex ipso erat factu, sociisque in gerendu negotio voluntate cognoscendum: quod cap. 12 optime Tullius præstitit. Nunc porro quum Saturius Roscium sibi soli excepisse concedat, sed id in societatem redigi contendat, aliam orator inire viam debet. Sumit igitur argumentum primum de hac ipsa concessione; deinde alterum de judiciu. Fannium enim Roscii cognitorem cum Rosciu partiri oportuerat, non item cum Fannio Roscium, qui cognitor illius fuerat numquam. Roscius de eo quod per cognitorem judicio petierat, solus extra judicium, nullo Fannii mandatu, decidit. Nihil ergo ex hac decisione Fanniu debuit, quum suo nomine judiciu petierit; nam per se petere, ac per cognitorem idem est. Illa differunt per se petere et cognitorem alterius fieri: quam vero differrent, ipse, qui per se petierat, simul-

universæ societatis fuisset, petisset; quod tum [11] redactum esset, æqualiter omnes partirentur : nunc [12], quum petierit, quod suæ partis esset; non, quod abstulit, soli sibi exegit?

XVIII. Quid interest inter eum, qui per se litigat, et qui cognitor est datus? Qui per se litem contestatur, sibi soli petit : alteri [1] nemo potest, nisi qui cognitor est factus. Itane vero? cognitor si fuisset tuus, quod vicisset judicio, ferres tuum [2]. Suo nomine petiit; quod abstulit, sibi [3], non tibi exegit. Quod si quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus; quæro, quid ita, quum Panurgus esset interfectus, et lis contestata [4] cum Flavio damni injuria esset, tu in eam litem cognitor Roscii sis factus? quum præsertim ex tua oratione, quodcumque tibi peteres, huic peteres; quodcumque tibi exigeres, id in societatem recideret. Quod si ad Roscium nihil perveniret [5], quod tu a Flavio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset cognitorem; ad te pervenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit, quoniam tuus cognitor non est factus. Quid enim huic rei respondere poteris, Fanni? Quum de sua parte Roscius transegit cum Flavio, actionem [6] tibi tuam reliquit, an non? Si non reliquit,

que fuerat Roscii hanc in litem cognitor Fannius uptime noverat.

11. Conjeeturam Pantagathi, « id quum », Schütz recepit. Sed lectio ipsa codd. Ox. quatuor, « quud cum », vulgatam eunfirmat : itaque nihil mutavimus. J. V. L.

12. P. Victorii editio, item antiquiur umnis, et Palat. eud. « num quid petierit, quod suæ partis esset; num quid quum abstulit, etc. » J. V. L.

XVIII. 1. *Alteri*. Pro alteru nemu petere potest.

2. *Ferres tuum*. Tibi haberes; quia tuo uumine, factus cognitur petiisset.

3. Hotum. Lamb. « tibi, non sibi exegit? » Quos sequeretur Grut. nisi eum libri vetarent.

4. *Contestata*. Vide supr. cap. 11, n. 4. — *Damni injuria*. Est damni dati nomine injuria.

5. *Nihil perveniret*. Argumentum a pari, quod enim in uuu sociu valet, valeat in altero.

6. *Actionem*. Facultatem tui juris persequendi.

quemadmodum H-S cccıↄↄↄ ab eo postea exegisti? si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te persequi et petere debes? Simillima[7] enim et maxime gemina societas hereditatis est. Quemadmodum socius in societate habet partem; sic heres in hereditate habet partem. Ut heres sibi soli[8], non coheredibus petit; sic socius sibi soli, non sociis petit: et quemadmodum uterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissolvit, heres ex sua parte[9], qua hereditatem adiit; socius ex ea, qua societatem coiit. Quemadmodum suam partem Roscius suo nomine condonare potuit Flavio, ut eam tu non peteres: sic, quum exegit suam partem, et tibi integram petitionem reliquit, tecum partiri non debet; nisi forte tu, perverso more, quod hujus est, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perstat in sententia Saturius: quodcunque sibi petat socius, id societatis fieri[10]. Quod si ita est; qua, malum[11]! stultitia fuit Roscius, qui ex jurisperitorum[12] consilio et auctoritate restipularetur a Fannio diligenter, ut, quod is exegisset a Fla-

7. *Simillima.* Societas et hereditas eodem omnino sunt jure inter se. Ceterum his argumentis magis causæ quam juri et æquitati servit orator. Societas enim consensu contrahitur; heredes autem sorte quadam fiunt. Vide sup. cap. 17, n. 10. Nobis autem de hoc toto loco certum judicium ferre non licet, nempe veteres hac de re leges et ipsam causæ constitutionem ignorantibus, quum in trunco et mutilo fragmento loci plurimi desiderentur, qui ceteris lucem addere potuissent.

8. *Sibi soli.* Nomina ipso jure dividuntur inter heredes. Itaque non potest heres agere, nisi pro eâ parte, qua heres est; neque ei sententia cum altero herede lata, quidquam aut prodest aut nocet. Quin imo pro parte qua non est heres, extraneus habetur.

9. *Ex sua parte.* Pro ratione partis quam habet in hereditate.— *Ex ea.* Socius vero pro ratione pecuniæ ejus qua societatem contraxit.

10. *Societatis fieri.* Si socii universorum bonorum sunt; pariter enim ad utrumque et damnum et lucrum pertinet.

11. *Malum!* Interjectio indignantis.

12. *Jurisperitorum.* De Pisonis ipsius sententia. Causam restipulationis vid. cap. 13.

vio, dimidiam partem sibi dissolveret : siquidem, sine cautione et repromissione [13], nihilominus id Fannius societati [14], hoc est, Roscio debebat!.....

Desiderantur non pauca.

13. *Cautione et repromissione.* Cautio est Fannii, qui sibi cavit, quum restipulatus est; repromissio Fannii, qui restipulanti dissoluturum id spopondit.

14. *Societati.* Fannius in commune conferre debuisset, tum inter se et Roscium partiri. Nam ex his duobus societas constabat. Et ipse verbo sequenti explicat Cicero.

EXCURSUS I

DE Q. ROSCIO COMOEDO.

Q. Roscius Gallus, admirabilis ille comœdus, qui oculos, aures, animosque omnium Romanorum tamdiu tenuit, de quo tam multa et honorate et honorifice, et graviter Tullius ipse prædicat, ex municipio fuit Lanuvino; natus, ut videtur, circa annum Urbis 620 aut 625, quandoquidem in oratione pro Archia poeta, quam habuit Cicero anno 692, legitur cap. 8, Roscium nuper esse mortuum senem. Aiunt puero Roscio futuram claritatem portentis prænuntiatam fuisse. Confer I de Divin. cap. 36, et II, cap. 31. Quum Roscius scenico artificio se tradidisset, brevi ad primos pervenit comœdos; atque tanta celebritate famæ floruit, ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Itaque, licet in scenam prodire et populo esse spectaculo, apud Romanos esset turpitudinì; et quamvis homines scenici haberentur infames (Corn. Nep. in præfat.), hoc tamen excellenti hominis virtuti concessum est, ut a virorum Urbis principum consuetudine non removeretur. Q. Roscium dilexit Q. Catulus, cujus in eum est venustum sane epigramma, lib. I de Nat. Deor. cap. 28. Eumdem habuit carissimum Cicero; atque inter utrumque familiaritas consuetudine quotidiana sic fuit aucta, ut nihil esset ea conjunctius. Cicero numquam, nisi honorificentissime eum appellat, sive suis in orationibus, sive in libris de Oratore: « Propter virtutem, inquit pro Quintio, c. 25, « solus dignus videbatur esse Roscius, qui ad scenam non accederet; quum artifex esset ejusmodi, ut solus dignus videretur, qui in scena spectaretur: plus fidei quam artis,

plus veritatis quam disciplinæ possidebat in se: eum populus romanus meliorem virum, quam histrionem esse arbitrabatur: ita dignissimus erat scena propter artificium, ut dignissimus esset curia propter abstinentiam». Pro Comœdo, cap. 6.

Talis fuit, si Tullio credis, Q. Roscius, Tullii amores et deliciæ, quem ipse contra Fannium Chæream defendit, et cujus hortatu Quintium antea defenderat (pro Quintio, cap. 24): cujus in disciplinam summus ille vir se tradiderat adolescens, ut ab illo in actione, quæ in dicendo una dominatur, et in qua ipse laborabat, exerceretur (Plutarch. in Cic. cap. 5): cum quo ludere postea solitus fuit, et, dum animum forensibus laboribus fatigatum recrearet, contendere utrum ille sæpius eamdem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diverso pronuntiaret. Quæ res ad hanc artis suæ fiduciam Roscium abstraxit, ut librum conscriberet, quo eloquentiam cum histrionia compararet. Macrob. Saturn. II, 10. Unde *doctum* eum vocat Horatius, Epist. II, 1, 81.

Sed quanta gratia floruerit et gloria Roscius, illud maxime indicat, quod eum L. Sulla dictator, cui carissimus fuit, annulo aureo donaverit, et mercedem diurnam de publico mille denarios, gall. 820 fr. sine gregalibus solus acceperit. Macrob. ib. Quod tamen de solis illis diebus interpretor, quibus in scenam prodibat: alioquin portenti simile esset, histrioni data fuisse denariorum 366,000 annua, gall. ferme 300,120 fr. Equidem immanem istam denariorum summam fere ad tertiam sui partem Tullius reducit, et aperte ostendit Roscio sexcenta sestertium millia, gall. 123,000 fr. annua decreta fuisse: quæ ille reip. remittebat, atque pro sua animi magnitudine condonabat. Neque enim ullam mercedem excelsus et erectus animus, præter hanc laudis gloriæque desiderat. Quo tempore defendit Q. Roscium Cicero, hoc est, anno 677, jam anni erant decem, ex quo gratuitam

operam in scena Romanis Roscius exhibebat. « Decem his annis proximis, inquit Cicero pro Roscio comœdo, cap. 8, H-S sexagies honestissime consequi potuit. Laborem quæstus recepit; quæstum laboris rejecit. Populo romano adhuc servire non destitit: sibi servire jampridem destitit ». Consentit ferme cum Cicerone Plinius, lib. VII, p. 396 edit. H. Ait enim « quingenta sestertia, mercedis nomine, singulis annis e publico Roscium accepisse ». Quæ summa decies multiplicata reddit quinquies mille sestertia; seu, quod idem est, quinquagies centena millia sestertium. Sed Cicero summam producit ad sexagies. Quare ut Plinio cum Cicerone conveniat, corrigendum Plinii locum censet clarissimus Harduinus et pro τῷ *quingenta* reponendum esse τὸ *sexcenta*. Ceterum sexcenta illa sestertia, quæ annua pensitabat Roscio respubl. merces licet et ipsa ingens, tolerabilior sane videbitur illa, quam ex Macrobio retulimus: et præ eo cum Cicerone Plinius magis est audiendus. Scripsit doctissimus abbas Fraguerius, qui Roscii vitam in Acad. Inscrip. comment. vol. IV, gallice descripsit, illos mille denarios, diurnæ mercedis nomine Roscio attributos, conficere totis decem annis centum quinquaginta scutatorum nostrorum millia. Sed qua ratione fretus eruditissimus vir id protulerit, non video: constat enim hanc summam protrahendam fuisse ferme ad 3,001,200 fr.

Larva, seu persona tragica, Q. Roscius, teste Diomede, primus uti cœpit, ad obtegendum oris vitium; erat enim Roscius perversissimis oculis. De Nat. Deor. I, 28.

Roscius mortuus est senex: eum luxit civitas omnis: quæ duo declarat Cicero pro Archia poeta, cap. 8, his verbis: « Quis nostrum tam animo agresti, ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui quum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse ».

Q. Roscii temporum æqualis fuit Æsopus, tragœdiarum, ut ille comœdiarum, actor celeberrimus; de quo sic Tul-

lius: « In Æsopo sæpe vidi tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quædam abstraxisse a sensu mentis videretur », de Divinat. I, 80. Ut Roscio doctrinam, sic Æsopo gravitatem tribuit Horatius, ubi supra. Hunc Cicero et suum et Quinti fratris sui, familiarem appellat ad Q. Fr. Epist. I, 2, 4. Istius familiaritatis meminit Macrobius ubi supra; et addit, Æsopum ex histrionia partum ducenties sestertium, gall. 4,100,000 fr. filio suo reliquisse.

DESJARDINS.

EXCURSUS II

DE NOTIS NUMERALIBUS.

NOTÆ numerales Romanorum erant omnino undecim, quarum quinque sunt simplices, sex sunt conjunctæ: omnes, literæ sunt, quæ ex hominum instituto singulæ per se certum numerum repræsentant: qui numerus pro varia literarum inter se collocatione vel crescit, vel minuitur.

Literarum simplicium potestas et figura, hæc est,

I		1
V		5
X	valet	10
L		50
C		100

Quod si ultra centum progrediendum sit, hisce figuris pro ratione summæ conjunctis, usque ad numerum 500 fit progressio. At numero huic, ut et millenario, et reliquis deinceps, solæ inserviunt conjunctæ duæ figuræ, I et C; ita tamen ut figura C semper ad figuram I sit conversa: et ex illius repetitione crescat numerus a dextris quidem,

a quibus incipitur, in quintuplum, a sinistris vero in duplum, hoc modo,

IↃ		500
CIↃ		1000
IↃↃ		5000
CCIↃↃ	valet	10000
IↃↃↃ		50000
CCCIↃↃↃ		100000

Figuris IↃ, et CIↃ, sæpe librarii substituunt D et M. Romani numeri ultra centum millia non progrediuntur: sed illa, quantum opus est, repetuntur. Verbi gratia, si trecenta millia velim exprimere, ter, ex veterum consuetudine repetam figuram superiorem ultimam hoc modo: CCCIↃↃↃ, CCCIↃↃↃ, CCCIↃↃↃ, vel etiam magis concise rem totam uno hoc verbo, ter, exprimam; ita tamen ut toties subaudiatur, centum millia. Hinc locutiones istæ veteribus familiares, bis, ter, quater, quinquies, decies: in quibus omnibus subaud. centum millia.

Sunt qui credant lineam numeris simplicibus superductam millenarium numerum significare, verbi gratia, figura V, quinque notat; si vero lineola superaddatur, quinque notabit millia. Negant alii hanc numerandi rationem esse ex veterum consuetudine, sed perperam negant: passim enim occurrit apud Plinium, uti doctissimus ejus interpres pridem observavit.

Quemadmodum major crescit numerus, quum ei minor postponitur; sic, præposito minori numero, decrescit. Itaque si figuram C sequatur figura X, efficietur numerus denarius supra centum; si vero retraxeris eamdem figuram X, hoc modo, XC, tunc e figura C detrahes decem, et nonaginta tantummodo numerabis.

Dum his in numeris commoramur, pauca quædam de sestertiorum signis addere operæ pretium fore duxerimus. Sestertius nummus primo duos asses cum dimidio, seu

duas libras cum semisse, quum idem assis ac libræ pondus esset, apud Romanos valuit. Inde hoc ei inditum nomen est quasi *semistertius*, id est, ex tribus assibus, sublato dimidio, constans : quemadmodum Attici τρίτον ἡμιτάλαντον, tertium semitalentum, dixere ut talenta duo et dimidium significarent. Inde quoque ea apud librarios fluxere signa, quæ sestertios indicarent LLS, hoc est, *libræ duæ cum semisse*, quæ cito hanc in formam HS ex celeritate et consuetudine scribendi degeneravit. Fuere etiam qui olim scriberent IIı, scilicet integræ duæ partes, seu libræ cum ejus dimidia; quæ etiam nota in hanc HS hodie vulgatissimam coaluit.

Nunc autem quoniam singuli asses sunt ad libram argenti, ut unum ad mille, sestertium pondus, h. e. duæ libræ cum dimidia, si argento conflatur, bis mille et quingentos asses, seu mille æreos sestertios, æquarint necesse est. Inde est quod dicitur *sestertium magnum*, et quod sæpius apud auctores latinos per genitivum exponitur. Itaque ut sestertiorum viginti millia significes, dici possunt *sestertia viginti* (magna), seu *sestertiûm* (parvorum) *viginti*, ita ut *millia* subintelligas. Nunc vero quum numerale adverbium occurrit multiplicandum, v. gr. ter, quater, decies, centies, etc. tunc compendiaria est locutio, et subaudias oportet *centena millia*, ut supra monstravit Desjard. Sic *sestertium decies* dicitur, pro *decies centenis millibus sestertium*. Ceterum hæc passim in notis explanavimus, atque etiam quoties occurrunt ad nostræ pecuniæ formam, ex nummorum tabula quæ apud T. Livii vol. XII nost. edit. pag. 115 invenitur, redegimus.

M. TULLII CICERONIS

IN Q. CÆCILIUM

ORATIO

DE ACCUSATORE IN C. VERREM CONSTITUENDO,

QUÆ DIVINATIO DICITUR

ARGUMENTUM

ASCONII PEDIANI.

Cn. Pompeio primum et M. Crasso coss. C. Verres perfunctus quæstura, legatione et prætura urbana, vivo patre C. Verre et prætextato filio, ac filia nupta, uxorem habens, quum successisset in Sicilia C. Sacerdoti prætori, eamque non succedente sibi Arrio, per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, succedente tandem in eadem provincia L. Metello, repetundarum reus ab Siculis postulatus est; qui omnes præter Syracusanos et Mamertinos M. Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum ad accusandum descendere compulerunt, jam pridem illis necessitudine copulatum, quod quæstor in Sicilia fuisset prætore Sex. Peduceo, et quod quum decederet, in illa oratione, quam Lilybæi habuit, multa iis benigne promisisset. Accessit his, non ignobilis futura de Verre victoria, quia a Metellis, Scipionibus et multis aliis nobilibus viris, et præcipue ab Hortensio ipso defenderetur, facile et principe in senatu propter nobilitatem, et in foro ob eloquentiam rege causarum, et eodem consule designato cum Q. Metello, fratre Metellorum, alterius prætoris Siculi, alterius prætoris urbani. His ita constitutis exstitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, et quæstor Verris, et ejusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere, has afferens causas: unam quod ab eo læsus, et ob hoc jure illi sit inimicus, quare prævaricator esse non possit; alteram, quod, quum quæstor ei tum fuerit, etiam ipse in quæstura[1] crimina noverit Verris; tertiam, quod Siculus pro Siculis agat. Hujuscemodi propositionibus Cicero designatus ædilis his sex capitibus respondet, accusatorem eum esse oportere, qui invitus cogitur religione officii, rogatus ab omnibus Siculis; qui pro republica agat; quem volunt, qui accusant; quem metuit, qui accusatur; qui idoneus est facundia et innocentia; qui hoc facit imitatione majorum.

1. Vulg. *in quæstione*. Gronovius conj. «etiam sine inquisitione».

Divisio principalis, una de se ipso, altera de contentione sui et Cæcilii.

Divinatio dicitur hæc oratio, quia non de facto quæritur et conjectura, sed de futuro, quæ est divinatio, [1] uter debeat accusare. Alii ideo putant divinationem dici, quod injurati judices in hac causa sedeant, ut, quod velint, præsentire de utroque possint. Alii, quod res agatur sine testibus, et sine tabulis, et his remotis argumenta sola sequantur judices, et quasi divinent. Cogitur autem causa, senatoriis judiciis in invidia apud populum constitutis, corruptione multorum, vexatis provinciis omnibus, ac sociis populi romani fessis toto orbe terrarum, libidine et iniquitate romanorum magistratuum, accusatoribus prævaricatione infamibus, flagitante plebe judicia equestris ordinis, quæ fere ante annos X victor Sulla sustulerat, cognoscente de pecuniis repetundis M' Glabrione prætore, et amplissimis quibusque senatorii ordinis judicantibus, summa exspectatione cunctorum.

Genus causæ honestum. Status qualitatis negotialis comparativa de constituendo accusatore, qui potissimum de duobus, aut qui solus accuset : dicit enim Cæcilius, aut a se accusandum esse Verrem, aut a se quoque.

1. Gron. legendum censuit : « quia non de facto quæritur, sed de futuro, quæ est divinatio et conjectura ».

ALIUD ARGUMENTUM.

Caius Cornelius Verres Caii filius, familia nobili ortus, quum post peractam juventutem turpissimam flagitiosissimamque, ad rempublicam accessisset, tandem Siciliæ prætor, in hac provincia avare, ac libidinose versatus, per triennium prorogato propter successoris Arrii mortem imperio, nullam fere horam egit vacuam a furto, scelere, flagitio et crudelitate. Tot igitur tantisque injuriis afflicti et exhausti Siculi, post ejus discessum se ad M. Tullium Ciceronem contulerunt, qui in ea provincia quæsturam gesserat, seque moderatione et integritate provincialibus probaverat, eumque orare non destiterunt, ut Verrem repetundarum postularet. Cicero, quamvis ad hanc diem defensionibus tantum amicorum floruisset, omninoque ab accusationibus abhorreret, hoc tamen tot hominum honestissimorum suique amantium studio et flagitationi tribuit, ut Verris nomine delato, se Siculorum futurum patronum profiteretur. Illud præterea Ciceronem non minime accendebat, quod hac in causa summo cum oratore Hortensio de maximis rebus colluctaretur, et magnam sibi populi gratiam conciliari cerneret, si Verrem totius nobilitatis insolenti præsidio subnixum, nulla non fraude ad corrumpenda judicia abutentem, nihilominus prosterneret. Sed derepente exstitit Quintus quidam Cæcilius Niger, civis Romanus, homo Siculus, religione Judæus, quæstor Verris Lilybætanus, et ejusdem, ut ipse aiebat, inimicus, qui se potius accusatorem constitui oportere contenderet. Scilicet iste Verris scelerum adjutor et particeps, hanc accusationem, favente Hortensio, a judicibus postulabat, ut hanc sibi commissam provinciam proderet, Verremque turpissima prævaricatione absolvendum curaret.

Inter istum igitur et Ciceronem quum decernendum esset, uter accusationem institueret, habita est oratio hæc, quæ *Divinatio* inscribitur. *Divinatio* autem est judicium, quo duo, pluresve qui se proponi in accusando, sive de ambitu, sive de repetundis, seu de quovis alio crimine publico, volunt, de accusatione sibi deferenda contendunt. Nam, quum omnia judicia de præteritis

instituantur, hic judices non de præterito, sed de futuro statuunt, uter sit rectius accusaturus: quod totum quia conjectura nititur, *divinare* dicuntur, eorumque judicium *divinatio* appellatur. Quintil. VII, 3. A. Gell. II, 4. Hotom. Proleg. ad h. orat. Hermog. Digest. XL, 16.

Forsan miretur quis, quod, quum Siculorum rogatu ad causam accedere Ciceronem constet, alius cum eo de hac re contendat. Quid igitur, nonne Siculis liberum fuit, parare sibi quem vellent, qui Verrem inimicum accusaret? Minime. Romæ enim in judiciis publicis, quale erat istud Verris judicium, cuivis e populo licebat, vel inconsultis iis, quorum intererat, accusare. Atque inde judicia illa *publica* dicta sunt. Justin. Instit. IV, 18, § 1.

Hanc orationem Cicero, annum ætatis agens 37, designatus ædilis, habuit in foro, M. Licinio Crasso et Cn. Pompeio coss. A. U. C. 683, circa mensem aprilem, tres menses amplius antequam cœpit Verres accusari.

Opinatur Hotomannus judicem quæstionis duntaxat, ei præfuisse contentioni. Ei aderant in consilio complures senatorii ordinis, ex eo numero judicum, qui postea M'. Glabrioni prætori in judicio adfuerunt.

Eventus fuit felix. Cæcilii fraudem facile ostendit Cicero, et tenuem ejus in dicendo vim ita elusit, et per jocum elevavit, ut eum non solum non primas in accusando partes, sed ne secundas quidem aut tertias agere posse demonstraret.

SYNOPSIS.

Quæstio est in genere deliberativo, *an Cicero sit eligendus accusator Verris, an Cæcilius:* sed miscetur demonstrativum, quia Cæcilius vituperatur.

Partes hujus orationis sunt: Exordium adusque tertii capitis dimidiam partem. Constitutio causæ, ad tertii capitis finem. Contentio, quæ Confirmationem ad cap. 16, et Confutationem ad 21 complectitur; et Peroratio.

In Exordio invidiosum accusatoris nomen a se amoliri quærit Cicero, ostenditque se, qui tot annos in causis judiciisque publicis versatus sit, ut defenderit multos, læserit neminem, propterea nunc ad accusandum Verrem descendere, quod hac accusatione scelestissimi ac audacissimi hominis, totius provinciæ Siciliæ defensio contineatur, simulque in ea versetur judiciorum existimatio, 1, 2, 3.

Inde *causam constituit*, et ut haberent judices, quod in eligendo actore sequi possint, demonstrat, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere : quem maxime velint actorem esse ii, quibus factæ sunt injuriæ ; deinde quem minime velit is, qui eas injurias fecisse arguatur ; 3 sub fin.

Jam *confirmat* Siculos se ipsum actorem suæ causæ contra Verris injurias quæsisse, 4. Eorumque voluntatem apud judices valere oportere, 5. Præsertim quum Cæcilium fortunarum suarum defensorem habere prorsus nolint, 6. Deinde in altero Confirmationis membro ostendit Verrem a se minime accusari velle; nullam rem in se esse, quam ille contemnat; nullam in Cæcilio, quam ille pertimescat, 7, 8. In accusatore vero esse oportere integritatem et innocentiam singularem, deinde firmitatem et veritatem; neutrum in Cæcilio esse, quippe cui ipsi criminum permultorum cum Verre societas fuerit, 9-11. Præterea ei deesse justam agendi facultatem et dicendi consuetudinem, 12, 13. Quod eo gravius sit, quod ei cum homine disertissimo Q. Hortensio futurum sit certamen, 14. Neque id ideo compensari, quod subscriptores habeat exercitatos et disertos, 15.

Absoluta Confirmatione, sequitur Confutatio. Triplici de causa contendebat Cæcilius Verris accusandi munus ad se pertinere, 1° quia injuria affectus a Verre fuerat. 2° Quia illi erat inimicus. 3° Quia quæstor Verris fuerat.

Nihil esse docet Cicero, quod Cæcilius dicat injuriam sibi a Verre factam, seque ejus inimicum profiteatur, 16, 17. Et quod quæstor fuerit, tantum abesse, ut propterea sibi in accusando Verre anteferendus sit, ut potius hanc unam ob causam repudiari eum oporteat, 18, 19. Denique multo magis a se quam a Cæcilio exspectari posse, causam hanc severe, accurate, ac diligenter actum iri, quod ipse nulla privatim injuria accepta, sociorum populi rom. injurias persequatur. Hic illustratur locus et amplificatur timore nocentium, ne ab imperitis et inertibus hominibus ad viros fortes et diligentes accusandi munus transferatur; consuetudine majorum, et clarissimorum virorum exemplo, 20, 21.

In Peroratione amplificat pignora, seu rationes quibus reipubl. ipse, non vero Cæcilius, obstringitur; judicibus se commendat pulcherrimis virtutibus; denique eis indignationem populi comminatur, si contra se judicent. Hunc in eorum animis aculeum relinquit, 21, 22.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN Q. CÆCILIUM
DIVINATIO.

ORATIO QUARTA.

I. Si quis vestrum [1], judices, aut eorum qui adsunt [2], forte miratur, me, qui tot annos [3] in causis judiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata voluntate, ad accusandum descendere [4]; is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id, quod facio, pro-

I. 1. *Si quis vestrum.* Videtur adumbrasse initium orationis Æschinis contra Timarchum, qui in eamdem fere est sententiam. Monet Diomed. ed. Putsch. p. 464 : « non deesse qui Ciceronem reprehendant, qui principio Divinationis metrum Sotadicum fecerit : *si quis... adsunt* ». Quid autem pervulgatius quam versus aliquando summis viris imprudentibus excidisse? Et, credo, omnes Ciceroni de tam bello versu ignoscent. Vid. Quintil. IX, 4.

2. *Adsunt.* Populum significat, qui stabat circum subsellia.

3. *Tot annos.* Undecim scilicet ex quo tempore S. Roscium Amerinum defenderat. Sed ipse in Brut. hosce annos, omissis iis quos in Græcia egit, ad quinquennium redigit.

4. Habent codd. nonnulli *descenderim*, quod jam legerat Asconius. Lectionem hanc, Passeratio probatam, Beck. sublato commate post *miratur*, admisit. J. V. L. — Quum multorum inimicitias ii subirent qui alios accusabant, simulque accusandi munus olim nobile et præclarum, Sullanis temporibus, polluerant delatores, ideo hanc a se invidiam in principio purgat Cicero. Accusandi studium laudine an vitio duci oporteat, præclare disputat Quintil. lib. XII, cap. 7.

babit, et in hac causa profecto neminem præponendum esse mihi actorem putabit. Quum quæstor in Sicilia fuissem, judices, itaque[5] ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam quæsturæ nominisque mei relinquerem[6]; factum est, uti quum summum in veteribus patronis[7] multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati[8] atque vexati, cuncti ad me publice[9] sæpe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem: me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non jam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciæ defenderem: sese jam ne deos[10] quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere; quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset: quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas

5. *Itaque*. Et ita. *Decedere* ex provincia dicuntur qui cum imperio aut potestate sunt; *discedere* vero privati.

6. *Relinquerem*. De sua quæstura in orat. pro Plancio, sic scribit: « non vereor ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturam aut clariorem aut gratiorem fuisse, etc. »

7. *Patronis*. Siculi patronos primum habuerunt Marcellos, ab illo Marcello a quo captæ et servatæ sunt Syracusæ (T. Liv. XXV, 25); deinde Scipiones, ex quo P. Scipio Africanus, excisa Carthagine, Siciliæ restituit ornamenta quæ Pœni victores abstulerant (Verr. II, 35); Metellos denique. Mos fuit ut romani nobiles, civitates aut nationes devictas bello in fidem et clientelam reciperent, atque earum patroni essent. Vide de Offic. I, 35.

8. *Populati*. Avaritia Verris. *Vexati*. Ejusdem libidine et crudelitate.

9. *Publice*. Publica civitatum auctoritate. Soli non venerunt Mamertini, nec Syracusani.

10. *Deos*. Adducit h. l. Lactant. II, 4, et deridet: « Quasi vero, inquit, si Verres ex urbibus delubrisque simulacra deorum sustulerat, de cælo quoque deos sustulisset ». Vulgus qui-

omnes sese hoc uno prætore per triennium[11] pertulisse: rogare[12] et orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret.

II. Tuli graviter et acerbe, judices, in eum me locum adductum[1], ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent[2]; aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem[3] Q. Cæcilium, qui præsertim quæstor in eadem provincia post me quæstorem fuisset. Quo ego adjumento sperabam hanc a me molestiam posse demoveri[4], id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent[5], aut si iste apud eos quæstor non fuisset. Adductus sum, judices, officio[6], fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoque majorum, ut onus hoc laboris atque officii, non ex meo[7], sed ex meorum necessariorum tempore, mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, judices,

dem ipsa numina in simulacris habitare credebat; cui errori prudentiores se accommodabant, licet animo longe aliter sentirent. Vid. Horat. od. I, 14. Sat. I, 8. Pers. VI, 29.

11. *Per triennium.* Annuæ erant prætoriæ provinciæ, sed quum successor exspectaretur Arrius, prorogatum Verri fuerat imperium. Vide ad calcem hujus orat. de provinciis.

12. *Rogare.* Est blande petentium. *Orare* est supplicum.

II. 1. Alii ex MSS *adduci.* J. V. L.

2. Mavult Hotom. Lamb. Manut. et Desjard. *exspectassent.* Contra sunt omnes MSS et edd. veteres.

3. *Actorem.* H. l. qui in judicio causas agit. *Præsertim quæstor.* Cujus si qua essent in Siculos merita, eorum memoria recentior esset quam meorum.

4. Sic Lambin. Græv. Olim *dimoveri.*

5. *Non nossent.* Acerbe in Cæcilium, quem h. l. quasi aliud agens acerbissime pungit.

6. *Officio.* Quod eorum petitionem non debeam aspernari, quorum quæstor fui; *fide*, quibus decedens de provincia promisi; *misericordia*, quorum me tempus et calamitas debeat commovere.

7. *Non ex meo.* Non ut meo tempori servirem, sed meis amicis subvenirem: non ut meas injurias persequerer, ut Cæcilius persequi vult suas.

consolatur, quod hæc, quæ videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, et non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere. Quod si hanc causam tam idoneam[8], tam illustrem, tam gravem non haberem; si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantæ necessitudinis non intercederet, et hoc, quod facio, me reipublicæ causa facere profiterer, ut homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cujus furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia[9], Asia, Cilicia, Pamphylia, Romæ denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in judicium vocaretur : quis tandem esset, qui meum factum, aut consilium posset reprehendere?

III. Quid est, proh deum hominumque fidem! in quo ego reipublicæ plus hoc tempore prodesse possim? quid est, quod aut populo romano gratiûs esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatæ, vexatæ, funditus eversæ provinciæ; socii[1], stipendiariique populi romani afflicti, miseri, jam non salutis spem[2], sed exitii solatium quærunt. Qui judicia manere apud ordinem senato-

8. *Idoneam*. Quia rogatus ad eam accedo. *Illustrem*. Propter provinciæ Siciliæ nobilitatem. *Gravem*. Propter maxima Verris crimina.

9. *In Achaia*. Vid. inf. Verr. 1, 1, et passim.

III. 1. *Socii* incertum vectigal, ut *decumas*, seu decimam frugum partem; *stipendiarii* certum pendebant, quod eis velut in victoriæ monumentum imponebatur.

2. *Salutis spem*. Non sperant in pristinum statum se posse restitui; sed quærunt, ad exitii sui solatium, ut condemnentur ii, quorum scelere afflicti sunt et perditi.

rium volunt[3], queruntur, accusatores se idoneos[4] non habere; qui accusare possunt, judiciorum severitatem desiderant. Populus romanus interea, tametsi multis incommodis[5] difficultatibusque affectus est, tamen nihil æque in republica atque illam veterem judiciorum vim gravitatemque requirit. Judiciorum desiderio tribunitia potestas efflagitata est[6]; judiciorum levitate[7] ordo quoque alius ad res judicandas postulatur; judicum culpa atque dedecore etiam censorium[8] nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id jam populare atque plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi romani quotidiana querimonia, judiciorum infamia, totius ordinis[9] offensione, quum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei atque integri causam reipublicæ legumque susciperent; fateor, me, salutis omnium causa, ad eam par-

3. *Volunt.* In magna exspectatione lex Aurelia erat, quum hæc dicerentur: flagrabat enim invidia ordo senatorius, qui, Sullana lege, per decem annos turpiter judicia administrabat. Vid. sup. in Argum.

4. *Idoneos.* Nempe ingenio, probitate, constantia præditos.

5. *Incommodis.* Ademerat populo Sulla tribunicia potestatem; censores sustulerat; transtulerat judicia ab equestri ad solum ordinem senatorium.

6. *Efflagitata est.* Ut nempe tribunorum intercessionibus judiciorum corruptela reprimeretur. Ante Sullam tribunis ea potestas erat, ut adversus iniquorum judicum sententias intercederent, quemlibet qui accepta pecunia judicasset, ad judicium populi raperent, eique mulctam irrogarent. Quæ potestas eis hoc ipso anno a Pompeio et Crasso coss. est restituta.

7. *Levitate. Levis* judex est, qui facile movetur, et de recta judicandi via facile deflectit. Huic opponitur *gravis* et constans judex.

8. *Censorium nomen.* Censura, cujus olim vel nomen propter severitatem horrebant, nunc poscitur, ut hac ipsa severitate eos, qui corrupte judicassent, notent et moveant senatu censores. Porro illi primum creati fuerant anno Urbis 312, ut morum disciplinæque romanæ penes eos esset regimen, et decoris dedecorisque discrimen sub eorum esset ditione. Porro per annos duodecim in republ. non fuerunt. Illos hoc eodem anno restituit Pompeius.

9. *Ordinis.* Senatorum nempe omnium.

tem[10] accessisse reipublicæ sublevandæ, quæ maxime laboraret.

Nunc, quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstravi[11], dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quid sequi possitis, habeatis.

Ego sic intelligo, judices: quum de pecuniis repetundis nomen cujuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere: quem maxime velint actorem esse ii, quibus factæ esse dicantur injuriæ, et quem minime velit is, qui eas injurias fecisse arguatur.

IV. In hac causa, judices, tametsi utrumque esse arbitror perspicuum, tamen de utroque dicam, et de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus injuriæ factæ sunt; quorum causa judicium de pecuniis repetundis[1] est constitutum. Siciliam provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi universi; ad meam fidem, quam habent spectatam jam et diu cognitam, confugiunt; auxilium sibi per me a vobis atque a populi romani[2] legibus petunt; me defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt. Utrum, Q. Cæcili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad causam ac-

10. *Ad eam partem.* Hoc munus, has partes sublevandæ reip. suscepisse. Manifestior sensus esset, si *sublevandam* darent codd. aliqui.

11. *Demonstravi.* De his vide quod sup. Rosc. Amer. I, not. 6, adnotavimus.

IV. 1. *Pecuniis repetundis.* Judicium *repetundarum* inde dictum, quod eo judicio socii pecunias sibi contra leges ereptas repetant, quas ex damnatorum litibus æstimatis, domum reportent.

2. Olim « populo romano » ex MSS compendio profectum errorem correxit Grævius.

cedere, an optimorum fidelissimorumque sociorum voluntatem apud hos[3] gravem esse non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc a me non petisse; primum causam inimici tui sublevabis[4], de quo non præjudicium[5], sed plane judicium jam factum putatur, quod ita percrebruit[6], Siculos omnes actorem[7] suæ causæ contra illius injurias quæsisse. Hoc si tu, inimicus ejus, factum negabis, quod ipse, cui maxime hæc res obstat, negare non audet; videto, ne nimium familiariter[8] inimicitias exercere videare. Deinde sunt testes, viri clarissimi nostræ civitatis, quos omnes a me nominari non est necesse: eos, qui adsunt, appellabo; quos, si mentirer, testes esse impudentiæ meæ minime vellem. Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus; scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus[9]: quorum fide atque præsidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adjuncta[10] est. Hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, sed ita sæpe et ita

3. *Apud hos.* Valere apud judices.

4. *Sublevabis.* Leviorem facies. Nam si nullum actorem petiernt Siculi, non igitur ita graves sunt eorum injuriæ, neque tam nocens est Verres, quam homines arbitrantur.

5. *Præjudicium.* Præsumptio. Neque causa ista præjudicata, sed omnino jam judicata et damnata est. Præjudicium interdum est signum et indicium judicii, ut hoc loco. De præjudiciis vid. Quintil. V, 2.

6. Alii, *percrebuit.* J. V. L.

7. Menardus addit *me.* J. V. L.

8. *Nimium familiariter.* Jocus. Caveto ne nimium amice inimicitias exerceas: ne, quamvis inimicum Verri haberi te velis, amicus tamen et omnino familiaris reipsa esse videaris.

9. *Marcellinus.* Ille ex gente Clodia, quæ est Marcellorum, in Corneliam adoptatus transierat. Fuit autem romani moris ut adoptati homines nomen familiæ ejus ex qua migrassent novo suo nomini jungerent, ita ut illud paullum deflecterent; sic a Marcellis Marcellinus, ab Æmiliis Æmilianus, ab Octaviis Octavianus dicebatur.

10. Gulielm. aliique tentant *addicta, advincta.* Gruter. mallet *clienta,* vocem a Cicerone, ut videtur, alienam. Nihil mutandum. Terent. Adelph. I, 1, 47: «ille, quem beneficiò adjungas», nempe *tibi* ut hic *nomini*, h. e. universæ familiæ.

vehementer esse petitum, ut aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium [11] necessitudinis repudiandum. Sed quid ego his testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? Adsunt homines ex tota provincia nobilissimi, qui præsentes vos orant atque obsecrant, judices, ut in actore causæ suæ deligendo vestrum judicium ab suo judicio ne discrepet. Omnium civitatum totius Siciliæ legationes adsunt, præter duas civitates [12]: quarum duarum, si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur, quæ cum his civitatibus C. Verri communicata sunt. At enim cur a me potissimum hoc præsidium petiverunt? Si esset dubium, petissent a me præsidium, necne, dicerem, cur petissent. Nunc vero, quum id ita perspicuum sit, ut oculis [13] judicare possitis; nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi objiciatur, me potissimum esse delectum. Verum id mihi non sumo, judices, et hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cujusquam relinquo, me omnibus patronis esse præpositum. Non ita est; sed uniuscujusque temporis [14], valitudinis, facultatis ad agendum, ducta ratio est. Mea fuit semper hæc in hac re voluntas et sententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me; me ut mallem, quam neminem.

11. *Officium.* Jus necessitudinis quale est inter patronum, clientes et hospites.

12. *Duas civitates.* Mamertinam et Syracusanam. Hæc furtorum Verris adjutrix, illa receptrix fuit. Vid. inf. in Verrinis orat. passim. Hæc sunt earum civitatum maxima crimina.

13. *Oculis.* Siculos enim, qui id a vobis petunt, præsentes videtis, et potestis hac de re interrogare, utrum verum dixerim.

14. *Temporis.* Non contempsere Siculi veteres suos patronos; sed *temporis* habuerunt rationem, quia Marcellus judex est; *valitudinis*, quod infirmior corpore est Marcellinus; *facultatis*, quod non est in altero Marcello facultas oratoria; juris enim studiosior erat ille quam eloquentiæ.

V. Reliquum est jam, ut illud quæramus, quum hoc constet, Siculos a me petisse, ecquid hanc rem apud vos animosque vestros valere oporteat; ecquid auctoritatis apud vos in suo jure[1] repetundo socii populi romani, supplices vestri, habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam civibus quum sunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione[2] et privato jure repetuntur: hæc lex socialis est; hoc jus nationum exterarum est; hanc habent arcem, minus aliquanto nunc[3] quidem munitam, quam antea; verumtamen, si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est: cujus legis non modo a populo romano, sed etiam ab ultimis nationibus jampridem severi custodes requiruntur. Quis igitur est, qui neget oportere eorum arbitratu lege[4] agi, quorum causa lex sit constituta? Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus[5], delubris fuit; quod in unaquaque re, beneficio senati[6] populique romani, juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti atque abstulisti; quo nomine abs te sestertium millies[7] ex lege repeto. Si universa, ut dixi, provincia loqui posset, hac voce uteretur: quoniam id non

V. 1. *In suo jure.* Nempe sociorum causa repetundarum judicium fuit institutum.

2. *Civili actione.* *Civilis actio* est ea, qua civis cum cive apud prætorem urbanum contendit. — *Jus privatum* illud dicitur, quod inter privatos prætor urbis dicit. H. l. sociali juri opponitur.

3. *Nunc.* Quia judicia flagitiose fiunt.

4. Ernest. putabat *lege* commode abesse posse; recte autem hoc negat Beckius, quia refertur ad *lex*, quod sequitur, et vim addit sententiæ. J. V. L.

5. Manut. conjicit *ædibus.* Quod mallet Desjard. J. V. L.

6. Alii, *senatus.* J. V. L.

7. *Millies.* Subaud. *centies millies* (20,500,000 fr.). Ita loquentem Sici-

poterat, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit. In hujusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam, invitis iis, quorum negotium est, accedere aut adspirare audeat?

VI. Si tibi, Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent: Te non novimus; nescimus qui sis; numquam te antea vidimus; sine nos per eum nostras fortunas defendere, cujus fides est nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuivis probare deberent? Nunc hoc dicunt: utrumque se nosse; alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum, alterum plane nolle. Cur nolint, etiam si tacent[1], satis dicunt; verum non tacent: tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius[2], quam abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle sua causa[3], nec, si cupias, posse arbitrantur? Cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis et judicii severitate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitissimis his, quibus maxime lex consultum esse vult? cur, de quibus in provincia non optime es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus

liam inducit oratoria magis ratione, quam omnino exacta, et ex Siculorum querelis magis quam ex veris auctoritatibus. Ipse vero, postquam in Sicilia testimonia omnia collegerit, *sestertium quadringenties* (8,500,000 fr.) constituto judicio repetet. Huic alteri summæ standum. Quia vero repetundarum damnati pœnam duplicem et majorem etiam aliquando, ut ex JCtorum libris et ex Asconio manifestum est, subibant, potuit Cicero h. l. ad *quadringenties*, quæ vera est furtorum Verris æstimatio, sesquialterum quadringenties, pœnæ nomine, adjicere.

VI. 1. Multi, *taceant;* sed Asconius recte, *etiam si tacent*. J. V. L.

2. *Potius*. Abundat h. l. ut sæpius apud Plaut. Terent. ipsumque Cic. Adi Vossium Art. Gramm. part. II, pag. 565.

3. Optime sic Naugerius, al. Quod idem est ut Desjard. monuit, quod «alteri studere ac favere». Recentiores male, *suam causam*. J. V. L. — Cæcilius operam suam iis pollicetur,

conaris evertere? cur his non modo persequendi juris sui, sed etiam deplorandæ calamitatis adimis potestatem? Nam[4], te actore, quem eorum affuturum putas, quos intelligis, non ut per te alium, sed ut per aliquem te ipsum ulciscantur, laborare[5]?

VII. At enim solum[1] id est, ut me Siculi maxime velint : alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit. Ecquis umquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille, atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur? Sunt multa, quæ Verres in me[2] esse arbitratur, quæ scit in te, Q. Cæcili, non esse : quæ cujusmodi in utroque nostrum sint, paullo post commemorabo. Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare : nullam rem in me esse, quam ille contemnat; nullam in te, quam pertimescat. Itaque magnus ille defensor[3] et amicus ejus tibi [Hortensius[4]] suffragatur, me oppugnat; aperte ab judicibus petit, ut tu mihi anteponare; et ait, hoc se honeste, sine ulla invidia, ac sine ulla offensione contendere. « Non « enim, inquit, illud peto, quod soleo, quum vehe- « mentius[5] contendi, impetrare, reus ut absolvatur,

quibus non favet, quippe Verris amicus, neque, si maxime velit, propter tenuitatem præstare quidquam possit.

4. Græv. Ernest. *num* habent. Male. *Nam* refertur ad proxime antecedentia. Nolebant enim Siculi in judicio adesse, et calamitatem suam deplorare, si neminem alium, quam Cæcilium actorem causæ suæ habere possent.

5. *Laborare*. Aliquem quærere, qui te castiget.

VII. 1. Schütz, Hotom. et Lamb. ducibus, prætulit *solidum*. Nescio an nimio amore inusitatæ locutionis. J. V. L. — *Solum*. Ex duobus quæ in accusatore requiruntur, hoc in me solum est et singulare, ut me maxime velint Siculi. Nunc autem absoluto divisionis uno membro, auctor aggreditur alterum.

2. *In me*. Honesta est significatio suæ in agendo fidei ac facultatis.

3. *Magnus ille defensor*. Famosus ille causarum patronus, cui nulla defensionis ratio videtur iniqua.

4. Abest a libris nonnullis, omisitque Grævius. J. V. L.

5. *Vehementius contendi*. *Vehementius contendere* h. l. et in ore Horten-

« non peto; sed ut ab hoc potius, quam ab illo accu-« setur, id peto. Da mihi hoc; concede, quod facile « est, quod honestum, quod non invidiosum : quod « quum dederis, sine ullo tuo periculo, sine[6] infamia « illud dederis, ut is absolvatur, cujus ego causa la-« boro. » Et ait idem, ut aliquis metus adjunctus sit ad gratiam, certos[7] esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit; id esse perfacile; non enim singulos ferre sententias, sed universos constituere[8]; ceratam[9] unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria. Atque is non tam propter Verrem laborat, quam quod eum minime res tota delectat. Videt enim, si a pueris[10] nobilibus, quos adhuc elusit; si a quadru-

sii, idem est, ac judicium data pecunia corrumpere. Quod ideo honeste exprimit, quia loquentem inducit Hortensium. Ascon.

6. *Sine infamia.* Quia nulla hic suberit corruptelæ suspicio.

7. *Certos.* Ait Hortensius se in judicum numero amicos habere, quibus velit ostendi tabellas priusquam in urnam mittantur (ut sciat an, promisso servato, quisque judicum scriptum in tabula nomen Cæcilii habeat): illud vero non esse difficile, nam omnes simul sententias seu tabulas in cista deponere.

8. *Constituere.* Ad ferendam sententiam non singulos judices vocari aut consurgere, sed simul et confuse universos. Non autem erat perdifficile, inter ferendas simul et confuse tabellas, alicui e consilio suas alios judices furtim tabellas ostendere. Adnotat Asconius in divinationibus et causis majoribus, in cistam tabulas judices conjecisse, in levioribus autem sententiam de tabula pronuntiasse.

9. *Ceratam.* Tabellæ judicum erant cera, in qua scriberetur, illitæ; et unius ferme coloris, h. e. albi aut subflavi, qui ceræ color est legitimus seu naturalis. At vero Hortensius, quum in judicio Terentii Varronis, quem repetundarum reum ex Asia, nuper defenderat, corrupisset pecunia judices; ab iisdem insuper exegerat, ut, in suffragio ferendo, tabellis uterentur discoloribus, quas a se accepissent; quo certius sciret ille an empti judices pactionis fidem servassent; ea res quia cum totius judicii infamia innotuerat, metum hisce judicibus demit Hortensius. Non, inquit, hic discoloribus utar tabellis, ut olim : cerata unicuique vestrum tabella dabitur, quæ naturalem suum colorem retineat, et in qua nulla sit suspicio. Satis erit mihi, si tabellas vestras ostenderitis amicis quos habeo in consilio. Cf. scholiast. Acron. et Porphyrion. in Horat. Sat. II, 1.

10. *Pueris.* Accusabant enim illis temporibus soli adolescentes, aut delatores, tunc *quadruplatores* vocati, quod damnatorum de bonis quartam

platoribus, quos non sine causa contempsit semper, ac pro nihilo putavit, accusandi voluntas[11] ad viros fortes, spectatosque homines translata sit, se in judiciis dominari[12] non posse.

VIII. Huic ego homini jam ante denuntio, si a me causam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam; et ita tamen mutandam, ut meliore et honestiore conditione sit, quam qua ipse esse vult; ut imitetur homines eos, quos ipse vidit, amplissimos, L. Crassum et M. Antonium[1]; qui nihil se arbitrabantur ad judicia causasque amicorum, præter fidem et ingenium, afferre oportere. Nihil erit, quod, me agente, arbitretur, judicium sine magno multorum periculo posse corrumpi. Ego in hoc judicio mihi Siculorum causam receptam[2], populi romani susceptam esse arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt, sed omnino omnis[3] improbitas, id quod populus romanus jamdiu flagitat, exstinguenda atque delenda sit. In quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere.

partem consequebantur. Vid. Rosc. Amer. cap. 20, not. 1.

11. Unus cod. *voluptas*, quod Facio nimis placet. J. V. L.

12. Lambin. e cod. Cujaciano recepit, « dominari diutius non posse ». J. V. L. — *Dominari in judiciis* est ea ad nutum flectere et permovere, sive pecunia, sive eloquentia, sive aliis artibus.

VIII. 1. *L. Crassum et M. Antonium*. De illis disertissimis oratoribus adi de Oratore libros qui eorum laudibus sunt pleni. Confer etiam finem Verrinæ secundæ, et initium quintæ.

2. *Receptam. Recipimus* rogati; *suscipimus* ultro. Sic in seq. orat. « ego quum hanc causam Siculorum rogatu recepissem, tum suscepto negotio, majus mihi quidquam proposui ». Susceperat autem reipsa Cicero populi rom. causam, quum judiciis vim suam ac auctoritatem restituere vellet.

3. Abest *omnis* a Græv. et Ernest. J. V. L.—Optime explicat Asconius, significari et corruptos judices, et corruptores eorum, et sequestres, et

Tu vero, Cæcili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui[4] periculum fecisti? In mentem tibi non venit, quid negotii sit causam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis judicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere? sociorum salutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere?

IX. Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset : ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, ego jam tibi ipse istuc, quod expetis, mea voluntate concedam. Primum integritatem atque innocentiam singularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. Hic ego de te plura non dicam : unum illud credo omnes animadvertere, te adhuc ab nullis, nisi a Siculis, potuisse cognosci; Siculos hoc dicere, quum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad judicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies : hos patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum[1] et suspiciosum, non te ex Sicilia literas[2] in Verrem deportare[3] velle arbitrantur, sed, quum[4] iisdem literis illius prætura

interpretes, et emissarios, et omne quod vitii est.

4. *Tute tui*. Solus, remotis arbitris, quæ tuæ essent vires, per te ipse expertus es?

IX. 1. *Acutum.* Ingenii acumine Siculos valuisse ostendit sæpius in Verr. et in Brut. de Sicilia loquens, « quod esset, inquit, acuta illa gens et controversa natura ».

2. *Literas.* Testimonia, publicas civitatum tabulas.

3. *Deportare.* Ut accusationem institutas. Accusatori constituto potestas Acilia lege fiebat, omnia non modo Romæ, sed etiam in provinciis obsignandi ac deportandi, quæ ad instituendam accusationem pertinere existimaret.

4. Habent *quod* nonnulli codd. et

et tua quæstura consignata sit, asportare[5] te velle ex Sicilia literas suspicantur. Deinde accusatorem firmum[6] verumque esse oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo, esse non posse. Nec ea dico, quæ, si dicam, tamen infirmare non possis : te, antequam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre; Potamonem, scribam et familiarem tuum, retentum esse[7] a Verre in provincia, quum tu decederes; M. Cæcilium, fratrem tuum, lectissimum atque ornatissimum[8] adolescentem, non modo non adesse, neque tecum tuas injurias persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissime atque amicissime vivere. Sunt hæc et alia in te falsi accusatoris signa permulta : quibus ego nunc non utor: hoc dico, te, si maxime[9] cupias, tamen verum accusatorem esse non posse. Video enim permulta esse crimina, quorum tibi societas cum Verre ejusmodi est, ut ea in accusando attingere non audeas.

X. Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus[1], quum frumentum sibi in cellam imperavisset, et quum

Servius ad Æn. II, 788. Nnn aliter Lambinus edidit. J. V. L.

5. *Asportare*. Auferre ut deleantur; ne tibi furturum Verris participi nocere possint.

6. *Firmum*. Qui neque gratia, neque ulla re ab officio dimuvetur. *Verum*. Qui nullum crimen sciens umittit.

7. *Retentum esse*. Nam anuu secundo Cæcilius de provincia decesserat.

8. *Ornatissimum*. Veram laudatinnem putant Ascon. Hotom. Ferrat. quippe quum Cicero ustendat, si ulla esset Verris in Cæcilium inimicitia, non mansurum illum cum Verre, sed fratris inimicitias persequuturum. Ironiam credit Manut. quod multum de hac laudatione detrahat cum perditissimo humine Verre fuisse.

9. *Si maxime*. Etiamsi sincere Verrem accusare velles, tamen in multis capitibus seu articulis eum persequi non posse.

X. 1. *Aratoribus*. Siculis nimirum, qui, pro modo agri quem colebant, quatuor frumenti genera populo romano ex fœdere pendebant; nempe *decumanum* gratuitum; *æstimatum* in prætoris *cellam*, i. e. ad ejus et familiæ usum; *emptum* lege Terentia; et *in alteras decumas* ex senatusconsulto. Pro his tribus frumenti generibus pecuniam accipiebant. Vide ad calcem Verr. III, De re frumentaria.

esset tritici modius H-S[2] II, pro frumento[3], in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, injuria non ferenda. Ego hoc uno crimine illum[4] condemnem necesse est : tu, Cæcili, quid facies? Utrum hoc tantum crimen prætermittes, an objicies? Si objicies, idne alteri crimini dabis, quod eodem tempore, in eadem provincia, tu ipse fecisti? audebis ita accusare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recusare non possis? Sin prætermittes, qualis erit ista tua accusatio, quæ, domestici periculi metu, certissimi et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam pertimescat? Emptum[5] est ex S. C. frumentum ab Siculis, prætore Verre : pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave est hoc crimen in Verrem : grave, me agente; te accusante, nullum. Eras enim tu quæstor : pecuniam publicam tu tractabas[6] : ex qua, etiamsi cuperet prætor, tamen, ne qua deductio[7] fieret, magna ex parte tua potestas erat. Hujus quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. Silebitur toto judicio de maximis et notissimis illius furtis et injuriis. Mihi crede, Cæcili, non potest in accusando socios vere defendere is, qui cum reo criminum societate conjunctus est. Mancipes[8] a civi-

2. Multæ edd. io his Victoriana, *H-S V*; cod. Franc. 1, *sestert. XI.* Recepit novam lect. Manotius; adhibit. Verr. III, 81. J. V. L. — Sensus est : Quum duobus sestertiis (41 centes. $\frac{1}{2}$) ab aratoribus venderetur tritici modios, frumenti loco Verres pecuniam sibi dari jussit, ita ut pro siogulis modiis duodeni sestertii (2 fr. 46 ceutes.) peoderentur.

3. Delevit Schütz *pro frumento*, de Ernestii sententia. J. V. L.

4. *Condemnem.* Efficiam ut a jodicibus condemoetur.

5. *Emptum.* Tenebantur Siculi vectigales pop. romano frumeoti quantum vellet, certo pretio vendere.

6. *Tractabus.* Ad qoæstores pertinebat ærarii et pecuoiæ ratio.

7. *Deductio.* Deminutio, quæ a Verre facta est diversis oominibus, ot in Verr. III videre est.

8. *Mancipes.* Sont publicanorum principes, qui certo pretio decumas a

tatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Quid? hoc Verre prætore factum est solum? non; sed etiam quæstore Cæcilio. Quid igitur? daturus es huic crimini, quod et potuisti prohibere, ne fieret, et debuisti? an totum id relinques? Ergo id omnino Verres in judicio suo non audiet, quod quum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat[9].

XI. Atque ego hæc, quæ in medio posita sunt, commemoro. Sunt alia magis occulta furta; quæ ille, ut istius, credo, animos atque impetus retardaret, cum quæstore suo benignissime communicavit[1]. Hæc tu scis ad me esse delata : quæ si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuisse conjunctam, sed ne prædam quidem adhuc esse divisam. Quapropter si tibi indicium[2] postulas dari, quod tecum una fecerit, concedo, si id lege permittitur; sin autem de accusatione dicimus, concedas oportet iis[3], qui nullo suo peccato impediuntur[4], quo minus alterius peccata demonstrare possint. Ac vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem. Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti,

prætore redimebant. De his et toto hoc crimine vide plura Verr. III.

9. *Non reperiebat.* Quia manifestum erat crimen, et pariter peccaverant prætor et mancipes.

XI. 1. *Communicavit.* Ironia est.

2. *Indicium. Index* dicitur is, qui facinus, cujus ipse est conscius, impunitate proposita, defert. Postulat *indicium* qui ultro se offert ad socios criminis deferendos. Non senatoria persona, inquit Asconius, potest indicium profiteri (unde falso, opinor, senatorem fuisse Cæcilium existimant Desjard. et Auger.), neque repetundarum causa per indices agi solet. Si postulas, inquit Tullius, potestatem tibi indicandi fieri, quod Verres te socium criminum habuerit, ut nimirum impunitatem consequare, hoc enim tibi restat unum; tunc accusare non potes. Notanda inde illa *indicii* et *accusationis* oppositio, quam non animadvertit Ernest.

3. *Iis.* Vitat arrogantiam, in multos transferens, quod de se ipse loquitur.

4. *Impediuntur.* Qui nulla criminis cum reo societate ac conscientia impediti, nullo modo prohibentur, etc. Tangit Cæcilium, qui peccati socius, accusare non potest.

Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, quum summam ipse haberet potestatem : tu contra ne quæ ille quidem fecit objicies, ne qua ex parte conjunctus cum eo reperiare.

Quid illa, Cæcili ? contemnendane tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, præsertim tanta [5], nullo modo potest? aliqua facultas agendi? aliqua dicendi consuetudo? aliqua in foro, judiciis, legibus aut ratio, aut exercitatio ? Intelligo, quam[6] scopuloso difficilique in loco verser : nam quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiæ multo molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio : neque est, quod possim dicere ; neque, si esset, dicerem : aut enim id mihi satis est, quod [7] est de me opinionis, quidquid est ; aut, si id parum est, ego majus [8] id commemorando facere non possum.

XII. De te, Cæcili (jam mehercule hoc [1], extra hanc contentionem certamenque nostrum, familiariter tecum loquar [2]), tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam ; et tu te collige ; et qui sis, et quid facere possis, considera. Putasne te posse de maximis acerbissimisque rebus [3], quum causam sociorum, fortunasque provinciæ, jus populi romani, gravitatem judicii legumque susceperis, tot res, tam graves, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio, sustinere? Putasne te posse, quæ C. Verres in quæstura, quæ in

5. *Tanta.* In qua maxima et acerbissima crimina sunt explicanda.

6. Cod. Franc. 1, «quam scopulosu, quam difficili loco». J. V. L.

7. *Quod est.* Ea qualiscumque de me est apud vos opinio.

8. *Majus.* Hominum opinione.

XII. 1. Rectius forte abest *hoc* apud Rufinian. de Figuris, cap. 10. J. V. L.

2. *Loquar.* De te quid sit judicandum, dicam tibi libere et amice, monendi potius quam contendendi causa, et sublata omni comparatione aut litigatione. Aliud irridendi genus, quo Cæcilium tamquam discipulum edocet.

3. *Rebus.* Subaud. *dicere.* Quum de accusatore constituendo ambigatur, qualis accusatio esse debeat, ostendit,

legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia[4], quæ in Achaia, Asia, Pamphyliaque patrarit[5], ea, quemadmodum locis temporibusque divisa sint; sic criminibus et oratione distinguere? Putasne posse, id quod in ejusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut, quæ ille libidinose, quæ nefarie, quæ crudeliter fecerit, ea æque acerba et indigna videantur esse iis, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt? Magna sunt ea, quæ dico, mihi crede[6]: noli hæc contemnere. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia; causa non solum exponenda, sed etiam graviter copioseque agenda est; perficiendum est, si quid agere aut perficere[7] vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studioseque audiant. In quo si te multum natura adjuvaret; si optimis a pueritia disciplinis atque artibus studuisses, et in his elaborasses; si literas[8] græcas Athenis, non Lilybæi, latinas Romæ, non in Sicilia, didicisses; tamen esset magnum, tantam causam, tam exspectatam, et diligentia consequi, et memoria complecti, et oratione exponere[9], et voce et viribus sustinere. Fortasse dices: Quid? ergo hæc in te sunt omnia? Utinam quidem essent! verumtamen ut esse possent, magno studio mihi a pueritia

ut proinde ac dicit, videatur acturus. Ascon.

4. *In Italia.* Quum esset prætor urbanus; ia enim ad usque centesimum lapidem jus dicebat.

5. In multis codd. *peccarit*, quod defendit Garat.

6. *Mihi crede.* Hæc tamquam imperitu dicit, quibus et auctoritas loquentis et contemptus ostenditur audientis, ut animadvertit Donat. ad Terentii Adelph. I, 11, 21.

7. *Proficere.* Ex cod. Cuj. Lamb.

8. *Literas.* Sermone utebantur Siculi, neque plane græco, neque plane latino, sed qui ex utroque esset mixtus; quod e Cicerone et Asconio intelligi potest. Hine Plaut. in Persa, « dabuntur dotis inde sexcenti tibi Logi, atque Attici omnes: nullum Siculum acceperis », et in Menechm. Prol. 12, fingit verbum *sicelissitare*, quod etiam abiit in proverbium in eos, qui Siculorum more, vitiose loquerentur.

9. Alii, *expromere*. J. V. L.

est elaboratum[10]. Quod si ego hæc, propter magnitudinem rerum ac difficultatem, assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare, quas non modo antea numquam cogitasti, sed ne nunc quidem, quum in eas ingrederis, quæ et quantæ sint, suspicari potes?

XIII. Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro judiciisque ita verser[1], ut ejusdem ætatis aut nemo, aut pauci, plures causas defenderint; et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam, quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim: tamen, ita deos mihi velim propitios, ut quum illius temporis[2] mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco[3]. Jam nunc mente et cogitatione prospicio, quæ tum studia hominum, qui concursus futuri sint; quantam exspectationem magnitudo judicii sit allatura; quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura[4]; quantam denique audientiam orationi meæ improbitas illius factura[5]. Quæ quum cogito, jam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici infensique sunt, et exspectatione omnium, et magnitudine rerum dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas,

10. *Elaboratum*. Quantum autem elaborarit, ostendit in libro de clar. Orat. extremo.

XIII. 1. Alii codd. *versor*. J. V. L.

2. *Temporis*. Sic MSS multi et Priscian. lib. XVII, p. 1202, ed. Putsch. *Illius diei* dedit Manutius ex Asconio, quem sequuti sunt Desjard. Sch. etc. Nempe quod in Epp, ad Att. II, 12, « dies nullus erat quo die, etc. » Cur in tanto grammaticorum MStorumque consensu quidquam mutemus non video. Ceterum in illis verbis abest verbum *recordatio*.

3. *Perhorresco*. De hoc Ciceronis metu vid. Cluent. 18; de Orat. I, 26. Plut. Cic. vit. Quintil. XII, 5.

4. *Concitura* legendum existimabat Gronovius pater ad Liv. XXXVIII, 33. Quamvis Tullianum esse *concitatura* fateretur.

5. *Factura sit* in ed. Ven.

nihil laboras; et si quid ex vetere[6] aliqua oratione, JOVEM EGO OPTIMUM MAXIMUM, aut, VELLEM, SI FIERI POTUISSET, JUDICES, aut aliquid ejusmodi ediscere potueris, præclare te paratum in judicium venturum arbitraris.

Ac, si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo, et ad dicendum paratissimo, futurum esse certamen; quicum modo disserendum[7], modo omni ratione pugnandum certandumque sit. Cujus ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam; ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse.

XIV. Numquam ille me opprimet[1] consilio; numquam ullo artificio pervertet; numquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur[2]: novi omnes hominis petitiones rationesque dicendi; sæpe in iisdem, sæpe in contrariis causis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum[3] etiam de suo ingenio judicium fieri arbitretur. Te vero, Cæcili, quemadmodum sit elusurus, quam

6. *Ex vetere.* Quales Catonis Censorii orationes, qui solebat in omnibus procemiis deorum mentionem facere. Cf. Serv. ad Æn. VII, 259. Festive Cæcilium irridet, quem causidicorum imperitorum more, translatitio exordio usurum esse ait, et exorsurum vel ab alicujus numinis invocatione, vel a superiorum temporum reprehensione.

7. *Disserendum. Disserere* est argumentari, rem subtiliter explicare. *Pugnare* est vim et copiam orationis exerere.

XIV. 1. *Opprimet.* Numquam me solertia sua impugnabit. Nota hoc in capite allegoriam a gladiatoribus translatam.

2. *Conabitur.* Non me eloquentiæ viribus obruere tentabit, quod tecum faceret.

3. *Nonnullum.* Ut me de illius ingenio judicare posse sentiat. Non tanta dicet confidentia, ut putet sibi cum homine imperito, et qui de illius ingenio judicare non possit, esse negotium. Sic Desjard. Interpretatur vero Manut. ut de suo ingenio judicaturum populum arbitretur; ut certamen metuat cujus erit judex populus. Prior sensus mihi magis cum antecedd. et seqq. verbis congruere videtur.

omni ratione jactaturus, videre jam videor; quoties ille tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis; factum esse, necne; verum esse, an falsum; utrum dixeris[4], id contra te futurum. Qui tibi æstus, qui error[5], quæ tenebræ, dii immortales! erunt, homini minime malo? Quid? quum accusationis tuæ membra dividere[6] cœperit, et in digitis suis singulas partes causæ constituere? quid? quum unumquodque transigere[7], expedire, absolvere? ipse profecto metuere incipies[8], ne innocenti periculum facesseris. Quid? quum commiserari, conqueri, et ex illius invidia deonerare aliquid, et in te trajicere cœperit? commemorare quæstoris cum prætore necessitudinem constitutam? morem majorum[9]? sortis religionem[10]? poterisne ejus orationis subire invidiam? Vide modo; etiam atque etiam considera: mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te obruat, sed gestu ipso ac motu corporis præstringat[11] aciem ingenii tui, teque ab institutis tuis cogitationibusque abducat. Atque hujusce rei judicium jam continuo

4. *Utrum dixeris*. Sive factum affirmaveris, sive oegaveris.

5. Cod. Franc. 1, *qui furor*. Sed *error* magis convenit *homini minime malo*. J. V. L. — Significat h. l. gall. *étourdissement;* qood convenit sicut et tenebræ, iis quorum plaga aliqoa gravi capot est afflictom; aut qui metu subito sunt perculsi. Vid. Ovid. Met. 11, 181.

6. *Dividere*. Ita insequitor Cæcilium, ut irrideat etiam Hortensium, ut sæpe alias. Vid. pro Quint. c. 10. Brut. c. 88.

7. *Transigere*. Qoæ manifesta sunt, extra controversiam ponere. — *Expedire*. Ambigua defioitionibus explicare. — *Absolvere*. Explicata colligere et couclodere.

8. *Metuere incipies*. Mira patroni imperiti deseriptio, cui persuaderi possit, vera esse ea omoia quæ adversarios affert.

9. Grooovio placet, « constitotam more majorum? » Noo ita Garatonio. J. V. L.

10. *Religionem*. Religionis vincula qoæ te cum prætore, qoi tibi sorte in eadem provincia regenda obtigit, coostringuot. *Sors* sæpe idem est ac provincia, quia plerumqoe solebant provincias sortiri. Vide inf. cap. 19, n. 4.

11. *Præstringat*. Obteoebret. Frustra Lamb. corr. *præstinguat*.

video futurum. Si enim mihi hodie respondere ad hæc, quæ dico, potueris; si ab isto libro, quem tibi magister ludi [12], nescio qui, ex alienis orationibus compositum dedit, verbo uno discesseris; posse te et illi quoque judicio non deesse, et causæ atque officio tuo satisfacere arbitrabor: sin mecum, in hac prolusione, nihil fueris; quem te in ipsa pugna, cum acerrimo adversario, fore putemus?

XV. Esto: ipse nihil est, nihil potest; at venit paratus cum subscriptoribus [1] exercitatis et disertis. Est tamen hoc aliquid: tametsi non est satis. Omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus et paratissimus esse debet. Verumtamen L. Apuleium esse video proximum [2] subscriptorem, hominem non ætate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. Deinde, ut opinor, habet Allienum, hunc tamen a subselliis [3]: qui, quid in dicendo posset, numquam satis attendi; in clamando quidem video eum esse bene robustum atque exercitatum. In hoc spes tuæ sunt omnes; hic, si tu eris actor constitutus, totum judi-

12. *Magister ludi.* Is qui præest ludo literario seu scholæ. *Ludus* frequentissime accipitur pro ipso loco, in quo aut vires corporis, aut ingenii acumen exercetur. Hinc ludus literarius, ludus gladiatorius.

XV. 1. *Subscriptoribus.* Ii scilicet erant qui secundas, tertias criminis accusandi partes agebant; sic dicti, quod nomen suum accusatoris nomini apud prætorem subscribebant. Itaque quasi secundi in agenda causa erant, qui hoc ipso testabantur se accusatorem primarium et probare et tueri. Sæpius autem *custodes* ex lege apponebantur, qui, qua ratione instrueretur accusatio, observarent. Illi non solum adjuvandi, sed etiam custodiendi accusatoris causa erant lege adhibiti, ne corruptus ille prævaricaretur. Vid. inf. cap. 16, et pro Cluent. cap. 70.

2. *Proximum.* Qui primus post Cæcilium accusatorem, surget ad dicendum.

3. *A subselliis*, i. e. saltem in judiciis exercitatum, qui subsellia forensia diu trivit. Quo in loco errat Asconius. Totius loci sensus est: Quis accusabit? Q. Cæcilius. At numquam in causis est versatus. L. Apuleius? At, quamvis senex, in usu forensi novitius est. Allienus igitur? Tandem unum aliquem nominastis, qui in judiciis sit versatus; sed tamen ita versatus, ut *clamator* potius quam *declamator*, dici possit.

cium sustinebit. At[4] ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest: sed consulet laudi et existimationi tuæ; et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse videare. Ut in actoribus Græcis[5] fieri videmus; sæpe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum[6], multum summittere[7], ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus; tibi serviet, tibi lenocinabitur; minus aliquanto contendet, quam potest. Jam hoc considerate, cujusmodi accusatores in tanto judicio simus habituri: quum et ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit; et Cæcilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minus vehemens fuerit, et sibi primas in dicendo partes concesserit. Quartum[8] quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum[9], qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque[10] vos delationem dedissetis. Ex quibus alie-

4. *Ac ne.* Ald. Oliv. Lallem. Ox.

5. *Græcis.* Valkenarius in diatr. in Eurip. Fragm. p. 182, legi vult *tragicis.* Vulgatum enim *Græcis* nihil facere ad rem. Sed refragantur et MSS et edd. omnes, et ipse Cicero, qui pro Flacc. cap. 27 memorat in comœdiis græcis servos primarum partium. Hoc autem loco de histrionibus loquitur qui fabulas agunt palliatas, i. e. quarum argumentum græcum est; quales Plauti Terentiique fabulæ.

6. *Ipse primarum.* Quam ille ipse qui primas partes agit.

7. *Summittere.* Subaud. *vocem aut gestum.*

8. *Quartum.* Mendosum locum suspicatur Desjard. quod duos tantum nominavit orator, L. Apuleium et Allienum: neque ei placet quod ait Asconius: quartum scilicet istum esse ab accusatore. Dici autem simplicius potest ductam esse ab histrionibus, ut supra, metaphoram: Cæcilio secundas partes agere Apuleium; tertias Allienum; nunc ergo de quartis agi. Sic nos genuina locutione dicimus: *prendre pour second, pour troisième*, etc.

9. *Moratorum.* Obturbatores, sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur, et se denuo compararent ad dicendum. Sic optime Asconius. Olim legebatur *oratorum.* Pessimo mendo.

10. *Cuicumque.* Sive mihi, sive Cæcilio.

nissimis[11] hominibus, ita paratus venis, ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea, quæ dixerint, certo loco, aut singulatim unicuique respondeam : sic breviter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi, quasi præteriens satisfaciam universis.

XVI. Tantane vobis inopia videor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos a columna Mænia[1], vestri ordinis reos, reperiatis? Custodem[2], inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas[3] admisero? qui non solum, ne quid enunties, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto sic vobis bre-

11. *Alienissimis.* A tribunali et a foro. Qui nihilo magis sunt in causis versati, quam hospes et peregrinus, qui forum numquam viderit. Ita imparatus venis, inquit Tullius, ut nullum subscriptorem habeas ex iis patronis, qui solent in tribunalibus causas agere, sed qui hospites in iis sunt, quippe qui imi subsellii homines. Sic Ascon. et Græv. Manutius autem putat *alienissimos* opponi amicis ex quibus subscriptores delectorum se ait Cicero, non vero de populo quemvis recepturum, quod utique facturus erat Cæcilius. Ex his alienissimis, inquit, hominem aliquem ad intimam domum admittes, ut hospitem; amicum et familiarem de alienissimo repente habebis; tam bene paratus venis. Sic simplicius Manut. et Garat. atque, ut puto, verius.

XVI. 1. *Columna Mænia.* Mænius quum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus (A. U. C. 569), ut ibi basilica ædificaretur, exceperat sibi jus unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus, spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ad hanc autem columnam triumviri capitales infimorum hominum, ut furum, et servorum nequam, crimina cognoscebant, sumique de damnatis supplicium jubebant. Vide Horat. Epod. 4, 11.

2. *Custodem.* Hic unum ex istis causidicis loquentem inducit, et petentem ut Ciceroni subscriptor ac custos apponatur. Male hæc ad Cæcilium refert Ferratius, quum paullo post, ejecto illo et infamia notato moratorum grege, ad Cæcilium se redire declaret.

3. *Capsas.* In quibus literas et testimonia ex Sicilia deportata, recondita habebo, si ad me accusatio defertur.

vissime respondebo : non esse hos tales viros[4] commissuros, ut ad causam tantam, a me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor, me invito, adspirare possit. Etenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat.

Verum, ut ad te, Cæcili, redeam, quam multa te deficiant, vides : quam multa sint in te, quæ reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profecto jam intelligis. Quid ad hæc dici potest? non enim quæro, quid tu dicturus sis : video mihi non te, sed hunc librum[5] esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet; qui, si te recte monere volet, suadebit tibi, ut hinc discedas, neque mihi verbum ullum respondeas. Quid enim dices? an id, quod dictitas, injuriam tibi fecisse Verrem? Arbitror : neque enim esset verisimile, quum omnibus Siculis faceret injurias, te[6] illi unum eximium, cui consuleret, fuisse. Sed ceteri Siculi ultorem suarum injuriarum invenerunt : tu, dum tuas injurias per te, id quod non potes, persequi conaris, id agis, ut ceterorum quoque injuriæ sint impunitæ atque inultæ : et hoc te præterit, non id solum spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit ulcisci; in quo utrumque sit, eum superiorem esse[7]; in quo alterum[8], in eo non, quid is velit, sed quid facere possit, quæri solere. Quod si[9] ei po-

4. *Tales viros.* Judices nostræ contentionis. Scilicet patroni subscriptores offerebant, a judicibus plerumque admissos; sed invito patrono numquam subscriptores dabantur, nisi custodiæ causa, quum de ejus fide esset suspicio.

5. *Hunc librum.* Vid. sup. cap. 14 : « si ab isto libro, quem, etc. »

6. *Te illi.* Te, qui Siculus eras, ita ei visum eximium ut tibi parceret : non eodem te loco habuisse, quo reliquos omnes Siculos, te solum excepisse.

7. *Superiorem esse.* Præferri oportere.

8. *Alterum.* Secundum.

9. *Quod si.* Argumentum ipsum in Q. Cæcilium retorquet : dicis ad injuria affectos accusationem pertinere.

tissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui maximam C. Verres injuriam fecerit; utrum tandem censes hoc judices gravius ferre oportere, te ab illo esse læsum; an provinciam Siciliam esse vexatam ac perditam? Opinor, concedis, multo hoc et esse gravius, et ab omnibus ferri gravius [10] oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accusando provincia : nam provincia accusat, quum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui juris, ultorem injuriarum, actorem causæ totius adoptavit.

XVII. At eam [1] tibi C. Verres fecit injuriam, quæ ceterorum quoque animos posset alieno [2] incommodo commovere. Minime : nam id quoque ad rem pertinere [3] arbitror, qualis injuria dicatur; quæ causa inimicitiarum proferatur. Cognoscite ex me : nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam proferet. Agonis est quædam, Lilybætana, liberta [4] Veneris Erycinæ : quæ mulier, ante hunc quæstorem, copiosa

Provincia autem maximis est afflictata injuriis; est igitur præponenda.

10. *Ferri gravius*. Graviores et atrociores existimari injurias.

XVII. 1. *At eam*. At dicis, Cæcili, non esse privatam injuriam, qua a Verre affectus sis, sed publicam et ad omnes pertinentem, quod magistratui populi rom. sit facta.

2. *Alieno incommodo*. Ob alienam calamitatem.

3. *Pertinere*. Subaud. *ut vos cognoscatis*.

4. *Liberta Veneris*. Quum præcipuum aliquod numen civitas quæque coleret, Siculi peculiarem cultum Veneri tribuebant, cujus pulcherrimum templum in Erycini montis vertice totius provinciæ frequentia colebatur. Porro diis multi se suosque liberos mancipabant, et inde fanorum servi (græce ἱερόδουλοι), aut etiam addito numinis cognomento dicebantur; ut a Venere *Venerei;* at in Italia, Martis erant publici quidam ministri, *Larini Martiales* nomine. Vid. pro Cluent. 15. Ita non erant servi conditione, sed liberi homines, qui aut ipsi se suaque servituti alicujus numinis addixerant, religionis causa, aut hanc servitutem a parentibus acceperant, aut ab iis quorum fuerant heredes. Hi quum sumptum præstarent ad sacrorum functionem, non leve sustinebant onus. Quod quum pecunia redemissent, dicebantur *liberti* et *libertæ* illius dei, cujus fuerant servi. Sic in inscriptionibus commemoratur « libertus virginum Vestalium C. Sextilius », et « libertus numinis Æsculapii Hermes,

plane et locuples fuit. Ab hac præfectus Antonii[5] quidam symphoniacos servos abducebat per injuriam, quibus se in classe uti velle[6] dicebat. Tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Venereorum, et eorum, qui a Venere se liberaverunt, ut præfecto illi religionem Veneris nomenque objiceret, dixit et se et omnia sua Veneris esse. Ubi hoc quæstori Cæcilio[7], viro optimo et homini æquissimo, nuntiatum est; vocari ad se Agonidem jubet: judicium dat[8] statim, si pareret[9], eam, se et sua Veneris esse, dixisse: judicant recuperatores[10] id, quod necesse erat; neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. Iste in possessionem bonorum mulieris mittit; ipsam Veneri in servitutem adjudicat; deinde bona vendit; pecuniam redigit. Ita, dum pauca mancipia, Veneris nomine, Agonis, ac religione, retinere vult, fortunas omnes libertatemque suam istius injuria perdidit. Lilybæum Verres venit postea; rem

etc. » Horum non absimiles fuere qui « monasteriis et ecclesiis ita sese offerebant, donabant, ac mancipabant, ut ipsi pro servis Ecclesiæ deinceps haberentur ». Vide *Du Cange* Glossar. III, pag. 1287; IV, pag. 299 et 1282 sqq. ac Lipsium in Lovan. II, 4. Jam vero non sine ritualibus cærimoniis fano consecrabantur hieroduli; neque enim fas fuisset ut quivis ad arbitrium religioni se obtruderet; et ut perpetuum devotionis signum præ se ferrent, numini suo per notas inustas consecrabantur. Vide Lucian. de dea Syria. Philon. de Monar. Spanheim. de Numism. Dissert. III.

5. *Antonii.* Antonius M. Antonii oratoris filius, triumviri pater, « homo perdundæ pecuniæ genitus », inquit Sallust. Hist. III, 15. Curationem nactus anno 679 tuendæ totius oræ maritimæ, Siciliam et provincias ipse ac per comites late depopulatus est. Vid. Verr. II, 3.

6. *Uti velle.* Ut vel modulis et cantibus remiges excitarent; vel ut pugnantibus classicum canerent.

7. Anton. Augustinus, teste Ursino, maluit, « Ubi hoc Q. Cæcilio ». J. V. L.

8. *Judicium dat.* Judices constituit certa verborum formula, si paret, etc. Notabis quæstorem non potuisse dare judicium in provincia, nisi prætor hanc ei potestatem fecisset.

9. Falso olim, *si pateret*. Correxerunt Lambin. et Manutius. J. V. L. — Post formulam h. l. subintelligitur *condemnato*.

10. *Recuperatores.* Gall. *des commissaires*. A recuperando dictos apparet, quod per eos suum jus privati

cognoscit; factum improbat; cogit quæstorem suum, pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem annumerare et reddere. Est adhuc, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mucius[11]. Quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? æquius ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad quæstoris libidinem coercendam? Summe hæc omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente e vestigio, ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo[12], factus est Verres; redit ad se atque ad mores suos: nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit[13]; mulieri reddidit quantulum visum est.

XVIII. Hic tu, si læsum[1] te a Verre esse dices; patiar et concedam: si injuriam tibi factam quereris; defendam et negabo. Deinde de injuria, quæ tibi facta sit[2], neminem nostrum graviorem vindicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam redisti; si domi illius aliquoties fuisti[3]; si ille apud te postea cœnavit, utrum te perfidiosum[4], an prævaricatorem existimari mavis? Video esse ne-

homines *recuperarent*. In privatis autem judiciis, arbitratu prætoris aut judex dabatur unus, qui de facto cognosceret; aut recuperatores tres.

11. *Q. Mucius*. Alter Q. Mucius Scævola, qui Asiam ita abstinenter administravit, ut virtutis ac modestiæ exemplum proponeretur.

12. *Circæo poculo*. Nota fabula Circes, quæ medicatis potionibus Ulyssis socios in sues mutavit. Odyss. X. Ludit in ambiguum *Verris* nomen, qui et suem non exsectum, et hominem significat. Rufinianus legit « tamquam epoto Circæo », quod recepit Schütz addito *poculo*.

13. Lambin. Fr. Fabrit. mallent *averrit*, propter agnominationem. Gruter. *verrit*.

XVIII. 1. *Si læsum*. Si tibi damnum et incommodum allatum dicis a Verre; concedam: sed si injuste ab eo actum dicis, negabo.

2. *Facta sit*. Quam factam esse dicit.

3. Vulgo abest *fuisti*. J. V. L.

4. *Perfidiosum*. Si eum vehementer accusas, eum quo redisti in gratiam; *prævaricatorem*, si, quia amicus est, remisse et leniter eum persequeris. Illud ad C. Verrem, hoc ad Siculos refertur.

cesse alterutrum : sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus, utrum velis, eligas. Quid, si [5] ne injuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta sit, causa remanet? quid habes, quod possis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponare? nisi forte illud, quod dicturum te esse audio, quæstorem illius fuisse. Quæ causa gravis esset, si certares mecum, uter nostrum illi amicior esse deberet : in contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendum periculum justam videri oportere. Etenim, si plurimas a tuo prætore injurias accepisses; tamen eas ferendo, majorem laudem, quam ulciscendo, mererere : quum vero nullum illius in vita rectius factum sit, quam id, quod tu injuriam appellas; hi statuent, hanc causam, quam ne in alio quidem probarent, in te justam ad necessitudinem violandam videri? qui, si summam injuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quæstor ejus fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare; si vero nulla tibi facta est injuria, sine scelere eum accusare non potes. Quare quum incertum sit de injuria, quemquam esse horum putas, qui non malit, te sine vituperatione[6], quam cum scelere discedere?

XIX. Ac vide [1], quid differat inter meam opinionem ac tuam. Tu, quum omnibus rebus inferior sis, hac una in re te [2] mihi anteferri putas oportere, quod quæ-

5. *Quid si.* Quid erit, si ista pecunia tibi adempta, postea a Verre tibi reddita est. Quod si Verres eam pecuniam ad te rursus transtulit, injuriæ causa non remanet. Satis habet orator judices conjicere de pecunia Cæcilio data, aut non data.

6. *Sine vituperatione.* Si non accusas prætorem tuum, vituperatio nulla est; si accusas, quum ejus in te injuria sit incerta, homines scelus a te committi arbitrabuntur.

XIX. 1. Vulg. *At vide.* Sed quæ sequuntur non opponuntur antecedentibus. Meliorem ergo lectionem, jam a Lambino præsumptam, dedit Lall. e MSS regiis, et post eum Beck.

2. *Te* e codd. restituit Græv.

stor illius fueris : ego , si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere. Sic enim a majoribus[3] nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere; nullam neque justiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam conjunctionem sortis[4], quam provinciæ, quam officii, quam publicam[5] muneris societatem. Quamobrem si jure eum posses[6] accusare, tamen, quum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses[7]: quum vero neque injuriam acceperis, et prætori tuo periculum crees; fatearis necesse est, te illi injustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista quæstura[8] ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, qui quæstor ejus fueris[9], accuses; non, ut ob eam ipsam causam postulandum sit, ut tibi potissimum accusatio detur. Neque fere umquam

3. *A majoribus*. Sic ep. ad M. Brutum 13, « Quum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putavi; satis enim commendatum eum arbitrabar ab ipso more majorum; qui, ut te non fugit, hanc quæsturæ conjunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse ».

4. *Conjunctionem sortis*. Quum enim consules et prætores provincias et ex S. C. quæstores sortirentur; divinitus eam muneris officiique publici societatem accidisse putabant. Inde supra « religionem sortis » dicit Cicero. Ut autem observavit Gronov. ad Tacit. Annal. III, 32, *sors* sæpius est provincia sorte alicui assignata. Sed h. l. malim illi divinæ cujusdam sortis sensum attribuere, quum postea de provinciæ societate loquatur Cicero.

5. *Publicam*. Hotom. et Lambin. mallent *publici*. Temere. Publica enim societas, ea est quæ publice, i. e. ex sententia et voluntate senatus ac populi rom. est inita. Erant autem et societates privatæ, quæ non publico nomine coierant, ut in orat. pro Quint. vidimus.

6. Alii, *possis*. J. V. L.

7. *Non posses*. Sic pro Cluentio, « Facile intelligo non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportere ».

8. *Ista quæstura*. Propter istud quæstoris nomen tibi reddenda ratio est, cur eum accusare audeas, cujus fuisti quæstor; nedum titulus ille te in tua postulatione adjuvare possit.

9. Ascon. habet « eum cui quæstor fueris ». Receperunt Hotom. et Lamb. Probat Schütz.

venit in contentionem de accusando, qui quæstor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni [10] in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio [11] in T. Albucium : quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed ne libido violandæ necessitudinis auctoritate judicum comprobaretur. Atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Julio [12] contendit, ut tu mecum. Quæstor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus, ad causam accesserat. Semper hæc causa plurimum valuit; semper hæc ratio accusandi fuit honestissima, pro sociis, pro salute provinciæ, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere.

XX. Etenim si probabilis est eorum causa, qui injurias suas persequi volunt; qua in re dolori suo, non reipublicæ commodis serviunt; quanto illa causa honestior, quæ non solum probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nulla privatim accepta injuria, sociorum atque amicorum populi romani dolore atque injuriis commoveri? Nuper quum in P. Gabinium [1] vir fortissimus et innocentissimus, L. Piso delationem nominis postularet, et contra Q. Cæcilius [2] peteret,

10. *L. Philoni.* Omnia exempla sunt quæstorum, quibus suos prætores accusare non est permissum. Vid. Ind. Histor.

11. *Cn. Pompeio.* Straboni. Pompeii Magni pater fuit.

12. *C. Julio.* Cæsare oratore, qui lepore et facetiis excelluit. Alius fuit ac dictator. Vid. de Orat. II, 58, et maxime de Offic. II, 14, ubi de hac re disputatur. Qua morte fuerit sublatus narratur de Orat. III, 3.

XX. 1. *P. Gabin.* Prætor fuit anno 665. Inde Achaia fœde administrata, ab Achæis repetundarum est postulatus.

2. *Q. Cæcilius.* Metellus, Numidicus.

isque se veteres inimicitias jam diu susceptas persequi diceret : quum auctoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat causa justissima, quod eum sibi Achæi patronum adoptarant. Etenim quum lex ipsa de pecuniis repetundis sociorum atque amicorum populi romani patrona[3] sit; iniquum est, non eum legis judiciique actorem[4] idoneum maxime putari, quem actorem causæ suæ socii, defensoremque fortunarum suarum potissimum esse voluerunt. An, quod ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo videri debet æquius? Utra igitur est splendidior, utra illustrior commemoratio : « Accusavi eum, « cui[5] quæstor fueram, quicum me sors, consuetu- « doque majorum, quicum me deorum[6] hominumque « judicium conjunxerat; » an « Accusavi rogatu socio- « rum atque amicorum; delectus sum ab universa « provincia, qui ejus jura fortunasque defenderem? » Dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum causa, apud quos quæstor fueris, quam eum, cujus quæstor fueris, accusare? Clarissimi viri nostræ civitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi romani ditionemque essent[7], injurias propulsare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem[8] illum sa-

3. Vulgo *causa parata sit*. Ernest. *patrona* e cod. Guelf. restituit, collat. etiam Orat. II, 48. J. V. L.

4. *Actorem*. Qui susceptam legis et judicii causam defendit.

5. In MS Ursin. *cuicum*; unde alii *quicum*, ut paullo infra.

6. *Deorum*. Qui sorti præsunt. — *Hominum*. Populi romani, qui provincias decernit.

7. Cod. Ursin. *venissent*. Rectius forte Gœrens. ad Cic. Academ. II, 4, conj. *issent*. J. V. L. — Non semel tamen occurrit apud veteres *in* cum accusativo, quamvis quietem significet. Vid. Sanct. Minerv. Sciopp. Parad. Voss. Aristarch. de Construct. 65.

8. *M. Catonem*. Ille Serg. Galbam et P. Furium Lusitanorum nomine accusavit. Celeberrimus est ejus consulatus, bellum Hispanicum, et triumphus. Consul Hispaniam sortitus est,

pientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, injurias. Nuper[9] Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse propter unius hominis, Egritomari, paterni amici atque hospitis, injurias.

XXI. Neque[1] enim magis animos hominum nocentium res umquam ulla commovit, quam hæc majorum consuetudo[2], longo intervallo repetita ac relata: sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum; susceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiaque sua posse defendere. Hoc timent homines[3]; hoc laborant; hoc institui, atque adeo institutum referri ac renovari, moleste ferunt: putant fore, uti, si paullatim hæc consuetudo serpere ac prodire cœperit, per homines honestissimos virosque fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores, leges judiciaque administrentur. Cujus consuetudinis atque instituti patres majoresque nostros non pœnitebat tum, quum P. Lentulus[4] is,

quum consulari et duce et exercitu opus esset, ut ait Liv. XXXIII, 43. Hinc Cicero « apud quos consul fuerat », nempe in consulatu.

9. *Nuper*. Anno 649, C. Mario, C. Fimbria coss. triginta et quatuor annis ante hanc orationem habitam, Cn. Domitius tribunus plebis, M. Silano, qui quinquennio ante consul fuerat, pro Transalpino hospite Egritomaro, diem dixit.—Olim legebatur *Decimo Silano*. Correxit Hotom. ex Verrinæ II, 47 codice, in qua factum idem narratur.

XXI. 1. Abundat conjectura Hotomanni, *Neque vero*. J. V. L.

2. *Consuetudo*... *querimoniæ*. I. e. mos ille, quo querimoniæ deferuntur ad, etc. — *Non inertissimum*. Moderatius laudare se non potuit; quamquam locutio negativa majorem quam affirmativa significationem sæpius habeat.

3. *Homines*. Scil. nocentes illi, de repetundis accusati. Lamb. ait fuisse qui vocem *homines* ex adnotatione natam putarent. Falso.

4. *P. Lentulus*. Avus ejus Lentuli, qui conjuravit cum Catilina. — *Princeps senatus* erat is, quem censores, in recitando, senatorem primum legissent. Primus ille sententiam rogatus dicebat. Qui maximus honor habebatur, sed nullo imperio, nec potestate. Sic princeps equestris ordinis, quem in recitandis equitum centuriis, primum appellassent.

qui princeps senatus fuit, accusabat M'.[5] Aquillium, subscriptore C. Rutilio Rufo; aut quum P.[6] Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in judicium vocabat. Jure tum florebat populi romani nomen; jure auctoritas hujus imperii, civitatisque majestas, gravis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine parvis opibus ac facultatibus prædito, simulant[7] sese mirari, quum moleste ferant. Quid sibi[8] iste vult? accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat; nunc præsertim, ea jam ætate[9], quum ædilitatem petat? Ego vero ætatis non modo meæ, sed multo etiam superioris, et honoris amplissimi[10] puto esse, et accusare improbos, et miseros calamitososque defendere. Et profecto[11] aut hoc remedium est ægrotæ ac prope

5. *M'. Aquillium.* Repetundarum reum, patrem ejus quem M. Antonius orator defendit; de quo vid. Verr. V, 13; de Orat. II, 47. M'. Aquillius pater consul fuit an. 624: quo anno P. Africanus minor exstinctus est.

6. *P. Africanus.* Minor, Paulli Æmilii filius, repetundarum L. Cottam privatus accusavit; qui absolutus est, ne tanti adversarii potentia oppressus fuisse videretur. Pro Mur. cap. 28, Brut. cap. 21, Tacit. Ann. III, 66, et Valer. Maxim. VIII, 1, 11. Porro Cotta ille significatur, qui adeptus est consulatum triennio post Scipionis mortem, et causam illam repetundarum dixit, prætorius, non consularis, ut plerique, non servata temporis ratione, existimarunt. FERR.

7. *Simulant.* Non mirantur, sed ideo mirari se simulant, quia moleste ferunt: cur autem quod Africano, summo viro, licuit, id mihi non liceat, homini parvis opibus ac facultatibus prædito?

8. *Quid sibi.* Adversarios loquentes inducit.

9. *Ea jam ætate.* Hoc dicitur, non quia ætate admodum grandi tunc fuerit Tullius, annos tantum natus 37; sed quia non, nisi in adolescentia, solebant accusare; quam adolescentiam Cicero in defendendis amicis transegerat.

10. *Honoris amplissimi.* Consulatus. Objecerant adversarii non recte ad accusationem descendere Ciceronem; præsertim quum ædilitatem petat. Respondet, non ædilis solum esse, sed et consulis, accusare improbos.

11. *Et profecto.* Postquam præclarissima temporum veterum laudatione, nomen suum cum maximis viris, qui accusare non detrectarunt, veluti consociavit, illud etiam ad reip. salutem pertinere demonstrat.

desperatæ reipublicæ, judiciisque corruptis[12] ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine, homines ad legum defensionem, judiciorumque auctoritatem, quam honestissimos[13] et integerrimos diligentissimosque accedere; aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla umquam medicina his tot incommodis reperietur. Nulla salus reipublicæ major est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. Itaque semper ii diligentissime laboriosissimeque accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt.

XXII. Quamobrem hoc statuere, judices, debetis, Q. Cæcilium, de quo nulla umquam opinio[1] fuerit, nullaque in hoc ipso judicio exspectatio futura sit; qui neque, ut ante collectam[2] famam conservet, neque uti reliqui temporis spem[3] confirmet, laborat; non nimis[4] hanc causam severe, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum: habet enim nihil, quod in offensione[5] deperdat; ut turpissime[6] flagitiosissimeque discedat, nihil de suis veteribus ornamentis requiret. A nobis multos obsides[7] habet populus romanus, quos ut incolumes conservare, tueri, con-

12. *Corruptis.* Propter eos qui acceperunt pecuniam; *contaminatis*, propter judicum iofamiam quos *maculosos senatores* appellat Cic. ad Att. I, 13.

13. *Honestissimos.* Ad persooam refertur, et ad excludeodum Cæcilium valet.

XXII. 1. *Opinio fuerit.* Quem oemo umquam in patronorum numero habuerit.

2. *Collectam.* Quam nollam collegit.

3. *Spem.* Quæ de eo nolla est.

4. *Non nimis.* Parum, minus quam oporteat.

5. *In offensione.* Si quid peccaverit, si ab officii soi religione declinaverit, nihil est illi, quod perdat.

6. *Ut turpissime.* Etiamsi infamia et perfidiæ crimine ootatus, ex illa causa discederet, ooo tamen pristinos honores (quos nomquam habuit), posset amittere.

7. *Obsides.* Multa Cicero apud populum pignora deposoit. Nempe et existimationem a se collectam, et

firmare ac recuperare possimus, omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus; habet spem, quam propositam nobis habemus; habet existimationem, multo sudore, labore, vigiliisque collectam: ut, si in hac causa nostrum officium ac diligentiam probaverimus, hæc, quæ dixi, retinere per[8] populum romanum incolumia ac salva possimus; si tantulum offensum titubatumque sit, ut ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus. Quapropter, judices, vestrum est deligere, quem existimetis facillime posse magnitudinem causæ ac judicii sustinere fide, diligentia, consilio, auctoritate. Vos si mihi Q. Cæcilium anteposueritis, ego me dignitate[9] superatum non arbitrabor: populus romanus ne, tam honestam, tam severam, diligentemque accusationem neque vobis placuisse, neque ordini[10] vestro placere, arbitretur, providete[11].

magistratus, vel quos jam adeptus est, vel quos exspectat; ut mox dicturus est.

8. *Per populum.* Cujus suffragiis magistratus dabantur.

9. *Dignitate.* Non mihi prælatum a vobis fuisse Cæcilium, propter meritum, existimabo; non putabo vos id fecisse, quod Cæcilium digniorem qui accuset existimetis; vos vero timete, ne populus rom. tam honestam, pro sociis scilicet, contra eorum prædonem, tam severam, quam mea futura est, accusationem, neque vobis, ut a Verre corruptis, neque ordini vestro, seu senatorio, quia Verri favet, placere existimet.

10. *Ordini vestro.* In eamdem suspicionem, si sibi Cæcilius præferatur, senatum universum adducit, male jam judiciorum nomine audientem.

11. *Providete.* Vestra causa, non mea. Non sine aculeo hoc verbo orationem claudit, et demonstrat eorum multo pluris quam sua referre se ab eis ad accusandum deligi, nisi forte in populi rom. offensionem omnino venire velint.

EXCURSUS

DE PROVINCIIS.

Quum lege vetustissima annui essent Romæ magistratus, annua quoque provinciarum administratio erat, quæ a solis magistratibus regi poterant; idque satis manifestum est ex omnibus historiis. Verum bellis undique urgentibus, cœpti sunt consules, et prætores in provinciis retineri post elapsum annum sui magistratus, et, prorogato imperio, illi proconsules, hi proprætores fere dicebantur. Quod quum esset extra ordinem, præter senatus decretum, populi etiam rogatio necessaria erat, ut cuipiam prorogaretur imperium in provincia, teste Dione lib. XXXVI, et Asconio ad orationem pro C. Cornelio: qui dicunt, antiqua consuetudine receptum fuisse, ut ex S. C. populus solveret legibus, hoc est, aliquid permitteret contra legum præscripta. Idem etiam constat ex Livio pluribus locis, ut lib. VIII: « Actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut quum P. Philo consulatu abiisset, proconsul rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset ». Et lib. X: « L. Volumnio ex S. C. et scito plebis prorogatum in annum imperium est ». Lib. XXVII: « Quod in L. Veturio, idem in C. Aurunculeio decretum ab senatu, latumque ad populum est de prorogando imperio ». Et quamvis lib. XXXI dicantur Patres prorogasse imperium T. Quintio; id non jure suo fecerunt, sed quia rem illam tribuni pl. judicio Patrum permiserant. Ceterum, sicut in mandandis extraordinariis provinciis, de quibus alio loco, ita in prorogando imperio, illud sibi postea senatus usurpavit, ut hoc etiam præstaret sine ulla populi rogatione; quod multis exemplis ostenditur. Apud Sallustium de Bello Jug. « Sed paullo ante senatus Metello

Numidiam decreverat »; hoc est, prorogaverat: decretam enim sibi consuli jam per biennium eamdem provinciam obtinuerat. Apud Plutarchum in Gracchis : « Ut igitur Patres Gracchum diutius in Sardinia detinerent, ut Orestes consul in Sardinia maneret, decreverunt »; prorogarunt scilicet ultra annum imperium Oresti, cujus erat quæstor C. Gracchus. Apud Appianum lib. I de Bello civili : « Sex. Cæsar, quum deponendi muneris (consulatus) tempus accessisset, proconsul a senatu electus est ». Ex quibus locis patet, senatum aliquando imperium prorogasse iis temporibus, sine populi rogatione. Quæ quum ita se haberent, lata deinde est lex Cornelia de imperio a L. Sulla dictatore: « Ut qui provinciam haberet, is tamdiu obtineret imperium, quoad in Urbem introiisset », referente Cicerone epistola 9 lib. I: qua lege factum est, ut nemini in posterum prorogaretur imperium, quod non amplius ad annum daretur, sed ad tempus indefinitum. Etenim quum prætores provinciarum obtinerent imperium, quoad in Urbem rediissent, quid opus erat prorogare ipsis imperium ante reditum eorum in Urbem? Contra tamen quispiam: An, si numquam rediissent, imperium numquam deposuissent? minime; nam ubi senatus successorem misisset, decedendum erat eadem lege Cornelia, qua triginta tantum dies concedebantur magistratui ad decedendum, postquam successorem in provinciam ingressum noverat, teste Cicerone epist. 7, lib. III, ad Appium: « Sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent »; adeoque perspicuum est, quemlibet tamdiu obtinuisse provinciam cum imperio sine prorogatione, quamdiu successor missus esset. Advertendum tamen est, et quidem ex supra dictis, legem Corneliam gratiosam fuisse magistratibus, non onerosam; ut, si nihil novi senatus statuisset, retinere possent imperium, qui vellent; decedere de provincia, qui otium Urbis præoptarent.

15.

Hoc idem, quamvis ex Cicerone satis constare videatur, confirmare conabor multis aliis tum conjecturis, tum veterum testimoniis, ne quispiam suspicari possit, legem illam Corneliam fuisse aliquando abrogatam... In primis, quum L. Lucullus septem annos Ciliciæ, et Asiæ præfuerit, Ciliciæ triennium P. Lentulus, ac deinde totidem annos Ap. Claudius, Macedoniæ biennium Piso, Syriæ triennium Gabinius, ne singulos persequar; cur ne verbum quidem apud historicos de imperii prorogatione? Ante Sullam nusquam fere memorant, remansisse aliquem in provincia, quin de prorogatione mentionem etiam faciant: cur hoc nusquam attigit, aut Cicero ita in Epistolis accuratus, aut Plutarchus et Appianus ita in historia verbosi? Nimirum, quod lege Cornelia sublata fuerat prorogatio imperii, et retinebantur provinciæ, donec successor advenisset... Secundo, Cæsari per legem quidem Vatiniam data fuerat a populo Gallia citerior, sed ulteriorem senatus dederat, ut patet ex oratione de provinciis. At quare in eadem oratione Cæsaris inimici esse mittendum successorem censent, quum multo æquiore sententia uti possent, non esse prorogandum Cæsari imperium, maxime ultra triennium, quod attinebat ad Galliam ulteriorem? Videamus, quid eo loco respondeat orator: « Simul, inquit, et illud facit, ut quod illi a populo datum sit, id non violet; quod senatus dederit, id senator properet auferre ». Quinam hic est loquendi modus? id senator auferre dicendus est, quod novo suo beneficio non prorogет? et post triennium properabat auferre, quod, finito anno, jure, ac lege cessabat, nisi prorogatio accessisset? Itaque nullum verbum de prorogando Cæsari imperio in ulteriore Gallia, factum est in senatu, quod lege Cornelia obtinebat, nisi missus esset successor: atque adeo oratione pro Balbo Cicero ait: « Lege Sempronia succedendum non censuit »; epist. 7, lib. I, ad Lentulum: « et ne lege Sempronia succederetur facile perfectum est »; nullum verbum

de prorogatione... Tertio, epistola 9, lib. I, hæc habetur controversia: Quum Appius minitaretur, se successurum Lentulo in provincia Cilicia sine lege curiata de imperio, venit in dubium, possetne Lentulus retinere provinciam, et ab ejus ingressu prohibere Appium sine curiata lege illuc venientem; qua de re ita Cicero: « Varias esse opiniones intelligo: sunt qui putent, posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur ». Hinc vero disputare quispiam possit: senatus decreverat Ciliciam Appio, non ergo prorogaverat Lentulo; nam ridiculum fuisset eamdem provinciam uni decernere, et alteri eodem tempore prorogare. Imperium tamen non prorogatum retinere poterat Lentulus, si jure potuisset non tradere provinciam successori sine curiata lege venienti, quod unum dubium erat; non igitur necessaria erat prorogatio... Quarto: C. Verres ex prætura urbana Siciliæ præfuit per triennium, additque causam Asconius: « Quia successor non est profectus »; decreverat autem senatus Siciliam Arrio cuidam, primo anno elapso, ut ex Verrinis colligitur; qui quum aut non potuerit, aut noluerit ire in provinciam, retinuit imperium Verres sine ulla prorogatione. Quid enim Verri senatus prorogaret, quod Arrio successori mandaverat?... Quinto: quum Pisoni et Gabinio acerrimus inimicus esset Cicero, eosque quam primum vellet de provinciis decedere, his fere interrogationibus utitur oratione de provinciis: « Huic non summittetis? hos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, diripiendos non putaretis? » et nusquam loquitur de prorogatione, quum tamen multo acrius posset urgere his verbis; hos non modo non revocabitis, sed ultra biennium, quasi bene de rep. meriti essent, prorogabitis etiam imperium? Præterea multa habet Cicero in eadem oratione, quæ, si requiratur prorogatio, aut falsa sunt, aut absurda; ait enim: « Restituissetis vestram auctoritatem, iis, per quos erat amissa, revocatis; et iis ipsis præmiis extor-

tis, quæ erant pro eversione patriæ consequuti ». Patres ne extorsissent provincias Pisoni, et Gabinio, si ultra annum non prorogassent imperium? si quidem per adversarios necessaria erat prorogatio: « Numquam succedetur illis, nisi quum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit»: infra contra eos, qui censuerant, alteram Galliam cum Syria decernendam esse: « Attamen his sententiis, Piso in provincia permanebit». Utrumque falsum est, si prorogationem admittamus; nam licet in decernendis provinciis aliud statuisset senatus, poterat nihilominus Cicero impedire decretum de prorogando imperio Pisoni et Gabinio, si necessarium illud erat ad hoc, ut illi provincias retinerent... Sexto: P. Sextius quæstoriam provinciam consularem sortitus, metuens, ne post annum sibi eriperetur provincia, quam administrabat, Ciceroni amico significavit, sibi gratum fore, si eam retinere diutius posset: ad quem ita Cicero epist. 6, lib. V: « Quum ad me Decius librarius tuus venisset, egissetque mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur »; quum uti posset commodiore verbo, et de prorogando potius imperio, quam de non succedendo mentionem facere, quod majus erat beneficium. Sic epist. 29, lib. XIII, de Antistio: « Qui quum forte quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset »... Septimo: ex oratione in Pisonem aliud argumentum deducitur; nam hæc ibi habentur: « Quum tibi spe falsa quod Q. Ancharium non esse successurum putares, animos rumor inflasset ». Quæris, cur eo rumore adeo lætaretur Piso? quia, si Ancharius sibi successor destinatus in provinciam non venisset, retinuisset ipse adhuc imperium in Macedonia sine ulla prorogatione, quam a Patribus sibi inimicis ne impetrare quidem potuisset; sed jam noverat, nihil agendum fore de prorogatione... Octavo: quum magistratus essent annui, et a solis magistratibus vetere lege provinciæ regerentur, prorogatio imperii erat aliquid extraordinarium; proindeque, si

tollamus legem Corneliam de imperio, fateri opus est, præter senatus decretum necessariam fuisse populi rogationem, post illam tribunitiam legem Corneliam de solvendo legibus, cujus meminere Dio et Asconius, ut cuipiam ultra annum imperium prorogaretur: tum vero multo majorem vim habebunt conjecturæ, quæ allatæ sunt. Nemo enim sibi persuadeat, tantum hac de re futurum silentium apud omnes; quum sæpe adeo et consuli senatus, et rogari populus de prorogatione debuerit.,. Ultimo: lex Julia de provinciis examinanda est, qua lata a dictatore Cæsare, lex illa Cornelia de imperio sublata esse videtur; ea igitur cavebatur: « Ne prætoriæ provinciæ plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur». Cicero Philipp. I. Et hac ratione contraxisse Cæsarem ad biennium consulibus, ad annum prætoribus provinciarum, imperiique tempus certum est, quod antea erat lege Cornelia indefinitum, ut alibi fusius ostendam.

Ad hanc de lege Cornelia doctrinam absolvendam, operæ pretium est exponere, quo putem consilio eam promulgatam fuisse; nam quid re ipsa perscriberet, satis patet. Quum igitur maximæ quandoque utilitati reip. fore arbitrarentur, si ab eodem imperatore idem bellum conficeretur; non semel ad tempus indefinitum prorogarunt imperium. Sic Philoni ex Livio, lib. VIII, prorogatum est imperium: « Quoad debellatum cum Græcis esset»; P. Scipioni, lib. XXX: « donec debellatum in Africa foret»; deinde T. Quintio in Macedonia, lib. XXXII: «donec successor ei venisset». Insuper, si quando evenisset, ut quispiam ultra annum obtineret provinciam absque eo, quod prorogatum ipsi fuisset imperium, dubitari poterat, essetne ille vere, et jure proconsul. Quam omnino dubiam controversiam attigit Appianus lib. I de Bello civili, quum de Sulla loquitur his verbis: « Visus est et ipse proconsul in Mithridatem constitutus nondum dignitatem exuisse»; neque certe ab inimicis, qui

remp. occupaverant, prorogatum illi fuisse imperium, dicendum est, quod tanto post ex Asia reversus in Italiam, adhuc retinere videbatur. Hinc legislator, quum indefinitum provincialium magistratuum tempus fecit, et dubiam controversiam diremit, et in Patrum potestate esse voluit revocare post annum, misso successore, aut per plures annos detinere in provinciis prætores, nihil decernendo, prout resp. postularet.

Quædam objici possunt, et, ne quidquam videar prætermisisse, singula referam, iisque breviter satisfaciam... Primo contra est illud Ciceronis de provinciis: « Ut et prætores annuas provincias habeant »; ex quo colligi potest, annuam tantum fuisse provinciarum administrationem. Sed respondeo, idcirco annuas dici provincias, quia sicut intra annum neque poterat prætor, inconsulto senatu, de provincia decedere, neque revocari ipse a senatu sine causa; ita elapso jam anno, et revocari a senatu, misso successore, et sponte sua decedere poterat, suumque vel legatum, vel quæstorem præponere provinciæ; quia illud tempus legibus erat præscriptum, reliquum arbitrarium: sed et prætores revocabantur plerumque post annum; consules, ut diutius retinerentur, magis gratia valebant... Deinde opponunt Treboniam legem, ut per quinquennium Pompeio Hispania, Crasso Syria, Cæsari Galliæ darentur; cui adde Vatiniam de Gallia citeriori, et Gabiniam, qua bellum adversus piratas per triennium Pompeio delatum est, ut refert Dio lib. XXXVI. Quibus tamen legibus illud unum præstitere tribuni pl. ut adimerent facultatem senatui mittendi intra illud tempus successoris, ut notat Calvinus ad legem Treboniam, et manifeste patet ex oratione de provinciis. Mox objicitur Cicero, qui sæpe in epistolis tum ad Atticum, tum ad diversos, et sibi annuam datam provinciam dicit, cui supra satisfecimus quadam ex parte; et admodum se timere affirmat, ne senatus sibi in provincia prorogaret imperium.

Sic et Q. Tullio fratri Ciceronis manendum fuit in Asiæ prætura per triennium propter senatus decretum, non modo præter suam voluntatem, sed etiam adversus amicorum contentionem, qui, ut ei successor decerneretur, operam dederant. Notandum tamen est, nullam quidem fuisse prorogationem, ut a volentibus obtineretur imperium ultra annum; necessariam autem fuisse, ut invitus quispiam remanere cogeretur. Elapso itaque anno a legibus constituto, si senatus misisset successorem, necessario erat decedendum; si prorogasset imperium, necessario manendum; si neutrum, liberum erat prætori tum decedere, tum manere. Cicero epist. 10, lib. II: « Quare, mi Rufe, vigila, primum ut mihi succedatur; sin id erit, ut scribis, et ut ego arbitror, spissius, illud, quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur ». In primis enim ex eo, quod de utroque laborat, patet, utrumque potuisse non contingere; deinde primum petit, ut sibi succedatur, ut necessario sibi, et sine ulla reprehensione decedendum sit; hoc si fieri nequeat, ne quid temporis prorogetur, ne sibi necessitas permanendi imponatur. Tandem loquitur de prorogatione temporis, non imperii; quia non prorogabatur imperium, sicut ante legem Corneliam, sed tempus manendi in provinciis.

Quæ vero de Cicerone dicuntur, accuratius explicanda sunt: nam Pompeio tertium consule factum est senatusconsultum, teste Dione lib. XL: « Ne consules et prætores irent in provincias intra quinquennium », quo privati, atque etiam ipse Cicero coacti sunt ire in provincias; et ille quidem invitus; quid enim id privatus ambiret, quod prætor et consul repudiasset? Quum igitur inviti mitterentur, ad eorum solatium, illud singulare additum puto senatusconsulto, ut annuas tantum haberent provincias. Sic epist. 7, lib. XV, ad Marcellum: « Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et S. C. et lege finisti ». Ibid. ep. 14, ad Cassium: « Ad hanc provinciam, quam et senatus, et populus annuam esse vo-

luit ». Epist. 7, lib. II, ad Curionem : « Eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum ». Ibid. ep. 15, ad Cœlium : « Non me plane post annum, ut senatus voluit, ex provincia decessisse »; ad Atticum epist. 3, lib. VII : « Etsi cupidissime expressum, et expetitum a me sit, et approbatum a te, ne diutius anno in provincia essem ». Ex quibus colligitur, fuisse hoc expressum a Cicerone in S. C. ut eæ provinciæ per annum administrarentur; quod in aliis usitatum non erat, nullaque fiebat mentio temporis, ut apparet ex ep. 7, lib. VIII, et ex Philipp. II, de Cassio. Quamobrem, si fuit hoc singulare de Cicerone, aliisque cum ipso in provincias mittendis, multo minus mirari debemus, et ita sæpe eum scribere, decretam sibi fuisse annuam provinciam, et adeo pro impedienda temporis prorogatione laborasse. Quamquam non est negandum, potuisse Ciceronem non decedere, etiamsi nihil actum fuerit de prorogatione. Epist. 5, lib. VIII, ait Cœlius non futuram successionem provinciarum; deinde subjicit : « Tametsi hac de re puto, te constitutum, quid facturus esses, habere »; quod si necessario decedendum fuisset, non id constituisset, quasi capto consilio. Ep. 6, lib. VI, ad Atticum : « Dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere, aut etiam reip. causa contra S. C. ipse remanere ». Imperium igitur adhuc obtinebat. Epist. 17, lib. II, ad Caninium : « De successore nihil audivi, nec quemquam fore arbitror; quin ad diem decedam, nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico; commoraturum me nusquam sane arbitror » : innuitque se omnino quidem velle decedere, remanere tamen etiam potuisse. Imo postquam de provincia decessit, semper se ipse imperatorem appellavit, eam ob causam videlicet, quod lege Cornelia imperium haberet, quoad in Urbem introiisset; id autem non præstitit, nisi victo Pompeio.

Cæsar denique affertur, qui sæpe dicitur apud Plutarchum, Appianum, et alios, illud a senatu postulasse, ut

sibi in Galliis tempus (nusquam vero imperium) prorogaretur, quodque id illi negaretur, arma idcirco movisse. Sed facilis est responsio, si ea, ut revera gesta sunt, diligenter examinemus. Cæsar itaque consul anno ab U. C. 691, Vatinia lege Galliam citeriorem a populo obtinuit per quinquennium, quumque ea lex promulgata fuerit circiter kalendas mart. non poterat Cæsari imperium eripi, nisi kalendis mart. anni 696, Domitio et Appio coss. idque constat ex oratione de provinciis: « Præfinit enim successori diem »; et infra: « Kalendis ei denique mart. nascetur repente provincia »; ut scilicet servaretur lex Vatinia, kalendis mart. prædicti anni mittendum censebat successorem senator ille consularis. Quum autem anno superiore, Pompeio consule, itidem circiter kalendas mart. lata fuisset lex Trebonia, qua per aliud quinquennium in Galliis datum est imperium Cæsari, sublatus est annus unus ex quinquennio legis Vatiniæ, cœpitque per alteram legem Treboniam obtinere Gallias kalendis mart. anni 695, adeoque usque ad kalendas mart. anni 700, qui consules habuit L. Paullum et C. Marcellum. Hinc epist. 7, lib. VIII, M. Marcello consule, h. e. anno 699, mense septembri hæc loquutum Pompeium refert Cœlius: « Se ante kal. mart. non posse sine injuria de provinciis Cæsariis statuere; post kal. mart. se non dubitaturum »; ut scilicet lex Trebonia servaretur. Apud Appian. lib. II de Bello civili, ad annum 700: « C. Marcellus successorem Cæsari in provinciam mitti postulabat; jam enim tempus ejus muneris ad finem venisse aiebat »: quoniam kal. mart. illius anni quinquennium Treboniæ legis effluxerat. Neque obstat, quod addit infra idem Appianus: « Adversantibus multis, ac non æque Pompeio tempus effluxisse dicentibus », quum tamen eodem tempore de utriusque quinquennio lata fuerit lex Trebonia: patet enim, Pompeio tertium consuli prorogatum fuisse ultra quinquennium tempus imperii, ex Dione et Appiano, qui de Pompeii ter-

tio consulatu hæc habet: « Quæ omnia quum in senatu summa laude extollerentur, ei duas denuo legiones, et tempus ad aliarum gentium imperium attribuit». Cæsar ipse lib. I de Bello civili ita scribit: « Provinciæ privatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ, Scipioni Syria, Domitio Gallia obvenit»; retulerat autem de provinciis Lentulus consul statim post kalendas januar. Quamobrem, si Cæsari non effluxisset tempus imperii kalendis mart. anni 700, decretus illi fuisset successor ante tempus lege Trebonia præscriptum, quippe ante kalend. mart. anni 701, quum factum fuerit decretum de successione statim post kalend. jan. hujus anni; ideoque non dissimulasset Cæsar tantam injuriam, quum ibidem alia minora queratur: « In se novi generis imperia constitui, in se jura magistratuum commutari, ne ex prætura, etc.» neque verbum facit de misso ante legitimum tempus successore. Constat igitur, quinquennium legis Treboniæ non excessisse kalendas mart. anni 700, et Cæsari decretum fuisse successorem Domitium post kalend. januar. anni 701, ex Cæsaris Commentariis, et aliis auctoribus. Jam vero peterem ab adversariis, quonam jure per decem illos menses, qui numerantur a quinquennio jam elapso usque ad successorem, Cæsar obtinuerit Gallias: si dicant, quod nondum a senatu venisset successor, legem Corneliam admittunt; si vero, quod imperium vi retinuit, jam tum ergo judicandus fuerat hostis, non postquam ultra fines provinciæ duxit exercitum. Nam si kalendis mart. anni 700 imperium Cæsari nullum erat, utpote non prorogatum a senatu, cur non hoc apud historicos exprobrant Cæsaris inimici, qui levia etiam persequuntur? cur proconsulem et imperatorem adhuc appellant? cur non hanc belli causam prætendunt? Jure nimirum retinebat imperium, sed contra leges successorem recusabat, quod unum illi objici solebat.

FERRATIUS.

M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS PRIMÆ

PROOEMIUM

ARGUMENTUM

ACTIONIS PRIMÆ IN C. VERREM,

EX ASCONIO PEDIANO.

Victo Cæcilio, et accusatione ad se delata, Cicero, quum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies CX, et cum filio patrui sui Tullii totam provinciam colligendis literis in Verrem, et denuntiandis testimoniis peragrasset diebus L, quia pedestre iter ex Sicilia et propter fugitivos et propter Verris insidias devitabat[1], a Vibone transit. Tum repente adveniens, quum videret id agi, ut a M'. Glabrione prætore, et ab iis judicibus, qui tunc erant, ad alium annum, aliumque prætorem res tota transiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc consules futuri erant (per hos enim Verres eludendi judicii fiduciam sumpserat), hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, et eos Hortensio interrogandos daret. Qua arte ita est fatigatus Hortensius, ut nihil, contra quod diceret, inveniret, ipse etiam Verres, desperato patrocinio, sua sponte discederet in exsilium.

Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius, ut ostendat, non dolo, nec astutia, sed necessitate facere, id quod facit; et magis adversariorum fraudibus occurrat, quam ut ipse sit captiosus. Vult enim, ut diximus, omne hoc tempus, quod est ante kalend. januar. dispensare in totius causæ actionem, ne ad alium prætorem, aliosque judices novis consulibus veniendum sit. Toto igitur hoc libro exhortatio judicum continetur, ad vere judicandum; minæ in adversarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum judicium: et expositiones Ciceronis consilii sui judicibus exhibentur, quasi inter eos tractentur communiter; ubi brevitas quoque objiciendorum criminum mira arte conficitur.

1. Vulgo *dubitabat*.

Status, quantum ad crimina causæ repetundarum pertinet, conjectura multiplex inest omnibus libris; quantum ad specialem intentionem libri hujus refertur, qualitas negotialis extra scriptum in particula juris est constituta; inducitur enim postulatio de agendi novo genere; si quidem petit permitti sibi, non uti oratione perpetua, sed breviter crimina proponere, et ad singula testes dare.

Sunt autem capita orationis hæc : an talis reus, cujus damnatio prosit reipublicæ; an talia ejus consilia ad corrumpendum judicium; an talia et tam manifesta crimina ad patrocinium desperandum; an hujusmodi ab eo, et ab ejus suffragatoribus et dicta et facta ad eludendam accusationem, ut novo genere sit agendum Tullio. Quarum rerum quasi per narrationem facit demonstrationem. Expositio consilii sui, ut cum judicibus deliberatio videtur inducta; in qua ostenditur certandum cum Hortensii astutia, non utendo horis omnibus ad dicendum; ad tollendam, si fieri possit, comperendinationem, per testes crimina comprobando. Facit hoc Cicero, ut hæc res non solum compendio ac brevitate moram temporis tollat, sed etiam circa artificium dicendi breviter etiam in hac parte vim oratoris ostendat.

ALIUD ARGUMENTUM.

Accusator constitutus, Cicero sibi centum et decem dies petierat, quibus in Sicilia testimonia, et tabulas conquireret; quum autem vix quinquaginta diebus tota peragrata Sicilia, omnium populorum ac privatorum injurias cognosceret, Romam repente regressus, intellexit Verrem et ejus amicos nova ratione efficere studere, ut res in annum proxime sequentem duceretur. Quum enim sibi a M'. Glabrionis prætoris ceterorumque judicum severitate timeret Verres, unicam illam salutis viam patere sentiebat, si rem per tres menses ad decembris nonas variis excusationibus prolatando, integram causam ad M. Metellum prætorem sibi amicissimum et alios judices deferret, quo tempore a consulibus Q. Hortensio et L. Metello defenderetur. Porro nonæ sextiles erant quibus prima actio institui cœperat: et quum decem tantum dies superessent ante diversos ludos qui prope quadraginta dies erant ablaturi, ita calculum ponebant Verris patroni, ut post hoc duntaxat tempus Ciceronis accusationi responderent, et deinde dicendo et excusando ad Victoriæ ludos ducerent, quibus peractis dies paucissimi ad usque novorum magistratuum electionem reliqui essent futuri. Ita refrigerata accusatione sperabant rem totam ad M. Metellum venturam. Quod ne fieret, Cicero rem ita instituit, ut omissis longis et continuis orationibus, singulis criminibus pauca præmitteret, testes citatos interrogaret, quorum auctoritate crimina firmarentur; et veritatis vi obrutum Verrem judicum sententiis traderet condemnandum.

Hæc est *prima actio,* cujus quasi prooemium seu principium est brevis oratio, quæ sequitur; qua id in primis sibi propositum habuit, ut astuta adversariorum consilia ostenderet, causasque quibus illi ad differendum, ipse autem ad perficiendum judicium duceretur. Nec nisi admirabili prorsus brevitate obiter Verris res gestas attingit. Ceterum multus est in judicibus ad recte judicandum commonendis, quin et terrendis, ita ut non tam habenda sit accusatio, quam præparatio quædam ad ipsam accusationem instituendam, quæ in testibus interrogandis tabulisque proferendis constaret.

Principio gratulatur judicibus orator de accusatione, qua conceptam per annos decem infamiam judiciorum licet illis eluere; ad invidiam enim ordinis senatorii (penes quem tum judicia erant) maxime pertinere, ne reus omnium jam opinione damnatus absolvatur, 1. Verrem enim omnem spem salutis in spe vel eludendi vel corrumpendi judicii ponere, 2, 3. Etsi vita ejus tot vitiis flagitiisque convicta sit, ut nemo eum aliqua ex parte defendere possit, 4, 5.

Tum narrantur ea, quæ Verres machinatus sit atque etiam nunc moliatur, ut hujus prætoris horumque judicum severitatem effugiat, et ut res ita ducatur, ut anno proximo apud M. Metellum prætorem sibi faventem causa dicatur, 6-10. Cui rationi satis astutæ ut occurrat, Hortensio denuntiat, se consilium cepisse necessarium, ut perpetuam orationem in alia tempora reservet, nunc autem Verrem tabulis, testibus, privatis publicisque literis auctoritatibusque accuset. Hortensii rationem esse, ut secundum binos ludos sibi respondere incipiat, suam, ut reum ante primos ludos comperendinet, h. e. eum in diem perendinum adesse jubeat, ad causam iterum dicendam, 11. Omnino autem sibi propositum esse, anno proximo, quo ædilis futurus erat, iis hominibus resistere, quorum improbitate et audacia senatorius ordo prematur et urgeatur infamia judiciorum, 12, 13. Tantum abesse, ut in hoc ipso judicio aliquid committi patiatur, quod malam hominum existimationem de senatorum judiciis, præsertim ubi de pecuniis repetundis agatur, confirmare possit, 14. Postremo judices ad severitatem excitat, in primis prætorem M'. Acilium Glabrionem rogat, ut in hoc judicio causam severitatis, integritatis, fidei, religionis, causam denique senatus suscipiat, 15-17. Iterumque denuntiat se prima actione hoc acturum, ut omissa perpetua oratione, breviter explicatis criminibus, singula statim interrogando, argumentis atque oratione firmet, ad eaque testes accommodet, 18.

Habita est hæc oratio in foro ad ædem Castoris, eodem anno quo superior, M'. Glabrione prætore, cui sorte obtigerat quæstio de repetundis, et lectissimis ex senatu judicibus. Senator autem ex hoc anno erat Cicero, quippe quem censores Gellius et Lentulus, qui tum erant, in senatum legerant. Agi autem

cœpit causa nonis sextilibus, duravitque novem diebus ad XIX kal. sept.

Tam vehementi Ciceronianæ accusationis impetu exterritus est Hortensius, ut Verris desperata salute, defensionem omnem omitteret, et ipse Verres non alteram actionem exspectans, sua sponte abierit in exsilium, in quo quum consenuisset, eum proscriptio triumviralis, quæ Ciceronem jam antea sustulerat, abstulit. Proscriptum Verrem ab Antonio fuisse narrat Plinius, XXXIV, 3, quod Corinthiis vasis se ei cessurum negavisset.

Non absurdum fuerit monere Plutarchum, in vita Ciceronis, de tota Verris lite sic loqui, ut plane hospes et peregrinus in historia romana esse videatur. Vide ad Cic. vit. Rualdi Animadv. XXX, et ultim. ad hanc orat. notam.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN C. VERREM
ACTIO PRIMA.

PROOEMIUM.

ORATIO QUINTA.

I. Quod erat optandum maxime, judices, et quod unum ad invidiam vestri ordinis [1], infamiamque judiciorum sedandam, maxime pertinebat; id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo [2] reipublicæ tempore videtur. Inveteravit enim jam opinio perniciosa [3] reipublicæ, vobisque [4] periculosa, quæ non modo Romæ, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebruit, his judiciis [5], quæ nunç sint, pecuniosum hominem, quamvis sit

I. 1. *Vestri ordinis.* Senatorii, penes quem decem ab hinc annis erant judicii. — Alii, *nostri.* J. V. L.

2. *Summo.* I. e. maxime necessario, in quo vertitur totius reip. salus. Sic ad Att. I, 1, « summam existimationem », pro re, a qua omnis pendet existimatio. Vid. Gronov. ad Liv. XXVI, 10. Ruhnken. ad Rutilium Lupum, p. 27.

3. *Perniciosa.* Quia spe impunitatis effrenatior futura est improbitas.

4. Sic MSS et edd. quam plurimæ. Sed *nobisque* est in cod. Franc. prim. et in ed. Lambin. Græv. Beck. etc. J. V. L. — Male, ut arbitror. Nam, quamvis in senatum adscitus, Cicero curat suum nomen, quod erat populare, a senatorum causa separandum.

5. *His judiciis.* Senatorii ordinis.

nocens, neminem posse damnari. Nunc, in ipso discrimine[6] ordinis judiciorumque vestrorum, quum sint parati, qui concionibus[7] et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur, reus in judicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis, omnium jam opinione, damnatus, pecuniæ magnitudine, sua[8] spe ac prædicatione, absolutus. Huic ego causæ, judices, cum summa voluntate et exspectatione populi romani actor accessi, non ut augerem[9] invidiam ordinis, sed ut infamiæ communi succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum populo romano, satisfacere exteris nationibus possetis; depeculatorem[10] ærarii, vexatorem Asiæ[11] atque Pamphyliæ, prædonem juris[12] urbani, labem[13] atque perniciem provinciæ Siciliæ. De quo si vos severe[14] religioseque judicaveritis; auctoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hæ-

6. *Discrimine.* Periculum enim erat, ne jndicia a senatoribna ad equites transferrentur; et de hac re legem C. Aurelins Cotta prætor jam promulgaverat, quæ lex in proximo erat, ut ferretur.

7. *Concionibus.* L. Quintinm significat tribunum plebis, hominem maxime popularem ac factiosum. Qnem Ita in Clnentiana oratione describit Cicero : « L. Qnintins homo maxime popularia, qui omnes rumorum et concionnm ventos colligere consnesset, etc. » Et infra : « habetur nna et altera concio, vehemens et gravis; accepisse pecuniam jndices, nt innocentem reum condemnarent, tribunus plebis clamitabat : agi fortunas omnium dicebat, nulla esse judicia : qui pecuniosnm inimicum haberet, incolumem esse neminem posse ».

8. *Sua spe.* Ut sperat et prædicat.

9. *Augerem.* Et ipse oratione mea, senatorem Verrem accusando. Sic optime Hotom. Errat antem hoc in loco Mannt. qui ita interpretatur : Non nt quemquam aut ipse corrumperem, ant a reo corrumpi sinerem.

10. *Depeculatorem.* Furem, qnum esset Cn. Carbonis quæstor.

11. *Vexatorem Asiæ.* Qnum legatus et proquæstor Dolabellæ, Ciliciam obtineret, unde Asiam qnoqne est depopulatus.

12. *Prædonem juris.* Violatorem romani juris, quum prætor urbanus esset.

13. *Labem.* Propter flagitia. — *Perniciem.* Ob latrocinia. — *Siciliæ.* Provinciæ cui per triennium præfuit.

14. *Severe.* Secundum leges. — *Religiose.* Ex jurisjurandi vestri religione.

rebit: sin istius ingentes divitiæ judiciorum religionem veritatemque[15] perfregerint; ego hoc tamen assequar, ut judicium potius reipublicæ, quam aut reus judicibus, aut accusator reo defuisse videatur.

II. Equidem, ut de me confitear, judices, quum multæ mihi a C. Verre insidiæ[1] terra marique factæ sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum studio officioque repulerim; numquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tantopere pertimui, ut nunc in ipso judicio. Neque tantum me exspectatio accusationis meæ, concursusque[2] tantæ multitudinis, quibus ego rebus vehementissime perturbor, commovet, quantum istius insidiæ nefariæ, quas uno tempore mihi, vobis[3], M'. Glabrioni prætori, sociis[4], exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur: qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent; se tantum rapuisse, ut id

15. Malebat Manutius *severitatem*. Male. Quum eodem sensu *veritas* usurpetur.

II. 1. *Insidiæ*. Cicero, quum rediret e Sicilia, quam colligendis in Verrem testimoniis peragraverat, noluit a Rhegio terra iter facere propter Verris insidias: a Vibone, quæ est urbs in agro Bruttio, Veliam, Lucaniæ oppidum, parvulo navigio transiit. Conf. Verr. II, 40.

2. *Concursus*. Nam hoc tempore propter ludos et lustrum plebs rustica Romam convenerat.

3. *Vobis*. De ipsis judicum personis. — *Ordini*. De universo senatu dicitur. Frustra voculam *vobis* contra MSS fidem rejiciendam censet Græv.

4. *Sociis*. Siculis: eos per consulem deterrendo ab accusatione. Inf. c. 9. — *Exteris nationibus*. Legem de repetundis earum causa latam, quantum in se est, tollendo. Vid. cap. 14. — *Ordini*. Faciendo, ut judicia senatoribus auferantur. — *Nomini*. Ut illud non jam honori sit, sed potius ignominiæ. Planum est quod insidiarum genus his omnibus strueret Verres: et ipse orator paullo infra, cap. 3, explicat. Iste olim postquam pecunia Ciceronem frustra oppugnare, et ædilitatem ei corruptis suffragiis adimere tentasset (inf. 9), alia nunc ratione usus, sese ei, tempus terendo, conabatur subducere, opportunos judices exspectans, quos corrumperet. Ista autem si ei succederet fraus, tunc tantæ infamiæ et judices, et prætor, et senatus conscii esse videbantur: itaque metum Cicero cum his omni-

multis satis esse possit; nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum[5], quod non expugnari pecunia possit. Quod si, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus[6] in agendo; fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. Verum hoc adhuc percommode cadit, quod cum incredibili ejus audacia singularis stultitia conjuncta est. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi judicii perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit. Semel, ait, se in vita pertimuisse, tum, quum primum reus[7] a me factus sit: quod, quum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere[8] ac diuturna flagraret, tum ad judicium corrumpendum tempus alienum[9] offenderet. Itaque quum ego diem[10] in Siciliam inquirendi perexiguam postu-

bus communicat; horum enim omnium maxime aut ad gloriam, aut ad utilitatem intererat, judicia minime corrumpi. Si enim in errorem Hortensii artibus judices inducti fuissent, quamvis non pecunia tentati, ad differendum judicium, non tamen apud populum corruptionis famam vitabant, neque illam apud bonos justam invidiam, quod reum nocentissimum ad certam turpemque absolutionem dimisissent.

5. *Munitum.* Alludere videtur orator ad dictum illud Philippi Macedonis: « nullum esse oppidum tam munitum quod non expugnaretur, modo asellus auro onustus posset in illud ascendere ». Att. I, 16. Conf. locum similem Demosthen. in Theocrin.

6. *Obscurus.* Occultans sua facinora. Sic Horat. Epist. I, 18: « plerumque modestus Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi ».

7. *Reus.* A me nomen ejus ad prætorem est delatum.

8. *Vetere, invidia et infamia.* Quæ incœpta ab istius quæsturæ tempore, per continuos quatuordecim annos mansit ad hanc diem.

9. *Alienum.* Adversum, contrarium, quia reus a me factus esset: quo actore, non erat quod in divitiis suis ullam spem collocaret; quia ante tam severum tribunal sistebatur, quod pecunia non corrumpi posset.

10. *Diem. Dies* femineo genere, tempus significat, inquit Asconius; at *dies* horarum duodecim generis est masculini. Porro dies ad inquirendum postulavit Cicero centum et decem. Quibus ei datis, Verris amici quum vellent causam istius in annum sequentem protrahere, quo anno prætor futurus esset M. Metellus, consulis frater, Verris amicissimus (infr. cap. 7 et 8), subornarunt Rupilium quemdam, sive Oppium, qui senatorem, nescio quem, reum faceret, et tantummodo centum et octo dies postularet. In ea malitia hoc erat eis commodi: Rupilius scilicet, ratione temporis quod

lavissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet : non ut is [11] idem conficeret diligentia et industria sua, quod ego meo labore et vigiliis consequutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit; ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque literas [12] injuriasque cognoscerem : ut perspicuum cuivis esse posset [13], hominem ab isto quæsitum esse, non qui reum suum adduceret [14], sed qui meum tempus obsideret.

III. Nunc [1] homo audacissimus atque amentissimus hoc cogitat. Intelligit, me ita paratum atque instructum in judicium venire, ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium, sua furta atque flagitia defixurus sim. Videt, senatores multos esse testes audaciæ suæ; videt multos equites romanos, frequentes præterea cives atque socios, quibus ipse insignes injurias fecerit. Videt etiam tot tam [2] graves ab amicissimis civitatibus legationes cum publicis auctoritatibus [3] ac

brevius postulaverat, priorem agendi locum obtinebat; et dum ejus ex Achaia reditus exspectaretur, dum accusando tempus tereret, suos Ciceroni dies adimebat, et causa Verris facile ad præturem alium, aliosque judices, perveniebat. Vid. argum. et inf. 11. — Ernest. habet « diem in Sicilia ».

11. Abest *is*. Dedit Lambin. — Non quod se tam diligentem et industrium putabat, sed ut meum tempus obsideret; non id ei propositum fuit, quod ego meo labore ac meis vigiliis in Sicilia præstiti, ut in Achaia investigaret et colligeret, ea quæ ad condemnandum reum pertinebant, sed id spectavit ut mihi tempus eriperet.

12. *Literas*. Testimonia publica, tabulas publicas.

13. Sic Græv. Lall. etc. Alii, *possit*.

14. *Adduceret*. In judicium; non qui revera eum accusare vellet, quem reum fecisset, et cujus causa tempus illud postulasset, sed qui meum tempus impediret, et occuparet.

III. 1. *Nunc*. Verres audacia simul et dementi quodam furore impulsus, illas jam meditatur insidias, quæ ad totam remp. pertinent, ut supra dixit Cicero.

2. Grævius addidit *tam*, quod habet vetus interpres. Habent quoque MSS Parisienses. J. V. L.

3. *Auctoritatibus*. Literis a communi civium datis.

testimoniis convenisse. Quæ quum ita sint, usque eo de omnibus bonis male existimat; usque eo senatoria judicia perdita[4] profligataque esse arbitratur, ut hoc palam dictitet, non sine causa se cupidum pecuniæ fuisse, quoniam tantum in pecunia præsidium experiatur esse; sese (id quod difficillimum fuerit) tempus ipsum emisse[5] judicii sui, quo cetera facilius emere posset: ut, quoniam criminum[6] vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. Quod si non modo in causa, verum in aliquo honesto præsidio, aut alicujus eloquentia, aut gratia, spem aliquam collocasset; profecto non hæc omnia colligeret atque aucuparetur; non usque eo despiceret contemneretque ordinem senatorium, ut arbitratu ejus deligeretur ex senatu, qui reus fieret[7]: qui, dum hic, quæ opus essent, compararet[8], causam interea ante eum diceret. Quibus ego rebus quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. Quamobrem vero se confidat aliquid perficere posse, hoc [Glabrione[9]] prætore, et hoc consilio[10], intelligere non possum. Unum illud intelligo, quod populus romanus[11] in rejectione[12] judicum judicavit, ea spe istum fuisse præditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret; hoc

4. *Perdita*. Omnino nulla. *Profligata*. Violata, addicta, nummaria.

5. *Emisse*. Effecisse pecunia sua, ut, interposito illo inquisitore Achaico, res duceretur in annum sequentem; quo anno ab hoc prætore, et ab horum judicum magna parte ad alios causa transferretur.

6. *Criminum*. Quæ a me proferentur. — *Procellam temporis*. Ab optimo prætore et severissimis judicibus impendentem.

7. *Qui reus fieret*. Quem accusandum ab isto Achaico prætore curaret, sive innocentem, sive nocentem, ut ipse tempus protraheret.

8. *Compararet*. Largitione et corruptela.

9. Verbum hoc *Glabrione* e glossemate natum. Asconius et cod. unus Paris. omittunt.

10. *Consilio*. Consessu judicum.

11. Vulg. *prætor i. r.* Natus error e compendio P. R. J. V. L.

12. *Rejectione*. Utrimque certus numerus judicum ab accusatore et reo

erepto præsidio, ut nullam sibi rem adjumento fore arbitraretur.

IV. Etenim quod est ingenium tantum? quæ tanta facultas dicendi et copia, quæ istius vitam, tot vitiis flagitiisque convictam [1], jam pridem omnium voluntate judicioque damnatam [2], aliqua ex parte possit defendere? Cujus ut adolescentiæ maculas ignominiasque prætercam; quæstura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem [3] spoliatum a quæstore suo pecunia publica? nudatum [4] et proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis [5] necessitudinem religionemque violatam? cujus legatio [6] exitium fuit Asiæ totius et Pamphyliæ: quibus in provinciis multas domos, plurimas urbes [7], omnia fana depeculatus est, quum in Cn. Dolabellam scelus [8] suum illud pristinum renovavit et instauravit quæstorium; quum eum, cui legatus et pro quæstore fuisset, et in invidiam suis maleficiis adduxit, et in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnavit ac

rejiciebatur: Verres optimos quosque rejecerat, quos nullo modo corrumpi posse arbitrabatur. Vide infra ad cap. 6, not. 7.

IV. 1. *Convictam*. Quæ tot monumentis vitiorum et indiciis convincitur. Gradus est ad *damnatam*, quod sequitur. Frustra autem Lambin. ex MSS, qui *conjunctam* habebant, conjecit *coinquinatam*.

2. *Damnatam*. Quam omnes jam damnatam vellent, et damnandam esse judicant.

3. *Cn. Carbonem*. Eadem fusius narrantur inf. cap. 13.

4. *Nudatum*. Vehementer rem iterando auget orator, quasi parum antea fuisset dictum. Hanc periodum laudat Diomedes, edit. Putsch. 463, «quæ compositione adeo decoratur, ut, si quid solvere et commutare volueris, pereat omnis rerum atque verborum et dignitas atque potestas». Ceterum ille verba quædam loco mutat, nempe quod e memoria recitaret.

5. *Sortis*. Vide Divin. cap. 19.

6. *Legatio*. Post quæsturam legatus fuit Verres Dolabellæ, cui Cilicia provincia constituta fuerat. Verr. I, cap. 17.

7. Lambin. malit «plurimas domos, multas urbes». Quod probat Grævius, si libri subscriberent.

8. *Scelus suum*. Ut enim Cn. Carbonem, dum quæstor ejus esset, spoliavit; sic Dolabellam insidiis oppugnavit et accusatum prodidit. Verr. I, 15, 38.

prodidit. Cujus prætura urbana, ædium[9] sacrarum fuit publicorumque operum depopulatio; simul in jure dicundo, bonorum[10] possessionumque, contra omnium instituta, addictio, et condonatio. Jam vero omnium vitiorum suorum plurima et maxima constituit monumenta et indicia in provincia Sicilia : quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit; vix autem per multos annos, innocentesque prætores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. Hoc prætore Siculi neque suas leges, neque nostra senatusconsulta, neque communia jura tenuerunt[11] : tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avarissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit[12], aut satietati superfuit.

V. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, judicata est; nulla res tam patria[1] cujusquam atque avita fuit, quæ non ab eo, imperio istius, abjudicaretur[2]. Innumerabiles pecuniæ ex aratorum[3] bonis novo nefarioque instituto coactæ; socii[4] fidelissimi in hostium numero existimati; cives romani servilem in modum cruciati et necati; homines nocentissimi propter

9. *Ædium sacrarum.* Verr. I, 49 et seqq.

10. *Bonorum.* Bona et possessiones, Verres quum jus diceret, addixit ac tradidit quibus voluit, neglectis eorum, qui ante se prætores fuerant, edictis et institutis. Verr. I, 41, et seqq.

11. *Tenuerunt.* Contra Verris libidinem Siculis neque suæ leges, neque nostra S. C., ne commune quidem gentium jus opem ullam attulerunt.

12. *Subterfugit.* Nihil est Siculis reliqui, nisi quod, ignorante illo, aut lassato et satiato, servaverunt.

V. 1. *Tam patria.* Tam legitimo jure possessa, qualia sunt quæ ab avis ad parentes, atque inde ad filios hereditario jure veniunt.—Manut. habet *patrita.*

2. *Abjudicaretur.* Ejus judicis sententia auferretur.

3. *Aratorum.* Aratores frumenti decimam populo rom. dabant; hos tribus amplius decumis per publicanos a se subornatos Verres exhausit. Verr. III. Ceterum breviter hic percurrit quæ fusius suo loco, in accusatione explicat.

4. *Socii.* De his et seqq. vid. Verr. V.

pecunias judicio liberati; honestissimi atque integerrimi, absentes rei facti, indicta causa damnati et ejecti[5]; portus munitissimi[6], maximæ tutissimæque urbes piratis prædonibusque patefactæ; nautæ militesque Siculorum, socii nostri atque amici, fame necati; classes optimæ atque opportunissimæ[7] cum magna ignominia populi romani amissæ et perditæ. Idem iste prætor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum, quæ illi ornamento[8] urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quæ victores civitatibus Siculis aut dederunt[9], aut reddiderunt, spoliavit nudavitque[10] omnia. Neque hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus est; deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris vero et flagitiis nefarias ejus libidines commemorare, pudore deterreor : simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos conjugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est. At enim[11] hæc ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint ab omnibus. Hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque ejus nefaria commemorare possit : ut mihi magis timendum

5. *Ejecti*. In patriam redire prohibiti.

6. *Portus munitissimi*. Syracusas per αὔξησιν h. l. significat, quarum in portum victores piratæ sunt ingressi. Verr. V, cap. 37.

7. *Opportunissimæ*. Quarum, ad belli et mercaturæ usum, maxima erat opportunitas. — *Ignominia*. Quia fugientem populi romani classem incenderunt.

8. MS Franc. 1, « ornamenta ».

9. *Dederunt*. Quum captis urbibus ea, quæ belli jure ad se pertinebant, Siculis reliquere et conservavere; quæ vero Carthaginienses e Sicilia asportaverant, ea veteribus dominis restituerunt.

10. Palat. pr. « connudavitque », quod videtur probare Gruterus. J. V. L.

11. *At enim*. Objectio per ironiam.

sit, ne multa crimina prætermittere, quam ne qua in istum fingere existimer. Neque enim mihi videtur hæc multitudo, quæ ad audiendum convenit, cognoscere ex me causam voluisse, sed ea, quæ scit, mecum recognoscere.

VI. Quæ quum ita sint, iste homo amens ac perditus alia mecum ratione pugnat: non id agit, ut alicujus eloquentiam mihi opponat; non gratia, non auctoritate cujusquam, non potentia nititur: simulat his se rebus confidere; sed video, quid agat; neque enim agit occultissime. Proponit inania[1] mihi nobilitatis[2], hoc est, hominum arrogantium nomina; qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt, quam adjuvant, quod noti[3] sunt: simulat se eorum præsidio confidere, quum interea aliud[4] quiddam jam diu machinetur. Quam spem nunc habeat in manibus, et quid moliatur, breviter jam, judices, exponam: sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit, quæso, cognoscite. Ut primum e provincia rediit, redemptio[5] est hujus

VI. 1. *Inania.* Vana et futilia, quum ab eis virtus absit. Sic ad Appium: «Etiamne tu ullam Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me plus quam ornamenta virtutis existimas? Quum ea consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina, numquam sum admiratus; viros eos, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar».

2. *Nobilitatis.* Hominum nobilium qui Verri favebant. Ii erant Q. Hortensius, patronus ejus, consul designatus; tres Metelli, quorum Quintus consul erat designatus, Marcus prætor designatus, Lucilius Siciliæ præerat; C. Curio consularis; Q. Metellus Pius Scipio a Metello Pio, Numidici filio adoptatus, ac præterea Scipiones omnes, et Marcelli.

3. *Noti.* I. e. infames. Acerbe dictum per agnominationem verborum *nobilis* et *notus.* Sic pro Cœl. «Clodia muliere non solum nobili, sed etiam nota», et pro Flacc. «homines apud nos noti, inter suos nobiles».

4. Ascon. «a. quiddam diu». Unde Ern. conj. «a. quid jam diu». J. V. L.

5. *Redemptio.* Homines, corrumpendorum judiciorum artifices, grandi mercede a Verre redemerunt procurationem corrumpendorum judicum, operam suam, in ejus absolutione præstanda, vendiderunt. Contumeliose ducta metaphora ab operariis, qui opus aliquid faciendum, certo pretio, redimunt, seu conducunt. Sic Pis. 36.

judicii facta grandi pecunia : ea[6] mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt[7]. Posteaquam rejectio judicum facta est, quod et in sortitione istius spem[8] fortuna populi romani, et in rejiciendis judicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renuntiata est tota conductio[9]. Præclare se res habebat : libelli nominum vestrorum consiliique hujus in manibus erant omnium; nulla nota[10], nullus color, nullæ sordes videbantur his sententiis allini posse : quum iste repente ex alacri atque læto sic erat humilis atque demissus, ut non modo populo romano, sed etiam sibi ipse condemnatus videretur. Ecce autem repente, his diebus paucis[11], comitiis[12] consularibus factis, eadem illa vetera consilia pecunia majore repetuntur, eædemque vestræ famæ fortunisque omnium

Inde apparet non ita novas esse eas societates quas nos *assurances* vocamus, multoque hac in parte nobis solertiores fuisse Romanos, qui non grandinem, seu incendium, sed ipsam mortem atque infamiam redimerent.

6. Abest *ea*. J. V. L.

7. *Rejecti sunt.* Judicum nomina primo in urnam sortito mittebantur, ut de pluribus necessarius numerus conficeretur; postea accusator ac reus, ex illo numero rejiciebant, quos sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore putarent. Tunc in eorum locum, qui rejecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus judicum legitimus numerus compleretur. His perfectis, nomina selectorum judicum in libellis seu tabellis palam inscribebantur, ne pravi aliqui se inter eos obtruderent.

8. *Istius spem.* Sperabat Verres improbos senatores ex urna educendos : fecit fortuna populi romani, ut optimi cujusque nomen educeretur. *Diligentia* Ciceronis fuit in rejiciendis suspectis; *impudentia* Verris in retinendis qui aperte erant improbi.

9. Asconius *conditio*, quod probant Gronov. et Ernest. — *Renuntiata.* Postquam rejecti sunt judices, displicuit negotium redemptoribus, et resilierunt a conditione et pacto.

10. *Nota.* Nullus fraudi locus in hoc judicio, qualem in Varroniano illo adhibuit Hortensius. H. l. intelliges ex annot. ad Divin. cap. 7.

11. *His diebus paucis.* Familiare Ciceroni pro «paucis post diebus». Sic Catull. «cœnabis bene, mi Fabulle, paucis, si di dederint, diebus».

12. *Comitiis consularibus.* Quibus Hortensius Verris defensor et Q. Metellus consules designati fuerant. Fiebant autem comitia consularia vulgo ante diem VI kal. sextil. (27 jul.); accusationis vero primus dies fuit nonæ sextiles. Inf. cap. 10.

insidiæ[13] per eosdem homines comparantur. Quæ res primo, judices, pertenui nobis argumento indicioque[14] patefacta est : post aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine ullo errore pervenimus.

VII. Nam ut Hortensius, consul designatus, domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia ac multitudine[1] : fit obviam casu ei multitudini C. Curio[2]; quem ego hominem, honoris potius quam contumeliæ causa, nominatum volo. Etenim ea dicam, quæ ille, si commemorari noluisset, non tanto in conventu, tam aperte palamque dixisset : quæ tamen a me pedetentim[3] cauteque dicentur; ut et amicitiæ nostræ, et dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. Videt ad ipsum[4] fornicem Fabianum in turba Verrem; appellat hominem, et ei voce maxima gratulatur[5]; ipsi Hortensio, qui consul erat factus, propinquis necessariisque ejus[6], qui tum aderant, verbum nullum facit; cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc jubet sine cura esse : « Renuntio, inquit, tibi, te hodiernis comitiis « esse absolutum ». Quod quum tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur : imo

13. *Insidiæ*. De differendo judicio. Vide plura ad cap. 2.

14. Alii, « judicioque ». J. V. L.

VII. 1. Sic plur. codd. et vet. edd. Gruter. autem cum Pall. et Vict. « a multitudine ».

2. *C. Curio*. Consularis et triumphalis vir, pater C. Curionis violentissimi illius tribuni plebis, quem Cæsar defensorem tanta pecunia paravit. Sueton. in Jul. cap. 29.

3. *Pedetentim*. Prudenter : ne odio aut ira impulsus videar.

4. *Fornicem*. Arcum triumphalem. Fornix Fabianus erat in Sacra via constructus a Fabio censore (A. U. C. 645), qui, devictis Allobrogibus, Allobrogicus est cognominatus, ut videre est apud Velleium, II, 10 : « Fabio Paulli nepoti ex victoria cognomen Allobrogico inditum ». Adde Plin. XXXIII, 2, 50. Val. Maxim. VI, 9.

5. Addunt multi *victoriam*. Quæ vox commodius abest a pl. MSS. J. V. L.—Præsertim quum paullo infra sit « renuntio... te absolutum »; frigidius esset ».

6. *Ejus*. Hortensii, non C. Verris, ut putat Hotom.

vero, ut quisque me viderat, narrabat. Aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur : ridiculum iis, qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in judicum potestate, non in comitiis consularibus positam arbitrabantur; indignum iis, qui altius perspiciebant, et hanc gratulationem ad judicium corrumpendum spectare arbitrabantur[7]. Etenim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines inter se et mecum loquebantur : aperte jam ac perspicue nulla esse judicia : qui reus pridie jam ipse se condemnatum putabat, is, posteaquam defensor ejus consul est factus, absolvitur. Quid igitur? quod tota Sicilia[8], quod omnes Siculi, omnes negotiatores[9], omnes publicæ privatæque literæ Romæ sunt, nihilne id valebit? — nihil[10], invito consule designato. Quid judices? non crimina, non testes, non existimationem populi romani sequentur? — non : omnia in unius potestate ac moderatione[11] vertentur.

VIII. Vere loquar, judices : vehementer me hæc res commovebat. Optimus enim quisque ita loquebatur : « iste quidem tibi[1] eripietur; sed nos[2] non tenebimus judicia diutius : etenim quis poterit, Verre absoluto, de transferendis judiciis recusare? » Erat omnibus molestum : neque eos tam istius hominis perditi subita lætitia, quam hominis amplissimi[3] nova gratulatio

7. Olim *videbant*. Inde quum hexametrum oriretur, Lamb. conjecit *arbitraretur*, quod in MS pl. est inventum.

8. *Quod tota Sicilia*. Non semel nobis illud mirandum occurrit, qua arte Cicero loquentes ceteros inducat, ita ut non jam oratorem audire, verum diversis hominum colloquiis adesse videamur.

9. *Negotiatores*. Cives romani, qui in Sicilia negotiantur; testimonia denique tum publica, tum privata.

10. *Nihil*. Fingit hæc orator h. l. et infra a Verris amicis responderi.

11. *Moderatione*. Unus Hortensius omnia reget ac moderabitur.

VIII. 1. *Tibi*. Te accusante, a judicio per consulem liberabitur.

2. *Nos*. Senatores.

3. *Amplissimi*. Curionis.

commovebat. Cupiebam dissimulare me id moleste ferre; cupiebam animi dolorem vultu tegere, et taciturnitate celare. Ecce autem illis ipsis diebus, quum prætores designati sortirentur, et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quæreret[4]; nuntiatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, ut is quoque domum[5] mitteret, qui uxori suæ nuntiarent. Sane ne hæc quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantopere in hac sorte[6] metuendum mihi esset, intelligebam. Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos[7] complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore[8] ad equitem romanum esse translatos; ex his quasi X fiscos ad senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum[9] nomine; divisores[10] omnium tribuum noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere[11] arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit; demonstrat, qua iste oratione usus esset: com-

4. *Quæreret.* Quæsitor esset, in annum sequentem. Designati enim prætores, antequam magistratum inirent, sortiri solebant, de diversis quæstionibus in Urbe exercendis; vide ad calc. Verr. I, de Præt. urban.

5. *Pueros d. m.* Sed abest a pluribus MSS. J. V. L.

6. *Sorte.* In hoc munere, quod M. Metello prætori sorte obtigerat.

7. *Fiscos.* Sportas, pecunia refertas, quam Verres ex Siciliæ furtis conflaverat.

8. *Senatore.* Suspicantur *senatorem* alii Crassum, alii Hortensium; *equitem* vero Publicium quemdam temporibus illis in dividenda populo pecunia famosum.

9. Sic recte Ascon. et Manut. Vulgo abest *meorum.* — Hoc autem loco comitia ædilitia significantur, quæ post consularia et prætoria fiebant. Verres pecuniam hanc dederat, ut, nempe corruptis suffragiis, ædilitate dejiceretur Cicero, quam petebat.

10. *Divisores.* Ex h. l. patet suum cuique tribui fuisse *divisorem*, i. e. hominem qui pecuniam, quum quis candidatus largitione in populum uti vellet, in tribu sua viritim *divideret.* Initio per se non turpis res erat; benignitate enim populum conciliari leges sinebant. Sed postquam per hos corruptæ sunt tribus, eam tandem ob causam infame et suspectum *divisoris* nomen factum est, atque in convicii loco dictum. Verr. III, 69. Muren. 26, etc.

11. Alii, « facere debere ». Locutio Ciceroni familiaris, qua subaud. *facere.*

memorasse istum, quam liberaliter[12] eos tractasset etiam antea, quum ipse præturam petisset, et proximis[13] consularibus prætoriisque comitiis; deinde continuo esse pollicitum, quantam vellent pecuniam, si me ædilitate dejecissent. Hoc alios negasse audere[14]; alios respondisse, non putare id perfici posse; inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem, Romilia[15], ex optima divisorum disciplina, patris istius discipulum atque amicum, qui, H-S quingentis millibus depositis[16], id se perfecturum polliceretur; et fuisse tamen[17] nonnullos, qui se una facturos esse dicerent. Quæ quum ita essent, sane benivolo animo me, ut magnopere caverem, præmonebat.

IX. Sollicitabar rebus maximis[1] uno atque eo perexiguo tempore: urgebant comitia; et in[2] his ipsis oppugnabar grandi pecunia. Instabat judicium; ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur. Agere, quæ ad judicium pertinebant, libere, comitiorum metu[3] deterrebar; petitioni toto animo servire, propter

12. *Quam liberaliter.* Dederat Verres sestertiûm octoginta millia (16,400 fr.), ut prætor renuntiaretur.

13. *Proximis.* Novissimis. Non semel suspicionem eamdem injicit orator Verris pecunia corrupta fuisse comitia, ut M. Metellus prætor, Q. Hortensius et Q. Metellus consules renuntiarentur.

14. Lambin. addit *se*. J. V. L.

15. *Romilia.* Subaud. *ex tribu.* Moris erat ut quum minus notus appellaretur Romanus, a tribu sua designaretur.

16. *H-S quingentis mill.* (102,500 fr.) *depositis*. A Verre apud sequestres, ad corrumpenda suffragia.

17. Lambin. edidit *tandem* e conjectura Hotomanni. J. V. L.

IX. 1. *Rebus maximis.* Petitione ædilitatis, et accusatione: quæ duo quam sibi contraria sint pro Muren. cap. 21, explicat, ubi hæc maxime ad istum locum faciunt: « nescio quo pacto semper hoc fit, neque in uno atque altero animadversum est, sed jam in pluribus, simul atque candidatus accusationem meditari visus est, ut honorem desperasse videatur ». Et multa in hanc sententiam.

2. Vulg. abest *in*. Ernest. post Lambinum e MSS addidit. J. V. L.

3. *Comitiorum metu.* Quia accusatio libertatem et minas exigit; *petitio* blandimenta et preces; et ut pro Muren. loc. supra cit. ait « accusandi terrorea et minæ, et populi opinionem a spe adipiscendi avertunt, et amicorum studia debilitant ».

judicium, non licebat. Minari denique divisoribus ratio non erat, propterea quod eos intelligere videbam, me hoc judicio districtum atque obligatum futurum. Atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse audio, primum ab Hortensio, domum ad illum ut venirent; Siculos sane in eo liberos fuisse, qui, quamobrem arcesserentur, quum intelligerent, non venisse[4]. Interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno comitiorum dominum esse arbitrabatur, haberi cœpta sunt. Cursare iste, homo potens, cum filio blando et gratioso[5], circum tribus; paternos[6] amicos, hoc est, divisores, appellare omnes et convenire. Quod quum esset intellectum et animadversum; fecit animo libentissimo populus romanus, ut, cujus divitiæ me de fide deducere non potuissent, ne ejusdem pecuniæ de honore dejicerent[7]. Posteaquam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo cœpi multo magis vacuo ac soluto, nihil aliud, nisi de judicio, agere et cogitare. Reperio, judices, hæc ab istis consilia inita et constituta, ut, quacumque opus esset ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum prætorem causa diceretur; in eo esse hæc commoda: primum M. Metellum, amicissimum; deinde Hortensium consulem non

4. *Venisse*. Ad hunc locum animadvertit Asconius, inconsequentem esse locutionem similemque solœcismi, siquidem «non venisse» legeris: nam si »non venissent», errorem non esse. Sic etiam scripsit Desjard. et proponit J.V. L. J. F. Gron. Obs. I, 12, scribi voluit «Siculos s. i. e. liberos fuisse, quemadmodum arcesserentur quum intelligerent, non venisse». Hunc sequutus est Græv. Schütz. autem duas voculas »fuisse, qui» omnino delet. Quum vero facillimum semper fuerit, obstantia verba abjicere et amputare, quærit Garat. veterem lectionem tueri, si nimirum «qui quum intelligerent» positum existimemus pro «quum hi intelligerent», quod sæpius occurrit eloquendi genus. Quidquid id est, sensus est apertus.

5. *Blando et gratioso*. Feminis ac maxime meretricibus blanditiæ conveniunt, gratia vero quæ potest in adolescentibus esse sine infamia? Ascon.

6. *Paternos;* alii, *patronos*.

7. *Pecunia d. h. dejicerer*. Sic codex Guelferbytanus. J.V. L. — «Pecuniis d. h. dejicerer» Desjard. «pecuniæ

solum, sed etiam Q. Metellum; qui quam isti sit amicus, attendite : dedit enim prærogativam[8] suæ voluntatis ejusmodi, ut isti pro prærogativis eam reddidisse videatur. An me taciturum tantis de rebus existimavistis? et, in tanto reipublicæ existimationisque meæ periculo, cuiquam consulturum potius, quam officio et dignitati meæ? Arcessit alter consul[9] designatus Siculos : veniunt nonnulli, propterea quod L. Metellus esset prætor in Sicilia. Cum iis ita loquitur : se consulem esse; fratrem suum alterum Siciliam provinciam obtinere, alterum esse quæsiturum de pecuniis repetundis; Verri ne noceri possit, multis rationibus esse provisum.

X. Quid est, quæso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est? testes, præsertim Siculos, timidos homines et afflictos, non solum autoritate deterrere, sed etiam consulari metu, et duorum prætorum potestate? Quid faceres pro homine innocente et propinquo, quum, propter hominem perditissimum atque alienissimum, de officio ac dignitate decedis; et committis, ut, quod ille dictitat, alicui, qui te ignorat,

de honore dejicerent » Græv. Ern. Gar.

8. *Prærogativam.* Ludit Tullius in voce *prærogativa.* Sic enim dicebatur centuria, seu tribus, quæ « præ ceteris rogabatur », i. e. quæ prima ex censu, seu ex ordine quo in censorum tabulis fuerat descripta, suffragium in comitiis ferebat. In *prærogativa* tantum erat momenti, ut, quem elegerat magistratum, aliæ numquam rejicerent. Hinc *prærogativa* quandoque, ut h. l. pro omine secundo, certo signo, indicioque ac pignore, et quasi arrhabone futuræ rei optatæ usurpatur. Vid. J. F. Gronov. Obs. IV, 1. Sensus ergo est : Metellus, arcessendo Siculos, dedit Verri *prærogativam*, i. e. indicium eorum, quæ salutis illius gratia esset facturus, pro *prærogativis*, i. e. ut corruptarum a Verre centuriarum mercedem solveret, ut beneficium Verris persolveret, qui *prærogativarum* centuriarum suffragia redemerat, quibus consul ipse Metellus, et frater ejus prætor factus est.

9. *Alter consul.* Q. Metellus. Scilicet tres Verri favebant Metelli, unus designatus consul cum Hortensio, alter prætor urbanus, cui obtigerat in annum sequentem de repetundis quæstio, et qui tunc inter judices (c. 10) erat; tertius Siciliæ prætor.

verum esse videatur? Nam hoc Verrem dicere aiebant, te non fato[1], ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua, consulem factum. Duo igitur consules et quæsitor erunt ex illius voluntate. Non solum effugiemus, inquit, hominem in quærendo nimium diligentem, nimium servientem populi existimationi, M'. Glabrionem : accedet nobis etiam illud. Judex est M. Cæsonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus judicandis spectatus et cognitus; quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere : propterea quod jam antea, quum judex in Juniano[2] consilio fuisset, turpissimum illud facinus non solum graviter tulit, sed etiam in medium protulit. Hunc judicem ex kal. januar. non habebimus[3]. Q. Manlium et Q. Cornificium, duos severissimos atque integerrimos judices, quod tribuni plebis tum erunt, judices non habebimus. P. Sulpicius, judex tristis et integer, magistratum ineat[4] necesse est nonis decembr. M. Crepereius, ex acerrima[5] illa equestri familia et disciplina; L. Cassius, ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum severissima; Cn. Tremellius, homo summa religione et diligentia : tres hi homines veteres[6] tribuni militares sunt designati : ex kal. januar. non judicabunt.

X. 1. *Non fato.* Alludit ad facete dictum Nævii poetæ : « Fato Metelli Romæ fiunt consules », cui tunc Metellus consul iratus responderat : « Dabunt malum Metelli Nævio poetæ ».

2. *Juniano.* Quum Oppianicus, judice quæstionis Junio, damnatus est : tunc enim Cæsonius judex corruptos judices indicavit. Vide pro Cluent.

3. *Non habebimus.* Quia erit ædilis, et magistratus judicum partes sustinere per leges non possunt.

4. Lambin. *oportet.* J. V. L. — *Nonis decembr.* Tribuni plebis mense decembri magistratum inibant : quarto idus, secundum Livium, XXXIX, 52, et Dionys. Hal. VI; nonis vero, ætate Ciceronis, ut h. l. patet.

5. *Ex acerrima.* Ex familia equestri natus, nunc autem senator; quod ex eo liquet, quia judex est. Severis vero institutus disciplinis, quæ in equestri ordine vigebant.

6. *Veteres.* Antiquæ severitatis. — *Tribuni militares* ab imperatoribus ad annum usque 393; postea vero Romæ

Subsortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipsi quæstioni præfuturus est. Ita secundum kal. januar. et prætore, et prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamque judicii exspectationem ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus. Nonæ sunt hodie sextiles; hora nona convenire cœpistis. Hunc diem jam ne numerant quidem [7]. Decem dies sunt ante ludos votivos[8], quos Cn. Pompeius facturus est; hi ludi dies quindecim auferent; deinde continuo[9] Romani consequentur. Ita prope XL[10] diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ[11] a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur, deinde se ducturos et dicendo, et excusando[12], facile ad ludos Victoriæ[13]. Cum his plebeios[14] esse conjunctos: secundum quos[15] aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt. Ita defessa ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum prætorem esse venturam. Quem ego hominem, si ejus fidei diffisus essem, judicem non retinuissem: nunc tamen eo animo sum, ut eo

in comitiis snnt creati. T. Liv. VII, 5.

7. *Ne numerant quidem.* Quia proximnm est ut, præcone admonente, judicinm solvatur. « Majores novam relationem post horam decimam in senatu fieri vetabant. » Sen. de Tranq. an. 15.

8. *Ludos votivos.* Quos voverat Cn. Pompeius, si Sertorinm vinceret; et quos facturus est die XVI sextil. qui postea Augustus.

9. *Continuo.* Oratorie. Nam post ludos votivos quatuor toti vacui sequebantnr dies, ante *Romanos*, seu *magnos ludos.*

10. *Prope XL diebus.* Nempe XXXVIII.

11. *Quæ a nobis.* Diebus illis decem ante votivos ludos, et illis quatuor ante lndos Romanos, quibns agere licuerit.

12. *Excusando.* Aut occupationem, aut valitndinem. Lambinus dedit *recusando.* MS Gud. *accusando.* J. V. L.

13. *Ludos Victoriæ.* Hos Sulla institnit, Telesino Samnitum duce dubia pugna victo. Vell. Pat. II, 27. Celebrabantnr XXVII sept. per quinque dies.

14. *Plebeios.* Plebeii lndi, regibns exactis, pro libertate populi instituti, per triduum in Circo edebantur. Sequebantur, qnatridno interposito, Victoriæ lndos et committebantur die V octobris.

15. *Secundum quos.* Post lndos plebeios ad nonas decembres, quo die tres ex judicibna magistratum initnri erant, aut nulli, aut pauci ad jndican-

judice, quam prætore, hanc rem transigi malim; et jurato[16] suam, quam injurato aliorum tabellas committere.

XI. Nunc ego[1], judices, jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis: id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. Si utar ad dicendum meo legitimo[2] tempore, mei laboris, industriæ diligentiæque capiam fructum; et ex[3] accusatione perficiam, ut nemo umquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior[4] ad judicium venisse videatur. Sed in hac[5] laude industriæ meæ, reus ne elabatur, summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum, opinor, neque absconditum. Fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reservemus: nunc hominem tabulis, testibus, privatis publicisque literis auctoritatibusque accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi. Dicam aperte. Si te mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem; ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus operam consumerem: nunc, quoniam pugnare contra me instituisti, non

dum dies futuri sunt propter ferias, festosque dies.

16. *Jurato.* Judices jurabant; prætor non jurabat. Mavult Cicero, ut Metellus sit judex et suam ipse ferat sententiam, quam ut sit prætor et in sua potestate habeat tabellas omnium judicum.

XI. 1. Schütz, post Ernestium, malit « Nunc ego ». Frustra. J. V. L.

2. *Legitimo tempore.* Viginti diebus: tot enim dabat lex ad accusandum, totidemque defensori ad respondendum. Ascon.

3. *Ex* hoc loco non de latina consuetudine dicitur, estque mihi suspectum. An fuit, « ea accusatione? » Ernest. J. V. L.

4. Græv. malit, ex interprete veteri, *copiosior;* ita tamen ut optime vulgatam lectionem explicari posse fateatur. Nam *compositior* ad oratoriam, in componendis argumentis diligentiam refertur. Sic « cognoscere et componere causas » est meditari et præparare quid in causa dicendum sit.

5. *In hac laude.* Dum quæso hanc laudem.

tam ex tua natura, quam ex istius tempore[6] et causa, malitiose; necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Tua ratio est, ut secundum[7] binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem[8]. Ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta; meum hoc consilium, necessarium.

XII. Verum illud, quod institueram dicere, mihi rem tecum esse, hujusmodi est. Ego, quum hanc causam, Siculorum rogatu, recepissem, idque mihi amplum et præclarum existimassem, eos velle meæ fidei diligentiæque periculum facere[1], qui innocentiæ abstinentiæque fecissent: tum, suscepto negotio, majus mihi quiddam proposui; in quo meam in rempublicam voluntatem populus romanus perspicere posset. Nam illud mihi nequaquam dignum[2] industria conatuque meo videbatur, istum a me in judicium jam omnium judicio condemnatum vocari, nisi[3] ista tua intolerabilis potentia, et ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam judiciis usus es, etiam in istius hominis desperati causa[4] interponeretur. Nunc vero, quoniam hæc te omnis dominatio regnumque judiciorum tantopere delectat, et sunt homines[5], quos libidinis infamiæque suæ neque pudeat, neque tædeat; qui

6. *Ex istius tempore.* Quis Verris periculum, et mala ejus causa id postulant.

7. *Secundum.* Post ludos votivos et Romanos.

8. *Comperendinem.* Ut causa semel a nobis utrimque dicta, faciam judicibus comperendinandi potestatem. *Comperendinant* judices, quum, causa semel utrimque dicta, jubent ut perendie, i. e. in diem tertium reus et accusator revertantur, causam iterum dicturi. Vid. inf. cap. 18.

XII. 1. *Periculum facere.* In accusando Verre.

2. *Nequaquam dignum.* Humilius mihi videbatur, quam ut eo mihi descendendum esset.

3. *Nisi.* Si non cum istius causa confunderetur immensa illa Hortensii potentia, et nimium suarum partium studium, quæ simul insectarer.

4. Edit. Venet. « desperata causa ». J. V. L.

5. *Sunt homines.* Judices eos designat, qui de sua infamia, deque odio

quasi de industria in odium offensionemque populi romani irruere[6] videantur : hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, et mihi periculosum, verumtamen dignum, in quo omnes nervos ætatis industriæque meæ contenderem. Quoniam totus ordo paucorum improbitate et audacia premitur, et urgetur infamia judiciorum : profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum[7], assiduum, acerbum adversarium. Hoc mihi sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu[8], quod agam ex eo loco, ex quo me populus romanus ex kal. januar. secum[9] agere de republica ac de hominibus improbis voluit ; hoc munus[10] ædilitatis meæ populo romano amplissimum pulcherrimumque polliceor. Moneo, prædico, ante denuntio : qui aut deponere[11], aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam[12], aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc judicio manus animosque ab hoc scelere nefario.

XIII. Erit tum consul Hortensius cum summo im-

et offensione populi rom. minimum laborantes, religionem, fidem, veritatem pecunia venderent. MAN.

6. *Irruere*. Cum impetu, nullo pudore retenti.

7. *Odiosum*. Importunum. — *Acerbum*. Severissimum.

8. *In magistratu*. Ædilitate. — *Ex eo loco*. E rostris.

9. *Secum agere*. *Agere cum populo*, est populum ad concilium vocare, et rogationem ferre, quam suffragiis suis jubeat, aut vetet. Quod solis magistratibus licebat. *Agere* vero *ad populum* est verba facere ad populum, sine rogatione ; quod privatis, concedente magistratu, erat permissum. Vid. Gell. XIII, 15.

10. *Munus*. Sic appellabantur ludi quos populo exhibere ædiles debebant. Hoc spectaculum, inquit Cicero, polliceor populo pulcherrimum ædilitatis meæ.

11. *Deponere*. Pecunias apud sequestrem ad corrumpenda judicia. — *Recipere :* judicis gratiam polliceri.— *Accipere*, pecunia corrumpi.— *Polliceri* pecuniam. — *Interpretes*. Internuncios (gall. *les agents*.)

12. *Potentiam*. Nobiles Verri suffragantes carpit. — *Impudentiam*. In corrumpendo.

perio et potestate; ego autem ædilis, hoc est, paullo amplius[1] quam privatus: tamen hæc hujusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita populo romano grata atque jucunda, ut ipse consul in hac causa præ me minus etiam, si fieri possit, quam privatus esse videatur. -Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quæ inter decem annos, posteaquam judicia ad senatum translata sunt, in rebus judicandis nefarie flagitioseque facta sunt. Cognoscet ex me populus romanus, quid sit, quamobrem, quum equester ordo judicaret, annos prope quinquaginta[2] continuos, nulla [judice equite romano judicante] ne tenuissima[3] quidem suspicio acceptæ pecuniæ ob rem judicandam constituta sit; quid sit, quod judiciis ad senatorium ordinem translatis, sublataque[4] populi romani in unumquemque nostrum potestate, Q. Calidius[5] damnatus dixerit, minoris H-S. tricies prætorium hominem honeste non posse damnari; quid sit, quod, P. Septimio[6] senatore damnato,

XIII. 1. *Paullo amplius*. Nam ædilitas ex minoribus erat magistratibus, i. e. ex iis qui minoribus auspiciis creabantur.

2. *Prope quinquaginta*. Annis tantum XLIII equester ordo judicavit.

3. *Ne tenuissima*. Oratorie et ad tempus. Scribit enim Appianus de Bell. civ. I, equites non minus turpiter et flagitiose, quam senatores, judicia administrasse.

4. *Sublataque*. Sublatis per Sullam tribunis plebis, ad quos erat provocatio, si quis injusto judicio se condemnatum putaret. Quo metu dempto, turpiter deinde senatores judicarunt.

5. *Q. Calidius*. Ex prætura Hispaniensi damnatus repetundarum anno 677, quum sensisset id factum fuisse, quia judicium pecunia, eaque parva, corruptum fuerat, satis facete exprobravit sordidis judicibus, quod se tam parvo pretio damnassent: « vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis; hoc saltem honestatis esset in vobis ut hominem prætorium non vili pretio venderetis » (nempe non minore pretio quam sestertium trecentis millibus, 61,500 fr.) — Loco *tricies*, quod dedit Ascon. edd. vett. XXX. Pessime.

6. *P. Septimio*. P. Septimius, et sequentes C. Herennius, C. Popillius, M. Attilius postulabantur criminum quæ nihil quidem ad judicium corruptum pertinent. Sed quia flagitiose olim judicaverant, eorum damnationi hoc etiam caput additum est, ut pe-

Q. Hortensio prætore, de pecuniis repetundis, lis æstimata[7] sit eo nomine, quod ille ob rem judicandam pecuniam accepisset; quod in C. Herennio, quod in C. Popillio, senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt; quod in M. Attilio, qui de majestate[8] damnatus est, hoc planum factum est[9], eos pecuniam ob rem judicandam accepisse; quod inventi sunt senatores[10], qui, C. Verre prætore urbano sortiente[11], exirent in eum reum, quem incognita causa condemnarent; quod inventus [est] senator[12], qui quum judex esset, in eodem judicio et ab reo pecuniam acciperet, quam judicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret. Jam vero quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar? hoc factum esse in hac civitate, quum senatorius ordo judicaret,

cuniam, quam ob res judicandas acceperant, redderent.

7. *Lis æstimata.* In litis æstimatione, non omissa fuerit accepta pecunia, etc. *Litem æstimare*, est definire pecuniam, de qua lis est, summam facere omnium quæ a damnato reo repetuntur. Sic inf. 18. Porro æstimatio fiebat non solum ex titulo propositi criminis, sed etiam ex aliis probationibus, quæ ex ante actis rebus apud judices constiterint: hi peculatus crimine proposito, etiam quas judicando pecunias acceperant, reddiderunt.

8. *Majestate. Majestas* est quædam magnitudo populi rom. ac dignitas, quæ omnia jura summi imperii complectitur; quam qui contemnit, aut lædit, majestatis crimine tenetur. Vide Indic.

9. Schütz, «factum sit... inventi sint...» J. V. L.

10. *Senatores.* Hyperbole, ad augendam senatus invidiam. Unus tantum senator intelligendus est, C. Fidiculanius Falcula. Vid. pro Cæcin. 10; pro Cluent. 37.

11. *Sortiente.* Jus dicente. Cujus officii pars est sortitio judicum. — *Exirent.* Irent adversus reum. Porro in judicio Oppianici, quum ex triginta duobus judicibus, sexdecim corrumpendos suscepisset Stalenus judex, ipse decimus septimus futurus; et ex illo numero unus deesset, in ejus locum C. Fidiculanius Falcula, ad complendam Oppianici damnationem, dicebatur fuisse subito suppositus. De his et seqq. vide pro Cluent. 37, ubi orator contraria dicit, et Falculam omnino excusat.

12. *Senator.* C. Ælius Stalenus. — *Ab reo.* Oppianico. — *Ab accusatore.* Cluentio. Sed in ea, qua Cluentium defendit, oratione, a reo tantum datam pecuniam studet probare. Servit igitur utrique causæ, prout postulant tempora, Tullius: hic, ut senatores terreat; illic ut absolvatur Cluentius;

ut discoloribus[13] signis juratorum hominum sententiæ notarentur? Hæc omnia me diligenter severeque acturum esse, polliceor.

XIV. Quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc ipso judicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum atque commissum? quum præsertim planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, sæpe dixisse, « Se habere hominem potentem[1], cujus fiducia provinciam spoliaret; « neque sibi soli pecuniam quærere, sed ita triennium « illud præturæ Siciliensis distributum habere, ut secum præclare agi diceret, si unius anni quæstum in « rem suam converteret; alterum patronis et defensoribus suis traderet; tertium illum uberrimum quæstuosissimumque annum totum judicibus reservaret». Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M'. Glabrionem nuper quum, in rejiciendis judicibus, commemorassem, intellexi, vehementer populum romanum commoveri : me arbitrari fore, uti nationes exteræ legatos ad populum romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis judiciumque tolleretur: si enim judicia nulla sint, tantum unumquemque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitrentur[2]; nunc, quod ejusmodi judicia sint, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, prætori[3], judicibus satis futurum sit; hoc profecto infinitum esse; se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victoriæ[4] non

tristi sane exemplo et apud forenses inveterato!

13. *Discoloribus.* Vide Divin. c. 7.

XIV. 1. *Hominem potentem.* Hortensium, quem ita Verr. V compellat: « quæ iste (Verres) in provincia palam dictitabat, eum ea quæ faciebat, tua se fiducia facere, ea ne vera putentur, tibi maxime est providendum ».

2. Alii, « arbitrarentur ». J. V. L.

3. Alii, « prætoribus ». J. V. L.

4. *Victoriæ.* Absolutioni, quæ no-

posse. O commemoranda judicia, præclaramque existimationem nostri ordinis! quum socii populi romani judicia de pecuniis repetundis fieri nolunt [5], quæ a majoribus nostris sociorum causa comparata sunt. An iste umquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo majore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum romanum, quum in avaritia [6], scelere, perjurio vos sui similes esse arbitretur.

XV. Cui loco [1], per deos immortales, judices, consulite ac providete. Moneo prædicoque id, quod intelligo, tempus opportunissimum [2] vobis hoc divinitus datum esse, ut odio, invidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. Nulla in judiciis severitas, nulla religio, nulla denique jam existimantur esse judicia. Itaque a populo romano contemnimur [3], despicimur; gravi diuturnaque jam flagramus infamia. Neque enim ullam aliam ob causam populus romanus tribunitiam potestatem tanto studio [4] requisivit: quam

centissima largitione *ematur*, et multo plus exigat, quam quod sibi uni furatur prætor.

5. Non dubitat Ernest. Ciceronem scripsisse *nolent*, quum sermo sit de re futura, quam Cicero prædicebat. Nihil vero mutandum videtur. J. V. L.

6. *In avaritia*. In capienda contra leges pecunia. — *Scelere*. In ipso absolvendo, homine nocentissimo. — *Perjurio*. In contemnendis legibus, in quas jurastis.

XV. 1. *Cui loco*. Huic rei, huic existimationi.

2. *Opportunissimum* deest in duob. codd. Omiserunt Lamb. et Ernest. Et hic quidem eam ob causam, quod, verbum *opportunus* requirat, vel *quo* (*tempore*), vel genitivum; non autem eo posito sequatur *ut*. Recte autem monuit Beckius verba *ut liberetis* pendere a *datum esse*.

3. *Contemnimur*. Nempe senatores. In senatorum numerum post quæsturam fuerat receptus Cicero. Nunc vero suam cum eis causam communicat, ut contumeliose in eos dicta, non ex odio seu ira, sed ex quodam pollutæ tantæ dignitatis dolore, profecta videantur.

4. *Tanto studio*. Per tres annos continuos. — *Requisivit*. Qualis ante Sullam fuerat; nam is valde eam minuit, lege lata, ne ei, qui tribunus plebis fuisset, postea alios magistratus capere liceret.

quum poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera judicia poscebat [5]. Neque hoc Q. Catulum [6], hominem sapientissimum atque amplissimum, fugit, qui Cn. Pompeio, viro fortissimo et clarissimo, de tribunitia potestate referente [7], quum esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctoritate usus: « Patres « conscriptos judicia male et flagitiose tueri; quod si « in rebus judicandis populi romani existimationi sa- « tisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse « tribunitiam potestatem desideraturos ». Ipse denique Cn. Pompeius, quum primum concionem ad Urbem [8] consul designatus habuit; ubi (id quod maxime exspectari videbatur) ostendit, se tribunitiam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus, et grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione quum dixisset: « Populatas vexatasque esse provin- « cias; judicia autem turpia et flagitiosa fieri; ei rei « se providere ac consulere velle; » tum vero non strepitu [9], sed maximo clamore suam populus romanus significavit voluntatem.

5. *Judicia poscebat.* Tribuni plebis efficiebant, ut populus de judiciis posset cognoscere, quod, eorum sublata potestate, fieri non poterat.

6. *Q. Catulum.* Ejus filium, qui cum C. Mario consul fuit. Simultatem aliquam cum Pompeio gessit, quod non nisi post collegam fuerat designatus.

7. *Referente.* Proponente in senatu ut tribunitia potestas restitueretur. Tunc maxima invidia laborasse Pompeius dicitur, quod consul populo tribunitiam potestatem, tot malorum causam, reddidisset. Conf. de Leg. III, 11.

8. *Ad Urbem.* Extra urbis muros. Pompeius, Sertoriano bello confecto, quum triumphum exspectaret, de more ad urbis portas remanserat. Nemini enim, qui cum imperio provinciali esset, in urbe esse licebat, salvo imperio. Nemo autem deposito imperio triumphabat; peracto triumpho imperium deponebatur. Vide Cortium ad Sallust. Catil. XXX, 4.

9. *Non strepitu.* Quam populo judiciorum severitas cordi esset, ex hoc intelligi vult; quod tribunitiam potestatem vehementer expetitam populus *strepitu* tantum et admurmuratione exceperit, hanc vero de judiciis coercendis promissionem « maximo clamore », quasi magis in hanc rem Pompeium acuere et inflammare voluisset.

XVI. Nunc autem homines in speculis[1] sunt; observant, quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat in retinenda religione, conservandisque legibus. Vident adhuc post legem[2] tribunitiam unum[3] senatorem vel tenuissimum[4] esse damnatum : quod tametsi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. Hoc est judicium, in quo vos de reo, populus romanus de vobis judicabit; in hoc homine statuetur, possitne, senatoribus judicantibus, homo nocentissimus pecuniosissimusque damnari. Deinde est hujusmodi reus, in quo homine nihil sit, præter summa peccata, maximamque pecuniam; ut, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea, quæ turpissima[5] est, residere possit : non gratia, non cognatione, non aliis recte[6] factis, non denique aliquo mediocri vitio[7], tot tantaque ejus vitia sublevata esse existimabuntur. Postremo ego causam sic agam, judices : ejusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut nemo a vobis, ut istum absolvatis, per gratiam conetur con-

XVI. 1. *In speculis.* Omnes intentis oculis vos spectant.

2. *Post legem.* Ex quo lege Pompeii restituti sunt tribuni.

3. Lambin. ex Asconio dedit « unum hominem ». Male. J. V. L.

4. *Tenuissimum.* Pauperrimum; qui, unde judices corrumperet, non habebat. Non autem erat Dolabella, ut putat Asconius, qui multo ante legem tribunitiam, i. e. ante consulem Pompeium damnatus erat; ut facile ex Verr. I constat; neque etiam tenuissimus homo fuisset vocatus.

5. *Turpissima.* Nempe absolutum eum sua pecunia.

6. Lambinus, ut aliquid mutaret, maluit « non ullis recte factis ». J. V. L. — Sæpe enim *alia* reorum *recte facta* ad commovendos judices proferebantur. Conf. Verr. V ad init. et de Inv. II, 34, ubi reus dicitur « multorum suorum recte factorum causa ut uni delicto ignoscatur » postulare.

7. *Vitio.* Scil. judicum in re judicanda. Sic Manut. Sch. Alii interpretantur : Aliqua ratione, quæ mediocriter saltem sit vitiosa, seu quæ, quamvis illicita, possit excusari; ut si, v. g. nimia assentatione judicum animos sibi conciliasset. Quo in loco omnes cum Asconio errare mihi videntur.

tendere[8]. Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi romani interesse videantur. Vos aliquot jam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere[9] potestis. Constat inter omnes, post hæc constituta[10] judicia, quibus nunc utimur, nullum hoc splendore[11] atque hac dignitate consilium fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes homines non jam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res judicandas quærendum arbitrabuntur.

XVII. Quapropter primum ab diis immortalibus, quod sperare[1] mihi videor, hoc idem, judices, peto[2], ut in hoc judicio nemo improbus, præter eum[3], qui jampridem inventus est, reperiatur : deinde, si plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo romano, judices, confirmo; vitam mehercule mihi prius, quam vim perseverantiamque, ad illorum improbitatem persequendam, defuturam. Verum quod ego laboribus, periculis, inimicitiisque meis tum, quum admissum erit, dedecus, severe me persequuturum esse polliceor, id ne accidat, tu tua sapientia, auctoritate, diligentia, M'. Glabrio, potes providere[4]. Suscipe causam judicio-

8. *Contendere*. Nemo enim audebit, quum objici videatur ejusmodi res.

9. Male omissum « ac tollere » in quibusdam MSS et edd. Nam et oriretur clausula hexametri, et tolleretur membrorum æqualitas. J. V. L.

10. *Constituta*. Ex quo Sulla constituit, ut senatores soli judicarent.

11. *Hoc splendore*. Propter integritatem et honores præclare gestos.

XVII. 1. *Sperare*. Subaud. *debere* seu *posse*. Quod sæpius apud auctorem nostrum usurpatur. Frustra Lambin. addidit *debere*.

2. Lambin. e MSS, *opto*.

3. *Eum*. Verrem, cujus jam pridem nota est improbitas.

4. *Potes providere*. Faciendo tua diligentia, ut ne quis eorum, qui adsunt, corrumpatur.

rum; suscipe causam severitatis, integritatis, fidei, religionis; suscipe causam senatus, ut is hoc judicio probatus, cum populo romano et in laude et in gratia esse possit. Cogita, qui sis[5], quo loco sis, quid dare populo romano[6], quid reddere majoribus[7] tuis debeas; fac tibi paternæ legis Aciliæ[8] veniat in mentem, qua lege populus romanus de pecuniis repetundis optimis judiciis, severissimisque judicibus usus est. Circumstant te summæ auctoritates, quæ te oblivisci laudis domesticæ non sinant; quæ te dies noctesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum[9], gravissimum socerum fuisse. Quare si Glabrionis patris vim et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis; si avi Scævolæ prudentiam ad prospiciendas insidias, quæ tuæ atque horum famæ comparantur; si soceri Scauri constantiam, ut ne quis te de vera et certa possit sententia demovere; intelliget populus romanus, integerrimo atque honestissimo prætore, delectoque consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuisse momenti ad suspicionem criminis, quam ad rationem salutis.

5. Abest «qui sis» ab aliquot edd. et MSS. Addidere Victor. et Manut. et ceteri, sed sine altero *sis*, quod Ernest. post Græv. restituit. J. V. L. — *Quo loco* ad tribunal refert Asconius, ad dignitatem Manutius: quod satius videtur.

6. *Dare populo rom.* Qui tibi præturam mandavit.

7. *Reddere majoribus.* Quam ab iis laudem accepisti, eamdem redde.

8. *Legis Aciliæ.* Significatur lex de repetundis, quam tulit hujus pater tribunus plebis, qua licebat, semel dicta causa, reum condemnare aut absolvere, nisi ampliarent judices. Cf. Verr. I, 9, et Ind. Leg. Ceterum significat id Glabrioni cavendum esse, ne patri filius desit, cui hujus legis auctori alienissimi non defuerunt.

9. *Avum.* Scævolam Glabrionis avum maternum, juris peritissimum. — *Socerum.* M. Æmilium Scaurum, virum consularem, et senatus principem; quem unus Sallustius in Jug. 15, ut pecuniæ, honoris, etc. avidum describit, ceteri scriptores ut gravissimum et prudentissimum laudant. De illo vid. C. V. *De Brosses*, t. XXIV, *Mém. de l'Acad. des Inscript.*

XVIII. Mihi certum est non committere, ut in hac causa prætor nobis consiliumque[1] mutetur. Non patiar rem in id tempus duci[2], ut Siculi, quos adhuc servi designatorum consulum non moverunt[3], quum eos novo exemplo universos arcesserent, eos tum lictores consulum vocent; ut homines miseri, antea socii atque amici populi romani, nunc servi ac supplices, non modo jus suum fortunasque omnes eorum imperio amittant, verum etiam deplorandi juris sui potestatem non habeant. Non sinam profecto, causa a me perorata, quadraginta diebus[4] interpositis, tum nobis denique respondeant, quum accusatio nostra in oblivionem diuturnitate adducta sit: non committam, ut tum res judicetur, quum hæc frequentia[5] totius Italiæ Roma discesserit; quæ convenit uno tempore undique comitiorum, ludorum[6], censendique causa. Hujus judicii[7] et laudis fructum, et offensionis periculum, vestrum; laborem, sollicitudinemque, nostram; scientiam, quid agatur, memoriamque, quid a quoque dictum sit, omnium puto esse oportere. Faciam hoc

XVIII. 1. *Consilium.* Jodices mutentur. Quod sperat Verres.

2. MSS *adduci.* Seqountur fere nunc emendationem Gronovii, Obs. V, 12. Scriptam tameo lectionem servavit Beckius. J. V. L.

3. *Non moverunt.* Nou Hortensio parueruot qui eos arcessebat per servos: nam consules lictorum jus, nisi inito magistrato, noo habebant. Vid. sup. c. 9. Nota vocem *Siculi* a nullo verbo pendere, ita ut sit insolentius: quamvis exemplis non careat tale dicendi genus, et hoc præsertim loco planissime cum altero membro *homines miseri* possit eoojungi.

4. *XL diebus.* Vid. sup. cap. 10, constructionis exemplum.

5. *Hæc frequentia totius Italiæ... censendique causa.* Quæ ex monicipiis venit, suffragiorum causa, aut propter ludos, aut ut apud ceosores censeatur. Vide Iodicem.

6. *Judiciorum.* At *ludorum* ex Asconio. J. V. L.

7. *Hujus judicii.* Sensus est: Ad vos perveniet ex hoc judicio fructus laudis, si recte; aut odium et offensio populi, si prave jodicaveritis; mihi incumbit labor et sollicitudo hujusce accusatioois; sed puto oportere, ut hæc multitodo sciat quæ causa agatur, et memoria teneat, quid a quoque teste dictum fuerit. Ad siogola membra subaudiendum est, *puto esse oportere.*

non novum, sed ab iis, qui nunc principes[8] nostræ civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim : illud a me[9] novum, judices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem : ut nihil inter illam usitatam accusationem, atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, quum omnia dicta sunt, testes dantur; hic in singulas res dabuntur; ut illis[10] quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi dicendique sit. Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, altera actione[11] audiet: nunc id[12], quod facimus (ea ratione facimus, ut malitiæ illorum consilio nostro occurramus), necessario fieri intelligat. Hæc primæ actionis erit accusatio. Dicimus, C. Verrem, quum multa libidinose, multa cru-

8. *Principes.* L. et M. Licinios, ambo consulares, nominat Asconius; qui, quum accusarent L. Cottam anno 675 non usi sunt oratione perpetua; sed interrogatione testium causam peregerunt.

9. *Illud a me.* Non, quod illi principes fecerunt, testes appellabit Cicero, priusquam crimen totum breviter explicuerit; sed testes ita constituet, ut interrogatione sua, i. e. propositione primum, crimen totum per partes explicet hoc pacto, e. g. « Verres illo die, ex illo templo, illud signum sustulit » ; atque ubi id argumentis et oratione firmaverit, tum testes excitet qui ad illud crimen pertineant, et Hortenaio defensori interrogandos tradat; ut post interrogationem, ipse quoque argumentandi se dicendi facultatem habeat. Hoc infra apertius. Quo major huic loco lux fiat, credit Garat. duplicem testium interrogationem fuisse, alteram brevem, quantum *argumentis* sufficeret, alteram solemnem ac necessariam, quum, unoquoque proposito crimine, testes, tabulas, auctoritates edere volebat Tullius. Apparet autem ea ratione Licinios egisse, ut testes omnes ante orationem interrogarint; Cicero autem in singulas res ita eos dabat, ut cujusque rei narratiunculam sui testes sequerentur.

10. *Illis.* Verri et Hortensio.

11. *Altera actione.* Quam lex Servilia dabat.

12. *Nunc id.* Inconsequens Asconio videtur locutio, et obscura, multique mendosum locum suspicantur; cujus tamen facilis explanatio : intelligat ille, quæso, necessitatis vi fieri id quod facimus (scil. novum illud accusandi genus); nempe ideo facimus ut malitiæ illorum, etc. Nihil habet re-

deliter in cives romanos atque in socios, multa in deos hominesque nefarie fecerit, tum præterea quadringenties [13] sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse. Hoc testibus, hoc tabulis privatis, publicisque auctoritatibus, ita vobis planum faciemus, ut hoc statuatis, etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse [14].

petitio illa *facimus* quod miremur, si modo familiares Tullio locutiones novimus.

13. *Quadringenties* (8,500,000 fr.) Notandum in Divinat. Siciliæ nomine multo plura Ciceronem obiter repetiisse; nunc vero, quum, peragrata provincia, ipse per se Verris injurias viderit ac æstimaverit, non jam sestertium millies (20,500,000 fr.) vindicantem Siciliam inducit; sed ipse illam tantum, constituto judiciu, definit summam, quam veram esse publicis privatisque auctoritatibus probaturum se pollicetur. Vide Divin. c. 5, not. 7. Hinc ortus Plutarchi error qui in Cic. vit. prævaricationis et conniventiæ suspicione laborasse Tullium dicit, quod ita de priore summa demiserit, et tantummodo drachmarum septingena quinquagena millia (680,000 fr.) repetierit; quod omnino falsum atque absurdum est.

14. Vocem *dixi* addit Ascon. quem sequuti sunt Manut. Verb. Oliv. Lall. Merito non receperunt Gruter. Græv. et alii; quum illud procemium tantummodo sit orationis.

M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS SECUNDÆ

LIBER PRIMUS

DE PRÆTURA URBANA

ARGUMENTUM

ASCONII PEDIANI.

Deinceps hæc omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum: quod ita factum est. Fingit Cicero adesse in judicio Verrem comperendinatum, et respondere citatum et defendi. In ceteris enim orationibus defensor futurus, accusationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compensare decrevit, et quoniam accusare multos indecorum Tullio videbatur, in una causa vim hujus artis et eloquentiam demonstrare. Nam et bene intelligentes omnem virtutem oratoriam quæcumque in criminationibus constituta est, hic expressam vident, et contra ex hoc defensionum vim in ceteris orationibus et nervos ejus ex hac virtute cognoscunt, quæ in opprimendo exprimitur reo; igitur rerum scena sic facta est, ut dicit Tullius, non autem acta res est. Adest, inquit, Verres, respondet, defenditur. Ergo quum prima actione accusatus sit ac defensus Verres, nunc velut defensus iterum (sic enim mos erat), in altera actione, accusatur ad ultimum rursus oratione perpetua. Crimina repetundarum, et alia pleraque ex anteacta vita sæpe firmantur. Sumitur etiam hinc sæpe defensio. Omnis enim confirmatio ab attributis personæ et negotio sumi solet. Ergo attributa personæ maxime in anteacta vita quæri solent, negotium in ipso crimine. Libros igitur pro qualitate criminum Tullius dividens anteactis unum dedit, hunc scilicet solum; crimini ipsi repetundarum quatuor: unum de jure dicendo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartum de suppliciis. Ad hanc enim similitudinem poeta Virgilius Minoem judicem apud inferos, tamquam si prætor sit rerum capitalium, quæsitorem appellat. (Æn. VI, 432.) Dat ibi sortitionem, ubi urnam nominat; dat electionem judicum, quum dicit: «conciliumque vocat»; dat cognitionem facinorum, quum dicit: «vitasque et crimina discit». Ergo hic liber qui de anteacta vita est statum necesse est conjecturalem habeat. Capita autem quæ ipse Tullius fecit, dividendo totam hanc accusationem, sunt hæc. Primum in quæsturam; deinde in legationem et vice-quæsturam; tertio in

præturam urbanam, quarto in præturam Siciliensem. Nam quum omnes ejus actus quæsturæ nomine, legationis, præturæ urbanæ, Siciliensisque quadripartita librorum divisione cognoscantur; anteacta ejus omnia hoc libro comprehensa sunt ad eorum fidem, quæ post dicentur. Procemia sane hujus libri in simulatione constituta sunt, quasi veræ accusationis; in Verrem audentem adesse atque defensum; in exhortatione judicum ad recte judicandum; tum in minis contra adversarios; et in exhibenda ratione officii sui, cur ita maluerit accusare, ut prima actione tantum testibus uteretur. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut non tam nova dicere, quam dicta libri superioris instaurare videatur. Post hæc omnia ipsius Ciceronis per honores Verris cum criminibus junctos, divisio per ordinem currit.

ALIUD ARGUMENTUM.

Quum Cicero actione prima, tabulis ac testibus Verrem obruisset, vehementi ejus impetu exterritus Hortensius, *de statu omni dejectus est, nec pro familiari reo summus orator respondit;* Orat. 37. Verres ipse, antequam ex comperendinatione causa iterum agi posset, in exsilium abiit. Quum vero in hac accusatione suam eloquentiam continere ac refrenare coactus esset Cicero, neque, pro rei gravitate ac sua dicendi laude, orationem habere potuisset, hoc in secunda actione facere constituit; et quamvis hanc non exspectasset Verres, istum tamen totis eloquentiæ viribus insequi voluit, et simul querenti Hortensio, nova hac agendi ratione oppressum fuisse reum, ostendere multo facilius causa casurum fuisse Verrem, si ejus facinora ab accusatore fuissent explanata. Studium ejus forense præterea semper in amicorum defensione versatum fuerat, neque antea quemquam accusarat; quod quum faceret denique, statuit in hoc uno reo vim artis accusatoriæ demonstrare; et perpetuam conscripsit actionem secundam, libris quinque divisam, in qua finxit Verrem comperendinatum in judicio adesse, respondere et defendi.

Tota accusatio in quatuor capita distribuitur; quorum tria, quæsturæ nimirum; legationis in Asia, Achaia et Pamphylia; et præturæ urbanæ, unde traxit nomen oratio, hoc libro continentur. Quartum caput, de prætura Siciliensi, quod proprium est hujusce quæstionis de repetundis, in quatuor, qui hunc sequuntur, libris tractatur. Quum vero mos esset apud Romanos ut accusator non ea tantum exponeret, quæ ad ipsum crimen, de quo postulatus esset reus, pertinerent, sed et totam vitam anteactam indagaret, in hoc primo libro Verris flagitia inde a quæstura usque ad præturam urbanam exponuntur. Estque adeo hic liber quasi introductio ad ipsam accusationem, ut præmissa ea scelera majorem sequuturæ accusationi fidem afferant, et ad nova Siciliensis præturæ facinora judices quasi manu ducere videantur.

Fuerunt olim qui septem orationes Verrinas numerarent con-

tinuas; ita quidem ut primam appellarent, Divinationem n Q. Cæcilium, secundam actionis primæ prooemium, etc. Cicero tamen ipse accusationis in Verrem quinque libros numerat, Orat. cap. 29. Idem faciunt alii veteres, ut Quintil. XI, 11. A. Gell. I, 7; XIII, 13. Auct. dial. de Orat. 20.

Partes habet hæc oratio *exordium*, seu longius prooemium, 1-11; *propositionem* et *partitionem* in tria capita divisam, 12. Hæc capita reliqua tota oratione tractantur, 13-61.

Ceterum operæ pretium est monere, non unum quemque actionis secundæ librum justis orationis partibus constare; neque id fieri posse, quum Verrinæ illæ quinque unam tantum, sed diversis capitibus distinctam accusationem contineant; magnificum ergo ac perpetuum opus est, quod ideo tantum in partes dividit Cicero, ut ad humani ingenii imbecillitatem accommodaretur, nec oculos immensa quadam mole terreret.

In *exordio* Cicero mentionem facit opinionis, quæ per hos dies sermone vulgi percrebruerit: Verrem altera actione responsurum non esse, neque ad judicium affuturum; attamen eum adeo impudentem esse, ut præsto sit, ad audiendum et respondendum paratus. Hoc Cicero negat se moleste ferre, quia sic ipse laboris sui, judices virtutis et severitatis majorem fructum laturi sint. Se enim accessisse ad invidiam judiciorum levandam; ideoque reum nocentissimum accusare, qui si absolvatur, recusari non posse de judiciis a senatu ad alium ordinem transferendis. Absolutionem vero ejus nec ipsum sperare, nec populum romanum metuere; esse tamen qui de impudentia ejus, quod adsit, quod respondeat, mirentur. Hoc autem fieri, quod scelerum suorum pœnis agitetur, et a mente consilioque deducatur, 1-3. Etenim si vel ex hoc judicio repetundarum emerserit, alia tamen ei pericula impendere, quum peculatus, aut majestatis accusatus fuerit, 4, 5. Tum exponit orator, quid adhuc in accusando Verre egerit, quid a judicibus speret, et quam rationem accusandi in hac altera actione sequuturus sit, 6-11.

Totius autem causæ *partitionem* hanc facit, ut omissis pueritiæ et adolescentiæ Verris flagitiis, primum se de ejus quæstura in Gallia, deinde de legatione Asiatica, tum de prætura urbana, postremo de prætura Siciliensi acturum denuntiet, 12.

Primo igitur actionis secundæ libro tria priora capita pertractantur.

Ac primum quidem agitur de ejus quæstura in Gallia. Quum enim quæstor ex SCto provinciam sortitus esset consularem, additusque esset consuli Cn. Papirio Carboni A. U. C. 699, venit in Galliam ad exercitum consularem cum pecunia publica, quam, prima occasione data, avertit, et consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit; rationes male reddidit. Et postea, quum eum Cn. Dolabella, C. Malleolo occiso, pro quæstore haberet, quæ ipsum gravabant crimina in illum contulit, et in eum inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit, 13-16.

Secundo loco agitur de legatione ejus Asiatica. Quum enim Cn. Dolabellæ provincia Cilicia obtigisset, Verres legationem sibi apud eum cupidissime expugnavit. Qua in legatione quæ furta fecerit in Achaia, Deli, in Asia narratur, 17-23. Deinde quæ fuerint ejus flagitia in libidinibus et stupris exponitur, in primis insigne facinus Lampsacenum. Quum enim Lampsaci devertisset ad Philodamum hominem nobilem, filiæ ejus vim inferre voluit, et quum Lampsaceni Philodamo ejusque filio ita succurrerent, ut Verres ipse vix salvus evaderet, per Dolabellam apud C. Neronem Asiæ prætorem effecit, ut Philodamus ejusque filius damnarentur, et securi percuterentur, 24-33. Sequitur avaritiæ exemplum apud Milesios, quibus præter lanam publicam ablatam, iniquos sumptus in adventum, contumelias et injurias in magistratum Milesium, myoparonem pulcherrimum abstulit et vendidit, 34, 35. Idem iste quum in locum C. Malleoli comitis ac sodalis sui, in quæstorio munere successisset, simul pupilli Malleoli tutor factus, in ejus bona scelestissime impetum fecit, et quum H-S vicies quinquies (512,500 fr.) redegisse constaret, ut Romam rediit, nullam libellam pupillo, nullam matri ejus, nullam tutoribus reddidit, 36, 37. Pro quæstore vero Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque frumento imperando, æstimando, aliisque rationibus pecuniam exigendo vexavit, 38, 39.

Postremo loco crimina a Verre in prætura urbana commissa pertractantur, ubi primum docetur, qualis in edicto constituendo fuerit, exemplis edictorum de mulierum hereditatibus,

40-44. Et de hereditatum possessionibus, 45, 46. Deinde quæ ejus crudelitas et superbia in plebem romanam fuerit, quæ decretorum novitas et iniquitas, 47, 48. Tum quomodo in tuendis publicis ædificiis versatus sit, 49. In primis in æde Castoris, quam quum tuendam habuisset P. Junius, post ejus mortem filium impuberem, nova locatione, omnibus bonis patriis exuit, 50-59. Denique quomodo publicum judicium exercuerit, 60 seqq. Verum hujus partis pleraque una cum ceteris usque ad finem libri primi interciderunt.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

IN C. VERREM
ACTIO SECUNDA.
LIBER PRIMUS.

DE PRÆTURA URBANA.

ORATIO SEXTA.

I. NEMINEM vestrum ignorare arbitror, judices, hunc per hosce dies sermonem vulgi[1], atque hanc opinionem populi romani fuisse, C. Verrem altera actione responsurum[2] non esse, neque ad judicium affuturum. Quæ fama non idcirco solum emanarat, quod iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse; verum etiam, quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur,

1. *Vulgi*. Ad h. l. adnotat Quintil. IX, 4 : « Cnr *hosce* potius quam *hos ?* neque enim erat asperum. Rationem fortasse non reddam, sentiam esse melius. Cnr non satis sit *sermonem vulgi fuisse?* compositio enim patiebatur. Ignorabam; sed ita, nt audio, hoc animns accipit plennm sine hac geminatione non esse ». Nonnulli libri veteres « vnlgo, populo », qnos et Tulliana elegantia et Quintiliani auctoritas h. l. refellit.

2. *Responsurum*. Præconi et accusatorem et reum citanti : præsto futnrnm in judicio, nt apud Phæd. « citati non respondent ». Tunc enim *respondere* dicebantur, qnum a præcone appellati prodirent, seque adesse testati debitum in judicio sibi locum occuparent. Sic infra « præsto est, respondet, defenditur » ; et Verr. II, 40 : « citatus accusator M. Pacilius nescio qno casu, non respondit, non affnit ». Sic Ascon. Græv. Ferrat. Ma-

qui tam nefariis criminibus, tam multis testibus evictus[3], ora judicum adspicere, aut os suum populo romano ostendere auderet. Est idem Verres, qui fuit semper; ut ad audendum projectus[4], sic paratus ad audiendum[5]: præsto est; respondet; defenditur. Ne hoc quidem sibi reliqui facit, ut in rebus turpissimis, quum manifesto teneatur, si reticeat, et absit, tamen impudentiæ[6] suæ pudentem exitum quæsisse videatur. Patior[7], judices, et non moleste fero, me laboris mei, vos virtutis vestræ fructum esse laturos. Nam si iste id fecisset, quod primo statuerat, ut non adesset; minus aliquando, quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem: vestra vero laus tenuis plane atque obscura, judices, esset. Neque enim hoc a vobis populus romanus exspectat, neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit; et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere. Imo vero adsit, respondeat; summis opibus, summo studio potentissimorum hominum defendatur; certet mea diligentia cum illorum omnium cupiditate; vestra integritas cum istius pecunia; testium constantia cum illius patronorum minis atque potentia: tum demum illa victa videbuntur, quum in contentionem

nutius autem *responsurum* accipit, quasi per Hortensium orationem sit habiturus Verres, et adnotat reum in judicio tacere, et per patronum tantummodo respondere. Vere, sed *non erat hic locus.*

3. Scholiast. anon. et quidam scr. lib. *convictus.* J.V. L. — Vulgatam ut exquisitiorem et hoc sensu non semel occurrentem defendunt Græv. Ernest. Beck.

4. *Projectus.* De eo nempe dicitur qui audaciæ est eminentis ac projectæ.

5. *Audiendum.* Subaud. omnia sibi objecta probra: qui promptus est ad quidvis probrum audiendum, qui nullo pudore suffunditur.

6. *Impudentiæ.* Aliquo saltem pudoris vestigio impudentem vitam obtegat.

7. *Patior.* Verumtamen gaudeo Verrem non abiisse: sic enim laudem feremus, ego ex mea diligentia, vos ex integritate vestra. Summa cum digni-

certamenque venerint. Absens[8] si iste esset damnatus, non tam ipse sibi consuluisse, quam invidisse vestræ laudi videretur.

II. Neque enim salus ulla reipublicæ major hoc tempore[1] reperiri potest, quam populum romanum intelligere, diligenter rejectis[2] ab accusatore judicibus, socios, leges, rempublicam, senatorio consilio maxime posse defendi: neque tanta fortunis omnium pernicies potest accedere[3], quam opinione populi romani rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis, ab hoc ordine abjudicari. Itaque mihi videor magnam, et maxime ægram, et prope depositam reipublicæ partem[4] suscepisse; neque in eo magis meæ, quam vestræ laudi existimationique servisse. Accessi enim ad invidiam judiciorum levandam, vituperationemque tollendam: ut, quum hæc res pro voluntate populi romani esset judicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta[5] auctoritas judiciorum videretur; postremo, ut esset[6] hoc judicatum, ut finis aliquando judiciariæ controversiæ constitueretur. Etenim sine dubio, ju-

tate *laboris fructus* in honesta laude ponitur. Vide Cortium ad Sallust. Cat. XXXV, 3.

8. *Absens.* In exsilium voluntarium ante latam sententiam profectus. — *Damnatus.* Namque ideo non vitabatur damnatio, et damnatum hic ipsum iri supponitur.

II. 1. *Hoc tempore.* Quo populus illam veterem judiciorum vim requirit. Divin. 3.

2. *Rejectis.* I. e. electis. Vid. Act. I, 3.

3. Ruhnken. ad Rutil. Lup. pag. 3, *accidere*, quod habebant jam quædam edd. J. V. L.—*Quam opinione.* Quam prave judicando facere, ut populus rom. opinetur æquitatem, etc. in senatorum judiciis remanere non posse.

4. *Partem.* Judicia. — *Depositam.* Desperatam. Metaphora de ægrotis sumpta, qui desperati ante januas suas deponebantur, ut a prætereuntibus viserentur ac curarentur, si quid forte opis in eis esset. Vide Serv. ad Æn. XII, 395.

5. *Constituta.* Constabilita.

6. Lambino placebat « quum esset hoc judic. » Mureto » ut ut esset h. » Alii aliter conjiciunt. Legit Hotom. « et finis ». Ceterum docet J. F. Gron. Observ. III, 6, *ut* sæpe idem esse ac *utut*, *utcumque.* Quod etsi verissimum est, parvam tamen h. l. obscuritatem

dices, in hac causa ea res[7] in discrimen adducitur. Reus est enim nocentissimus : qui si condemnatur, desinent homines[8] dicere, his judiciis pecuniam plurimum posse; sin absolvitur, desinemus nos de judiciis transferendis recusare. Tametsi de absolutione istius neque ipse jam sperat, nec populus romanus metuit. De impudentia singulari, quod adest, quod respondet, sunt qui mirentur : mihi, pro cetera ejus audacia atque amentia, ne hoc quidem mirandum videtur. Multa enim et in deos et in homines impie nefarieque commisit; quorum scelerum pœnis[9] agitatur, et a mente consilioque deducitur.

III. Agunt eum præcipitem pœnæ civium romanorum; quos partim[1] securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium dii patrii : quod iste inventus est, qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religiones vero cærimoniæque omnium sacrorum fanorumque violatæ, simulacraque deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris ab isto retrusa[2] atque abdita, consistere ejus animum

parit *ut esset*, quia particula *ut* paullo ante, et statim alio sensu ponitur. Sensus est : Denique, utcumque hoc sit judicatum, finem judicium illud controversiæ de judiciis constituet : nam si damnatur Verres, reconciliabitur senatoribus amissa existimatio; sin autem absolvitur, nemo recusare honeste poterit, quo minus ad equites judicia transferantur.

7. *Ea res*. An judicia penes ordinem senatorium manere debeant, necne.

8. Sic vett. edd. et MSS nonnulli. Apud Lambin. et Gruter. « omnes dicere ».

9. *Pœnis*. Furiis ultricibus. Sic paullo post : « pœnæ civium romanorum », et in Pison. 37, ac Dom. 9. De pulcherrimo hoc toto loco, conferre operæ pretium esset scriptam elatissimis sensibus D. Juven. Sat. XIII.

III. 1. *Quos partim*. Hæc fuse tractantur Verrina ultima de suppl. c. 28 et sqq.

2. *Retrusa*. Ne sacrilegium pateret.

sine furore atque amentia non sinunt[3]. Neque iste mihi videtur se ad damnationem offerre solum, neque hoc avaritiæ supplicio[4] communi, qui se tot sceleribus obstrinxerit, contentus esse : singularem quamdam pœnam istius immanis atque importuna natura desiderat. Non id solum quæritur, ut, isto damnato, bona restituantur iis, quibus erepta sunt; sed et religiones deorum immortalium expiandæ, et civium romanorum cruciatus, multorumque innocentium sanguis, istius supplicio luendus est. Non enim furem, sed ereptorem[5]; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque, in vestrum judicium adduximus : ut ego hunc unum ejusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari[6] expediret.

IV. Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum, diis hominibusque invitis, tamen ex manibus populi romani eripi nullo modo posse? Quis hoc non perspicit, præclare nobiscum[1] actum iri, si populus romanus istius unius supplicio contentus fuerit[2], ac non sic statuerit, non istum majus in sese scelus conce-

3. *Non sinunt.* Sic Juven. « continuo templum et violati numinis aras, Et quod præcipuis mentem sudoribus urget Te videt in somnis: tua sacra et major imago Humana, turbat pavidum, cogitque fateri ».

4. *Supplicio.* Quod avaritiæ, seu repetundarum damnatis infligi solet; pecuniæ erat redditio et exsilium.

5. *Ereptorem.* Quasi legum pœnas contemnentem. Verris crimina omnia ad apertam vim ita deducit Cicero, ut mira correctione rem amplificet, et gravius priori semper vocabulum subjiciat.

6. *Cui damnari.* Nam si a vobis absolvitur, ad populi judicium deducetur; morte mulctandus, propter jus libertatis et civitatis, civium rom. nece, imminutum.

IV. 1. *Nobiscum.* Cum senatoribus. Significat populum rom. in alios quoque senatores animadversurum. Tribunis enim, lege Pompeia hoc ipso anno lata, licebat quemcumque vellent, ad populum trahere condemnandum.

2. Olim *erit.* Sed Prisc. lib. XVIII, pag. 1155, ed. Putsch. *fuerit.* Sic deinde, *statuerit.* J. V. L.

pisse, quum fana spoliarit, quum tot homines innocentes necarit, quum cives romanos morte, cruciatu, cruce affecerit; quum prædonum duces, accepta pecunia, dimiserit; quam eos, si qui istum tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum[3], jurati sententia sua liberarint? Non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus, judices : non is est reus, non id tempus[4], non id consilium; metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere, ne actor quidem est is, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus[5], aut occulte surripi, aut impune eripi possit. His ego judicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecunias cepisse? sustinebunt tales viri, se tot senatoribus, tot equitibus romanis, tot civitatibus, tot hominibus honestissimis ex tam illustri provincia, tot populorum privatorumque literis non credidisse? tantæ populi romani voluntati restitisse? Sustineant : reperiemus, si istum vivum[6] ad aliud judicium perducere poterimus, quibus probemus, istum in quæstura pecuniam publicam, Cn. Carboni consuli datam, avertisse; quibus persuadeamus, istum alieno[7] nomine a quæstoribus urbanis, quod priore actione didicistis[8], pecuniam abstulisse. Erunt, qui et in eo quoque audaciam ejus reprehendant, quod aliquot

3. *Coopertum*. Sic apud Sall. Catil. 23 : « flagitiis atque facinoribus coopertus ».

4. *Id tempus*. Quum senatores invidia corruptorum judiciorum laborant.—*Id consilium*. Ex optimo quoque adscitum. Itaque corruptores non habent, quid sperent.

5. *Victus*. Convictus. *Occulte*. Largitionibus pecuniarum. — *Tot senatoribus*. Testibus scilicet in Verrem productis.

6. *Vivum*. Periculum est enim, si absolvitur, ne populi manibus discerpatur.

7. Jac. Gronovius, dum corrigendum putat, « empti frumenti nomine », errat tota via. J. V. L. — Non enim hæc pertinent ad præturam Siciliensem, sed ad illud tempus quo Cn. Carbonis proquæstor Verres pecuniam publicam alieno, s. falso nomine avertit. Vid. inf. c. 18.

8. *Didicistis*. Ex testibus.

nominibus[9] de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse, judices, qui illum ejus peculatum[10] vel acerrime vindicandum putent, quod iste M. Marcelli et P. Africani monumenta, quæ nomine illorum, revera populi romani et erant, et habebantur, ex fanis religiosissimis, ex urbibus[11] sociorum atque amicorum non dubitaverit auferre.

V. Emerserit[1] ex peculatus etiam judicio : meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit; videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reservavit[2]; quærat non solum, quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi; meminerit, se priore actione, clamore populi romani infesto atque inimico excitatum, confessum esse, duces a se prædonum securi non esse percussos; se jam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos; fateatur id, quod negari non potest, se privatum[3] hominem, prædonum duces vivos atque incolumes domi suæ, posteaquam Romam redierit, usque dum per me licuerit, tenuisse[4]: hoc in illo majestatis

9. *Nominibus.* Quod aliquot debitoribus *de capite*, i. e. de summa frumenti seu de toto frumento quod populo rom. debebant decumani, tantum Verres detraxit, et in privatos usus convertit quantum sua referre arbitratus est. Verr. III, passim.

10. *Peculatum.* *Peculatus* appellatur, non solum pecuniæ et nummorum rapina, sed et cujusvis rei, quæ publica sit et populi rom.

11. Lambinus, « et ex urbibus ». Quod Garat. probat.

V. 1. *Emerserit.* Fingamus eum in peculatus judicio absolutum iri; meditandum illi erit, quomodo se defendat, etc. Verri denuntiat Cicero judicium majestatis, propter duces hostium liberatos, aut etiam in domo, ut iste dicebat, servatos, et mercatores innocentissimos in eorum locum subditos ac trucidatos. Verr. V, 39-52.

2. Idem Lambinus habet « reservarit », quod male, ut videtur, consonat cum superiore « liberavit ». J. V. L.

3. *Privatum.* Quod majestatis crimen est.

4. Lamb. « retinuisse ». J. V. L.

judicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam. Ex hoc quoque evaserit : proficiscar eo[5], quo me jampridem vocat populus romanus. De jure[6] enim libertatis et civitatis suum putat esse judicium : et recte putat. Confringat iste sane vi sua consilia senatoria; quæstiones[7] omnium perrumpat; evolet ex vestra severitate : mihi credite, arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur. Credet iis equitibus romanis populus romanus, qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus, ab isto civem romanum, qui cognitores[8] homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Credent omnes v et xxx tribus[9] homini gravissimo atque ornatissimo M. Annio, qui, se præsente, civem romanum securi percussum esse dixit. Audietur a populo romano vir primarius, eques romanus, L. Flavius, qui suum familiarem He-

5. *Eo.* Ad judicium illud, ad quod me populus, omissis aliis, jam pridem vocat. Perduellionis, i. e. in patriam parricidii judicium intelligit orator, quod in campo Martio, triginta quinque tribubus convocatis, fiebat de cive, qui civem suum vinculis, virgis, morte denique contra leges Porciam et Semproniam, affecisset. Sceleris hujus pœna erat capitalis. Porro quum esset Cicero ædilis curulis, habendæ concionis et diem dicendi jus habebat, æque ac tribuni plebis. De his vid. pro Rabir. et T. Liv. 1, 26.

6. *De jure.* Arbitratur enim populus de violatis, quibus libertas et jura civium sanciuntur, legibus pertinere ad se judicium.

7. *Quæstiones.* Tribunalia prætorum de repetundis quærentium largitionibus suis *perrumpat*. Illa autem *consilia senatoria* vocat quod illis unusquisque prætor cum senatorum consilio præest.

8. *Cognitores.* Dicuntur h. l. homines qui aliquem cognoscunt, quique de ejus statu possunt testificari. De his et seqq. vid. Verr. V.

9. *Tribus.* Quarum aliæ rusticæ, aliæ urbanæ dicebantur; « laudatissimæ, inquit Plinius, eorum qui rura haberent; et in urbanas transferri ignominiæ erat, desidiæ, probro ». Porro quum comitiis centuriatis rei perduellionis judicarentur, ut est in Tabb. XII : « de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto »; idemque Cicero testatur Sext. 30, de Leg. III, 19; et ea a magistratibus majoribus tantum convocari possent; magistratus minores, si quem accusare ad populum vellent, diem comitiis centuriatis a consulibus aut prætore urbano petebant. Hoc vero loco

rennium, negotiatorem[10] ex Africa, quum eum Syracusis amplius centum cives romani cognoscerent, lacrymantesque defenderent, pro testimonio dixit, securi esse percussum. Probabit[11] fidem, et auctoritatem, et religionem suam L. Suetius, homo omnibus ornamentis præditus, qui juratus apud vos dixit, multos cives romanos in lautumiis[12] istius imperio crudelissime per vim morte esse multatos. Hanc ego causam quum agam, beneficio populi romani, de loco superiore[13], non vereor, ne aut istum vis ulla ex populi romani suffragiis eripere, aut a me ullum munus[14] ædilitatis amplius aut gratius[15] populo romano esse possit.

VI. Quapropter omnes in hoc judicio conentur omnia : nihil est jam[1], quod in hac causa peccare quisquam, judices, nisi vestro periculo, possit. Mea[2] quidem ratio, quum in præteritis rebus est cognita, tum in reliquis explorata atque provisa est. Ego meum studium in rempublicam jam[3] illo tempore ostendi, quum longo intervallo veterem consuetudinem[4] retuli, et

tribus nominantur, quod his etiam suffragiis populus, ante suffragii lationem, in tribus divideretur, et quod in ipsis tribubus centuriæ continerentur. Conf. Ursin. et Vales. ad Liv. I, 43. FERRAT.

10. *Negotiatorem*. De negotiatoribus vide ad Verr. II, 77.

11. Lambinianæ aliquot edd. « Probavit », Errore forsan operarum. J. V. L.

12. *Lautumiis*. Quod nomen erat Syracusarum carceri. Vid. Verr. V, 27.

13. *De loco superiore*. Nempe pro rostris in foro, seu de soggesto in campo Martio, utpote ædilis factus, concionem habebit. Quod populo rom. acceptum munus refert.

14. *Munus*. De ædilium solemnibus ludis, qui *munera* vocabantur, et de hac oratoris allusione vid. Act. I, 12.

15. Perperam iterum aliquot edd. Lambini, *gravius*. J. V. L.

VI. 1. *Nihil est jam*. Postquam diligentis accusatoris officia præstitimus.

2. *Mea quidem*. Quod ad me attinet, ex iis, quæ, in comparanda accusatione, egerim, provisum est, quid a me nunc exspectari debeat.

3. Ursinus conj. « jam tum illo tempore », quia in cod. MS invenerat « tantum illo tempore ». J. V. L.

4. *Veterem consuetudinem*. Ut homines honesti, non adolescentes, aut quadruplatores accusarent. Vid. Divin. cap. 21.

rogatu sociorum atque amicorum populi romani, meorum autem necessariorum, nomen hominis audacissimi detuli. Quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi (quo in numero e vobis complures fuere) ita probarunt, ut ei, qui istius quæstor[5] fuisset, et ab isto læsus inimicitias justas persequeretur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, quum id postularet, facerent potestatem. In Siciliam sum inquirendi causa profectus : quo in negotio industriam meam celeritas reditionis[6], diligentiam multitudo literarum et testium declaravit; pudorem vero ac religionem, quod, quum venissem senator ad socios populi romani, qui in ea provincia quæstor fuissem, ad hospites meos[7] ac necessarios causæ communis defensor deverti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petivissent. Nemini meus adventus labori, aut sumptui, neque publice, neque privatim, fuit. Vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat; non quantam[8] habere poteram istorum studio, quos iste vexarat. Romam ut ex Sicilia redii, quum iste, atque istius amici, homines lauti[9] et urbani, sermones hujuscemodi dissipassent, quo animos

5. *Quæstor*. Q. Cæcilius. — *Justas*. Has fuisse simulatas dixit in Divin. quam de hoc toto loco consule. Nunc vero aliud argumentum victoriæ suæ aperit.

6. *Celeritas reditionis*. Quum totam Siciliam quinquaginta diebus obierit.

7. *Ad hospites meos*. Ut ne umbra quidem suspicionis in mea fide resideret, neve me gratia aut pecunia ad accusandum Verrem inductum crederetur.

8. *Non quantam*. Ostendit Cicero se non nimio studio aut apparatu in Verrem inquisisse, sed accusatorio jure modeste usum intra legem sese continuisse, et se tum fidelem erga Siculos patronum exstitisse, tum etiam non iniquum in Verrem accusatorem. Si enim Siculis injurias suas ulcisci cupientibus mos gerendus fuisset, multo plura a volentibus colligere potuisset. Vide quid de nimia accusatorum severitate dicat, pro Flacco, quum Lælium Flacci accusatorem ita describit : « Qui comitatus in inquirendo? Comitatum dico? imo vero, quanti exercitus? quæ jactura? qui sumptus? etc. »

9. *Lauti*. His verbis præcipue signi-

testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum, tametsi probabatur[10] nemini, quod et ex Sicilia testes erant ii, qui quæstorem me in provincia cognoverant, et hinc homines maxime illustres, qui, ut ipsi noti sunt, sic nostrum unumquemque optime norunt; tamen usque eo timui, ne quis de mea fide atque integritate dubitaret, donec ad rejiciendos judices venimus.

VII. Sciebam in rejiciendis judicibus nonnullos, memoria nostra, pactionis[1] suspicionem non vitasse, quum ipsa in accusatione eorum industria ac diligentia probaretur. Ita rejeci judices, ut hoc constet, post hunc statum[2] reipublicæ, quo nunc utimur, simili splendore et dignitate consilium nullum fuisse. Quam iste laudem[3] communem, ait, sibi esse mecum : qui quum P. Galbam[4] judicem rejecisset, M. Lucretium retinuit; et, quum ejus patronus ex eo quæreret, cur suos familiarissimos, Sex. Peducæum, Q. Considium, Q. Junium rejici passus[5] esset, respondit, quod eos in judicando nimium sui juris[6] sententiæque cognosceret. Itaque, judicibus rejectis, sperabam, jam onus meum vobiscum esse commune; putabam non solum notis[7], sed etiam ignotis probatam meam fidem esse

ficatur Hortensius, vestitu et cultu corporis elegantior. A. Gell. I, 5.

10. Ernest. conj. « probabantur ». J. V. L.

VII. 1. *Pactionis*. Quam cum reo fecissent, ut prævaricarentur.

2. *Post hunc statum*. Ab annis decem, ex quo tempore judicat senatus.

3. *Laudem*. Optimæ judicum rejectionis.

4. *P. Galbam*. Virum integerrimum. — *M. Lucretium*. Malum hominem, et corruptioni obnoxium, quem a Verre retentum Cicero rejecerat.

5. *Rejici passus*. Asconius arbitratur rejectionem a reo primum, ab accusatore postea fieri, quod verisimile videtur. Itaque interpretator *rejecisset ipse;* nam ne rejicerentur ab accusatore, qui poterat obsistere? Man.

6. *Nimium sui juris*. Pertinacius suæ opinioni adhærentes; et qui nulla gratia a semel suscepta sententia dedoci possent.

7. *Notis*. *Noti* et *ignoti* activa significatione, pro iis qui norunt et

et diligentiam : quod me non fefellit. Nam comitiis meis[8], quum iste infinita largitione contra me uteretur, populus romanus judicavit, istius pecuniam, quæ apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. Quo quidem die primum, judices, citati in hunc reum consedistis, quis tam inimicus huic ordini fuit, quis tam novarum rerum, judiciorum[9], judicumque cupidus, qui non conspectu consessuque vestro commoveretur? Quum in eo vestra mihi dignitas fructum diligentiæ[10] referret; id sum assequutus, ut una hora, qua cœpi dicere, reo audaci[11], pecunioso, profuso, perdito, spem judicii corrumpendi præciderem; ut primo die, testium tanto numero citato, populus romanus judicaret, ipso absoluto rempublicam stare non posse[12]; ut alter dies amicis istius ac defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis auferret; ut tertius dies sic hominem prosterneret, ut, morbo simulato, non, quid responderet, sed, quemadmodum non responderet, deliberaret : deinde reliquis diebus[13], his criminibus, his testibus, et urbanis, et provincialibus sic obrutus atque oppressus est, ut his ludorum diebus[14] interpositis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum judicaret.

VIII. Quapropter ego, quod ad me attinet, judices,

qui non norunt, sæpius ut h. l. usurpatur.

8. *Meis*. Quibus mea res seu ædilitas agebatur. Vid. Act. I, 9.

9. *Judiciorum*. Subaud. *novorum*.

10. *Diligentiæ*. Quam scilicet in rejiciendis judicibus adhibueram.

11. *Audaci*. Ad corrumpendum.— *Perdito*. Qui nullis rationibus, modo ad finem perveniret, parcebat.

12. *Stare non posse*. Quod qui integerrimi judices haberentur, ii corruptissime judicarent.

13. *Reliquis diebus*. Sex; nam diebus novem primam actionem transactam esse ostendit.

14. *His ludorum diebus*. Per hos dies, qui prope quadraginta interpositi sunt, ludorum causa. Vide Act. I, cap. 10.

vici : non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi romani concupivi[1]. Meum fuit cum causa accedere ad accusandum ; quæ causa fuit justior[2], quàm a tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? reipublicæ consulere[3]; quid jam reipublicæ honestius, quam in tanta invidia judiciorum adducere hominem, cujus damnatione totus ordo cum populo romano et in laude et in gratia possit esse? ostendere ac persuadere, hominem nocentem adductum esse; quis est in populo romano, qui hoc non ex priore actione abstulerit[4], omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur, vix cum hujus parva parte æquari conferrique posse? Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, judices, prospicite atque consulite[5]: splendor vester facit, ut peccare sine summo reipublicæ detrimento ac periculo non possitis. Non enim potest sperare populus romanus, esse alios in senatu, qui recte possint judicare, vos si non potueritis. Necesse est, quum de toto ordine desperarit, aliud genus[6] hominum atque aliam rationem judiciorum requirat. Hoc si vobis ideo levius videtur, quod putatis onus esse grave[7] et incommodum, judicare; intelligere debetis primum, interesse, utrum id onus vosmet ipsi rejeceritis, an, quod probare populo romano

VIII. 1. *Concup.* Non ut quadruplatores, tamquam hostem devictum spoliare volui; quæsivi tantum ut bene de me populus rom. existimaret, quem videret cum justa causa accessisse ad accusandum, i. e. reum nocentissimum in judicium adduxisse.

2. Male aliquot MSS, *illustrior.* J. V. L.

3. *Consulere.* A superioribus verbis *meum fuit* pendet. Græv. habet « reipublicæque consulere ».

4. *Abstulerit.* Persuasum habens recesserit.

5. *Consulite.* Nam ego, quod ad me attinet, vici.

6. *Aliud genus.* Alium ordinem, equestrem scilicet.

7. *Grave.* Quod multæ sint subeundæ inimicitiæ.

fidem vestram et religionem non potueritis, eo vobis judicandi potestas erepta sit: deinde etiam illud cogitate, quanto periculo[8] venturi simus ad eos judices, quos propter odium vestri populus romanus de vobis voluerit judicare. Verum vobis dicam id, quod intellexi, judices: homines scitote esse quosdam, quos tantum odium vestri ordinis teneat, ut hoc palam jam dictitent, se istum, quem sciant esse hominem improbissimum, hoc uno nomine absolvi velle, ut ab senatu judicia per ignominiam turpitudinemque auferantur. Hæc[9] me, judices, pluribus verbis vobiscum agere coegit non timor meus de vestra fide, sed spes illorum[10] nova; quæ quum Verrem a porta subito ad judicium retraxisset, nonnulli suspicati sunt, non sine causa illius consilium tam repente esse mutatum.

IX. Nunc, ne novo[1] querimoniæ genere uti possit Hortensius, et ea[2] dicere, opprimi reum, de quo nihil dicat accusator; nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quam tacere adversarios; et ne aliter[3], quam ego velim, meum laudet ingenium, quum dicat, me, si multa dixissem, sublevaturum fuisse eum, quem contra dicerem; quia non dixerim, perdidisse: morem illi geram; utar oratione perpetua: non[4] quoniam

8. *Quanto periculo.* Quia, quod integri sunt equites et inimici nobilitatis, quum translata erunt a vobis ad eos judicia, de vestra infamia et iniquitate severe judicabunt.

9. *Hæc.* Mitigat superioris admonitionis acerbitatem.

10. *Illorum.* Verris amicorum. — *A porta.* Qua in exsilium proficiscebatur.

IX. 1. *Novo.* Inaudito: ridiculo. Quis enim umquam rei patronus pauciora ab accusatore dici questus est? Ironice Hortensii querelam proponit orator.

2. Quorsum *ea?* Vereor, ne ex *et* ortum sit. Forte etiam fuit *ita*, quod esset elegantius; et *ita* sæpe sic cum verbo *dicere* est apud Ciceronem. Ernest. J. V. L. — Sed *ea* idem est h. l. ac *hæc et talia*, et optime congestis Hortensii querimoniis accommodatur.

3. *Ne aliter.* Astutum me scilicet et callidum appellans.

4. *Non quoniam.* Nam ex priore

hoc sit necesse; verum ut experiar, utrum ille ferat molestius, me tunc tacuisse, an nunc dicere. Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de[5] meis legitimis horis remittam: nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero, querere; deum atque hominum fidem implorabis; circumveniri[6] C. Verrem, quod accusator nolit tamdiu, quamdiu liceat, dicere. Quod mihi lex mea causa[7] det, eo mihi non uti non licebit? nam accusandi mihi tempus mea causa datum est, ut possem oratione mea crimina causamque explicare: hoc si non utor, non tibi injuriam facio, sed de meo jure aliquid et commodo detraho. Causam enim[8], inquit, cognosci oportet. Ea re quidem, quod aliter condemnari reus, quamvis sit nocens, non potest. Id igitur tu moleste tulisti, a me aliquid factum esse, quo minus iste condemnari posset? nam causa cognita multi possunt absolvi: incognita quidem condemnari nemo potest. Adimo enim comperendinatum[9]. Quod habet lex in se

actione constat reum absolvi non posse.

5. *De meis*. De eo tempore, quod mihi lex ad accusandum tribuit. Tempus definitum Tullius *horam* vocat græco more. Viginti dies actori dabantur ad accusandum, totidemque defensori ad respondendum. Nota ironiam in hoc toto loco.

6. *Circumveniri*. Suband. *clamabis*.

7. *Mea causa*. Propter meam utilitatem.

8. *Causam enim*. Propositio Hortensii: cui respondet Cicero fateri se causam cognosci oportere eam ob rem, quod aliter, etc.

9. Al. *Comperendinatum*, *q*. J. V. L. — *Adimo*. Verba hæc Hortensii nomine dicuntur; quasi esset, at dicis me reo comperendinationem, i. e. causæ in tertium diem dilationem (quam lege de repetundis jussit C. Servilius Glaucia A. U. 653 prætor), auferre. Notat Asconius, comperendinato judicio, dicere priorem defensorem, posteriorem vero accusatorem, et defensionem tamquam in medio positam ab ultimo obrui accusatore. Ceterum illud non satis constat, et quamvis docti viri plerique probent, non male adversatur Ferratius, et postquam rationem istam isti legi repugnare docuit, ipsum Ciceronem Asconio opponit. Nempe pro Fonteio, 13: « M. Fonteius ita duabus actionibus accusatus est, ut objectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, aut audaciæ possit ». Duabus

molestissimum, bis ut causa [10] dicatur, id aut mea causa potius est constitutum, quam tua, aut nihilo tua potius, quam mea. Nam si bis dicere est commodum, certe utriusque commune est. Si eum, qui posterius dixit, opus est redargui; accusatoris causa, ut bis ageretur, constitutum est. Verum, ut opinor, Glaucia [11] primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel judicari primo [12] poterat, vel amplius pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? opinor, illam veterem [13], qua vel cito absolvi, vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam [14] legem

igitur actionibus accusatus jam fuerat Fonteius, et in secunda postremo loco defendebat Tullius. Et ipsis Verrinis quas, tamquam dixerit vere, scripsit, facile est invenire locos, qui responsorum fuisse Hortensium demonstrent. Sic I, 28: «nisi forte illud dicet Hortensius», nondum igitur dixerat; et V, 13: «scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur». Cf. Verr. II, 72; III, 16; IV, 4; V, 1, etc.

10. *Bis ut causa*. Comperendinatio vel æque favet utrique; vel accusatori magis quam defensori. Si enim opus est redargui defensorem, qui in prima actione posterius dixit, secunda actio instituta est in gratiam accusatoris, ut hic possit redarguere in secunda actione, quæ defensor in prima dixerit. Hoc ergo sensu accusatori favet, quod hic actione prima neque prævidere potuit, neque occupare omnia, quæ rei causa defensor esset dicturus: hic enim *posterius dixit*, hunc *redargui* ab se commodum accusatori. Porro ademptam comperendinationem excusat, quod causa bis diceretur, et ex criminum repetitione odium et invidia in reum crescerent. — *Quod aut.* Lectio nova Ernestio debetur. J. V. L.

11. *Glaucia*. C. Servilius Glaucia, quo prætore Saturninus maxime est usus, in illa seditione propter quam in curia est interfectus. Eum Cicero de Orat. III, per similitudinem *stercus curiæ* appellari posse dicit, nisi deformis esset cogitatio similitudinis.

12. *Primo*. Prima actione. — *Amplius* (gall. *plus ample informé*). Quum causa non satis explanata judicibus videbatur, dicebant *non liquet*, i.e. obscura causa est; tum prætor, *amplius*, i.e. amplius est cognoscendum, pronuntiabat. Cui ampliationi non certus erat definitus dies, ut tertius comperendinationi; nec ampliationis actionum certus erat numerus, ut patet ex causa Cottæ septies ampliata, Val. Max. VIII, 1, 11. Comperendinationis vero lege numerus actionum duarum præstitutus erat. Ergo durior erat ampliatione comperendinatio.

13. *Illam veterem*. Aciliam de repetundis; quam tulerat Acilius Glabrio hujusce prætoris pater.

14. Hotomannus, Observat. I, 14,

restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, condemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo: respondebis: testibus editis, ita mittam in [15] consilium, ut, etiamsi lex ampliandi [16] faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo judicare [17].

X. Verum, si causam cognosci opus est, parumne cognita est? Dissimulamus, Hortensi, quod sæpe experti in dicendo sumus. Quis nos magnopere attendit umquam, in hoc quidem genere causarum, ubi aliquid ereptum, aut ablatum a quopiam dicitur? nonne aut in tabulis, aut in testibus omnis exspectatio judicum est? Dixi prima actione, me planum esse facturum, C. Verrem H-S quadringenties contra legem abstulisse. Quid? hoc planius egissem, si ita narrassem? Dio quidam fuit Halesinus, qui, quum ejus filio, prætore Sacerdote [1], hereditas a propinquo permagna venisset, nihil habuit neque negotii, neque controversiæ. Verres, simul ac tetigit provinciam, statim Messanam literas dedit; Dionem evocavit; calumniatores ex sinu suo [2] apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinæ [3] commissam

corrigi jussit, «illam antiquam legem», vel «illam Cæciliam». J. V. L. — Frustra. De toto hoc loco consule Ind. Leg.

15. *Mittam in consilium.* Sententias, causa perorata, ferre judices jubebo.

16. *Ampliandi.* Lex Acilia ampliandi faciebat potestatem, si non liqueret; alioqui vel condemnare vel absolvere reum necesse erat. Comperendinatio autem nondum locum habebat, per quam bis causa dicebatur.

17. *Judicare.* Quia non poterant causari rem non esse satis cognitam, tam manifestis criminibus, tot testibus probatam.

X. 1. *Sacerdote.* Is anno ante Verrem proximo prætor fuit in Sicilia.

2. *Ex sinu suo.* Subornavit ex domesticis, quos habebat maxime familiares, qui eum accusarent. Sic Cat. II: «de sinu et complexu Catilinæ».

3. *Veneri Erycinæ.* Vid. Div. 17. — *Commissam.* Addictam (gall. *confisquée au profit de*). Sic Verr. II, 14,

esse dicerent; hac de re ostendit se ipsum cogniturum. Possum deinceps totam rem explicare; deinde ad extremum id, quod accidit, dicere: Dionem H-S[4] decies centena millia numerasse, ut causam certissimam obtineret; præterea greges equarum ejus istum abigendos[5] curasse; argenti vestisque stragulæ[6] quod fuerit, curasse auferendum. Hæc neque quum ego dicerem, neque quum tu negares, magni momenti[7] nostra esset oratio. Quo tempore igitur aures judex erigeret, animumque attenderet? quum Dio ipse prodiret, quum ceteri, qui tum in Sicilia negotiis Dionis interfuissent; quum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina[8] sua exegisse, prædia vendidisse; quum tabulæ virorum bonorum proferrentur; quum, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent se jam tum audisse, eo nummos sumi, ut Verri darentur; quum amici, hospites, patroni Dionis, homines honestissimi, hæc eadem se audisse dicerent. Opinor, quum hæc fierent, tum vos audiretis, sicut audistis; tum causa agi[9] videretur. Sic a me sunt acta omnia priore actione, ut in criminibus omnibus nullum esset, in quo quisquam vestrum per-

et apud JCtos. Jussus fuerat heres in foro statuas ponere; nisi poneret Veneri mulctandus. Has non ex testamento collocatas finxerunt falsi accusatores.

4. *H-S decies* (gall. 205,500 fr.)

5. *Abigendos. Abigere* ex JCtis est greges aut armenta abducere et deprædari : hinc *abigei* dicti, qui istiusmodi furta exercent. Digest. XLVII, 14.

6. *Vestisque stragulæ*. Hoc nomine intelliguntur tapetes, aulæa, peristromata et cetera, quibus, ornatus gratia, *insternitur* humus, lectus, mensa, equus, etc.

7. *Magni momenti*. Ad fidem judicibus faciendam.

8. *Nomina*. Debita.—*Tabulæ*. Quibus nimirum probaretur Dionem pecunias sumpsisse mutuas. Vidimus pro Rosc. Com. I, 1, magnam fidem illis tabulis adhiberi, et in judicium, quum opus esset, proferri.

9. *Agi*. Tunc reipsa, revera causa agebatur.—MS Franc. 1 : « agi vere ». Probat Græv. Lallem. recte vero e glossa natum judicat Ernest.

petuam accusationem requireret. Nego [10] esse quidquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum, aut cujusquam oratoris eloquentiam quæreret.

XI. Etenim sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem, et explicarem, ut, quum rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogarem. Itaque non modo vos, quibus est judicandum, nostra crimina[1] tenetis, sed etiam populus romanus totam accusationem causamque cognovit: tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius, quam vestra injuria[2] adductus fecerim. Interposuistis[3] accusatorem, qui, quum ego mihi c et x dies solos in Siciliam postulassem, c et viii sibi in Achaiam postularet. Menses mihi tres[4] quum eripuissetis ad agendum maxime appositos[5], reliquum omne tempus hujus anni me vobis remissurum putastis: ut, quum horis nostris nos essemus usi, tu, binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderes; deinde ita tempus duceretur, ut a M'. Glabrione prætore, et a magna parte horum judicum, ad prætorem alium judicesque alios veniremus. Hæc si ego non vidissem; si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo

10. Sic Ern. ex MSS. Olim, *n. ego.*

XI. 1. *Nostra crimina.* Nostram criminationem.

2. *Vestra injuria.* Injustitia. Hortensium et ceteros Verris defensores alloquitur.

3. *Interposuistis.* De istis Verris et Hortensii fraudibus plura vide Act. I, 2, 10.

4. *Menses tres.* Maium, junium et quintilem. Quum enim iste Achaicus inquisitor CVIII dies obtinuisset, obstitisse videtur ne Cicero ante hoc elapsum tempus causam oraret. Cicero enim L dies in Sicilia commoratus est, unde kal. maiis discesserat, et tribus sequentibus mensibus exspectavit, donec iste suum tempus consumpsisset: et nonis tantum sextilibus orsus est.

5. *Appositos.* Quia, quum accusatio et defensio dies XL postularet, tantum in iis mensibus erat dierum utilium, ut judicium terminaretur.

laborari, ut res in illud[6] tempus rejiceretur; credo[7], si meis horis in accusando uti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent; ne oratio deesset; ne vox viresque deficerent; ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Ego meum consilium[8] tum judicibus, tum populo romano probavi. Nemo est, qui alia ratione istorum injuriæ atque inpudentiæ potuisse obsisti arbitretur. Etenim qua stultitia fuissem, si, quam diem[9], qui istum eripiendum redemerunt[10], in cautione viderunt, quum ita caverent, SI POST KALEND. JAN. IN CONSILIUM IRETUR; in eam diem ego, quum potuissem vitare, incidissem? Nunc mihi temporis ejus, quod mihi ad dicendum datur, quoniam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter.

XII. Itaque primum illum actum[1] istius vitæ turpissimum et flagitiosissimum prætermittam. Nihil a me de pueritiæ suæ flagitiis peccatisque audiet, nihil ex illa impura adolescentia sua : quæ qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo[2], quem sui simillimum produxit[3], recognoscere potestis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur; neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat di-

6. Ernest. conjicit *aliud;* Schütz recepit. J. V. L.—Vulgatæ standum; *illud* enim intelligitur *tempus* quo alius futurus est prætor, alii judices, i. e. annus sequens.

7. *Credo, si.* Ironice dictum.

8. *Meum consilium.* Omittendæ nimirum orationis perpetuæ.

9. *Si, quam diem.* Si ego in illud tempus incidissem, quod, in conditionibus seu clausulis pactioni appositis, providerunt ii qui Verris a judicio liberandi provinciam, accepta pecunia, susceperunt; quum ea lege judicii corruptionem promitterent, si de Verre post kalendas januarias, i. e. anno sequenti judicaretur. Vid. Act. I, 6.

10. *Redemerunt.* Conduxerunt certa pecunia, ut Verres eriperetur legibus. Sic ad Att. I: « rem illam redemptam a judicibus confitentur ».

XII. 1. *Actum.* Partem. Metaphora e theatro desumpta.

2. *Ex eo.* Nempe Verris filio.

3. *Produxit.* Genuit. Subaudit Man.

cere, considerabo. Vos, quæso, date hoc, et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me[4] solutum ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis; lenonum[5], aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna[6], dedecora, quæ res patris ejus, ætas ipsius pertulit, prætereantur; lucretur[7] indicia veteris infamiæ; patiatur[8] ejus vita reliqua, me hanc tantam jacturam criminum facere. Quæstor Cn. Papirio[9] consuli fuisti abhinc annos quatuordecim : ex ea die ad hanc diem quæ fecisti, in judicium voco. Hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi sunt anni consumpti in quæstura, et legatione Asiatica, et prætura urbana, et prætura Siciliensi. Quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ.

XIII. Quæstor [1] ex senatusconsulto provinciam sor-

et Desj. *in judicium*. Qui sensus minus placet. — *Recognoscere*. Quasi tanta sit similitudo paternæ turpitudinis.

4. *Per me*. Quod ad me attinet ut filii turpitudine cognita, continuo parentis in mentem veniat.

5. *Lenonum*. Quos Verres socios adsciscebat. — *Perductores*. Ii sunt qui personas vel invitas variis artibus ad aliquem perducunt; in quo differunt a lenonibus. Sic *perducere* Suet. Calig. 25: « Perductam a marito conjunxit sibi ».

6. *Damna* ad bona patris, *dedecora* ad ætatem, h. e. adolescentiam Verris referuntur.

7. *Lucretur*. Lucro apponat, quod veterem ejus infamiam non indicabo.

8. *Patiatur*. Reliqua ejus vita, quæ per se accusatori criminum satis dabit, illam jacturam compenset.

9. *Cn. Papirio*. Carboni, cujus alterum consulatum quem annos abhinc tredecim cum L. Cinna gessit, orator significat.

XIII. 1. *Quæstor*. A. U. C. 669. Cn. Papirio Carbone II, L. Cornelio Cinna IV coss. Porro quæstura primus erat ad honores gradus: illis a tribunis ærarii adnumerabatur pecunia in militum stipendium, annonam exercitus, et sumptum in legatos et consulis præfectos. Inde autem dictos apparet, quod illi in provinciis populo rom. a vectigalibus debitam pecuniam quærebant, et ad quæstores urbanos mittebant.

titus es : obtigit tibi consularis[2], ut cum consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres. Erat tum dissensio[3] civium; de qua nihil sum dicturus, quid sentire debueris : unum hoc dico, in ejusmodi tempore ac sorte[4] statuere te debuisse, utrum malles sentire atque defendere[5]. Carbo graviter ferebat, sibi quæstorem obtigisse, hominem singulari luxuria atque inertia : verumtamen ornabat eum beneficiis[6] omnibus. Ne diutius teneam, pecunia attributa[7], numerata est; profectus est quæstor in provinciam; venit in Galliam exspectatus ad exercitum consularem cum pecunia. Simul ac primum ei occasio visa est (cognoscite hominis principium magistratuum gerendorum et reipublicæ administrandæ), aversa [8]pecunia publica quæstor consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit. Video quid egerim : erigit se; sperat, sibi auram[9] posse aliquam afflari, in hoc crimine, voluntatis assensionisque[10] eorum, quibus Cn. Carbonis mortui

2. *Consularis.* Ea erat quæ a consulari viro; *prætoria* vero quæ a prætorio regebatur. Vide plura ad orat. *de Provinciis consularibus.*

3. *Dissensio.* Verborum lenitate rei tristitiam mitigat. Bellum erat civile Marianum, quod atrociter gestum est ab anno 663 ad 671. Flor. III, 21.

4. *Sorte.* Provinciali administratione; quæ tibi sorte obtigerat.

5. *Malles defendere.* Ut lege illa nobili Solonis Atheniensis, quæ capite puniebat, si quis in seditione, non alterutrius partis fuisset.

6. Vulgo inde a Victorio addebatur « officiisque ». Delevit Ernest. auctoritate codd. et edd. vett. Defendit autem Garaton.

7. *Attributa.* Ex SCto assignata. Sic Varro : « attributa pecunia dicebatur quæ assignata erat : unde tribuni ærarii dicti, quibus attributa erat pecunia, quæ militibus redderetur ».

8. *Aversa.* Alio versa. Notum juris verbum, de quo conf. J. F. Gronov. Observ. IV, 5.

9. *Auram.* Metaphora a zephyro ducta, quo afflati recreamur æstu languentes. Sensus est : Sperat illos sibi quodammodo fauturos, qui Cn. Carbonem aversantur. Porro Cn. Carbo, Cinnanæ factionis dux, tertium consul, occisus est a Pompeio in Sicilia A. U. C. 671.

10. *Assensionisque.* Sic optime Man. Ern. At *dissensionisque* Franc. 1. Guelf. Cujac. edd. princ. Græv. Male. Nam *voluntatis* et *assensionis* sunt synonyma, et utrumque refertur ad *auram.* Sententia enim est, sperare Verrem se

nomen odio sit; quibus illam relictionem proditionemque consulis sui gratam sperat fore. Quasi vero id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut studio partium fecerit, ac non apertissime consulem, exercitum, provinciamque compilarit, et propter impudentissimum furtum aufugerit. Est enim[11] obscurum, et ejusmodi factum ejus, ut possit aliquis suspicari, C. Verrem, quod ferre novos homines[12] non potuerit, ad nobilitatem, hoc est, ad suos transisse; nihil fecisse propter pecuniam. Videamus, rationes[13] quemadmodum retulerit. Jam ipse ostendet, quamobrem Cn. Carbonem reliquerit; jam se ipse indicabit.

XIV. Primum brevitatem cognoscite : ACCEPI[1], inquit, VICIES[2] DUCENTA TRIGINTA QUINQUE MILLIA QUADRINGENTOS XVII NUMMOS : DEDI STIPENDIO, FRUMENTO, LEGATIS, PROQUÆSTORIBUS[3], COHORTI PRÆTORIÆ[4], H-S MILLE[5] SEXCENTA TRIGINTA QUINQUE MILLIA QUADRINGEN-

Carbonis inimicorum accusatione ac voluntate levatum iri.

11. *Est enim.* Ironica objectio.

12. *Novos homines.* Illos quorum majores nullum in rep. magistratum gesserant, Marii ac Cinnæ fautores, nobilibus vero ac Sullæ infensos.

13. *Rationes.* Acceptæ a consule pecuniæ.

XIV. 1. Sequuti sumus, post Gruterum, editionem Victorii. Aliter Budæus, lib. pr. de Asse; aliter Lambin. aliter MSS et edd. vett. J. V. L.

2. *Vicies*, etc. (443,113 fr. 31 c.)

3. Alii, « quæstoribus »; alii rectius, « pro quæstore », ut significet, quæ Verres sibi ipse, pro officio quæstorio, expensa tulerat. J. V. L. — *Proquæstores* autem ii erant in quæstoria procuratione, qui, in proconsulari, legati.

4. *Cohorti prætoriæ.* Sic in re militari dicebatur manus partim evocatorum militum, partim nobilium adolescentium, qui in acie et agmine præsto imperatori adesse solebant. Erat quoque sua provinciali prætori cohors, quæ præcones, medicos, scribas, lictores continebat, quibus de publico stipendium atque alimenta dabantur. De posteriore illa sæpius dicendi locus occurret passim in Verrinis.

5. *H-S mille*, etc. (335,257 fr. 31 c.). *H-S decies sexcenta* scripserunt Augustin. Gronov. Græv. quibus favent Desjard. et Lallem. —*Sexcenta millia* (123,000 f.) Hoc est, quod in his rationibus reprehendit Cicero, quod nulla re pluribus verbis explicata, ita quadrent summæ, ut vix melius Archimedes describat.

TOS XVII NUMMOS : RELIQUI ARIMINI H-S SEXCENTA MILLIA. Hoc est rationes referre? hoc modo aut ego[6], aut tu Hortensi, aut quisquam hominum retulit? Quid hoc est? quæ impudentia? quæ audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis hujusmodi est? Illa tamen H-S sexcenta millia, quæ ne falso quidem potuit, quibus data essent, describere, quæ se Arimini scribit reliquisse, quæ ipsa H-S sexcenta millia reliqua facta sunt, neque Carbo attigit, neque Sulla vidit, neque in ærarium relata sunt. Oppidum sibi elegit Ariminum, quod tum, quum iste rationes referebat, oppressum[7] direptumque erat: non suspicabatur id, quod nunc sentiet, satis multos ex illa calamitate Ariminensium testes nobis in hanc rem reliquos esse. Recita denuo : P. LENTULO[8], L. TRIARIO, QUÆSTORIBUS URBANIS, RES RATIONUM RELATARUM. Recita : EX S. C. Ut hoc pacto rationem referre liceret, eo Sullanus repente factus est, non ut honos et dignitas nobilitati restitueretur. Quod si illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria, proditio consulis tui scelerata judicaretur. Malus civis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo[9] fuit. Fuerit aliis : tibi quando esse cœpit? posteaquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas exercitumque commisit. Nam si tibi antea displicuisset; idem fecisses, quod anno post

6. *Ego, aut tu.* Fuerat uterque quæstor; Cicero in Sicilia, anno 678; Hortensius anno 673, qua provincia incertum.

7. *Oppressum.* A Sulla; prodente illud Albinovano, duce Mariano.

8. *P. Lentulo.* Titulus est rationum Verris. Nempe A. U. 672 quæstores erant P. Lentulus Sura et L. Valerius Triarius, ad quos rationes retulerat Verres. Verba *ex SCto* harum prima sunt verba. — *Res.* Gall. *état.* Et is est index, seu codicis inscriptio, seu literæ quibus consignatæ erant rationes omnium, his quæstoribus urbanis relatarum rerum.

9. *Cn. Carbo.* Hoc ex animi sententia scribit Cicero, qui ad Div. IX, 21 de hoc Carbone loquens : « Hoc, qui Lilybæi a Pompeio nostro est inter-

M. Piso[10]. Quæstor quum L. Scipioni[11] consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est : quod de republica sensit, ita sensit, ut nec fidem suam[12], nec morem majorum, nec necessitudinem sortis læderet.

XV. Etenim[1] si hæc perturbare omnia, et permiscere volumus; totam vitam periculosam, invidiosam, infestamque reddemus; si nullam religionem sors habebit, nullam sanctitatem[2] conjunctio secundæ dubiæque fortunæ, nullam auctoritatem mores atque instituta majorum. Omnium est communis inimicus, qui fuit hostis suorum. Nemo umquam sapiens proditori credendum putavit[3]. Ipse Sulla, cui adventus istius gratissimus esse debuit, ab se hominem, atque ab exercitu suo removit : Beneventi esse jussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat; ubi iste summæ rei causæque nocere nihil posset. Ei postea præmia tamen liberaliter tribuit : bona quædam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit; habuit honorem[4] ut proditori, non ut amico fidem. Nunc, quamvis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint; tamen hi debent, non, quid

fectus, improbior nemo, meo judicio, fuit ».

10. *M. Piso*. Frugi: homo nobilissimus, innocentissimus et eloquentissimus, ut eum appellat Cicero pro Planc. 3. Vid. Ind. Histor.

11. *L. Scipioni*. Qui consul anno 670 adversus Sullam profectus, ab exercitu suo desertus ac proditus est; inviolatus vero a Sulla dimissus, Massiliam abiit in exsilium. Vell. Paterc. II, 25.

12. *Fidem suam*. Quam nec consuli suo dedit. — *Morem majorum*. Qui prætorem quæstori suo parentis esse loco voluerunt. — *Necessitudinem*. Qualis est parentis cum filio.

XV. 1. *Etenim*. Ordo est. Etenim si hæc... permiscere volumus; si nullam religionem, etc. totam vitam infestam... reddemus.

2. Vulgo *societatem*. Recepimus emendationem J. F. Gronovii. J. V. L.

3. *Putavit*. Hanc in sententiam præclarissime non semel Demosthenes, quem adi de Coron. passim.

4. *Honorem*. Mercedem ac præmium.

illi accidere voluerint, sed quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullæ[5] sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine : nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis ; hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum, non modo non exsistit[6], verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Itane vero? tu, quum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis particeps omnium rerum, consiliorumque fueris; habitus sis in liberum loco[7], sicut mos majorum ferebat : repente relinquas? deseras? ad adversarios transeas? O scelus! o portentum in ultimas terras exportandum! Non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc uno scelere esse contenta : necesse est semper aliquid ejusmodi moliatur; necesse est in simili audacia perfidiaque versetur. Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella[8] postea, C. Malleolo[9] occiso, pro quæstore habuit (haud scio, an major etiam hæc necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus judi-

5. *Nullæ sunt.* Eam sententiam operæ pretinm erit conferre cum simili, Rosc. Am. 40, et observare quomodo verbis eam variaverit orator. Confer etiam Xenoph. Rerum Græcarum lih. II, 15.

6. *Non exsistit.* Non se aperit : non agit extra.—*Prospicere.* Est a Pall. et Cujac. placueratque item Lambino; vett. edd. *perspicere.*

7. *In liberum loco.* Vide Divinat. cap. 19.

8. *Cn. Dolabella.* Prætor urbanus anno 672, de cujus injuria in P. Quintium graves sunt Ciceronis querimoniæ pro Quint. passim. Ex prætura Ciliciam anno sequenti administravit; ex qua reus factus ab adolescente M. Æmilio Scauro repetundarum, damnatus est A. U. 675, maxime adnitente Verre. Vid. inf. 30, 38.

9. *C. Malleolo.* Quæstore Dolabellæ. — *Occiso.* Suspiciosum verbum, quasi Malleolum Verres, cui mors illius lucro fuit, occiderit. Illud etiam animadvertendum quam artificiose ad illud conjiciendum judices, tamquam aliud agens, impulerit, quum nullum non scelus in proditorem cadere declaraverit.

cium voluntatis [10] valere, quam sortis debeat), idem in C. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit. Nam quæ in ipsum valebant crimina, contulit in illum, causamque illius omnem ad inimicos accusatoresque detulit [11]; ipse in eum, cui legatus, cui pro quæstore fuerat, inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit. Ille, miser [12] quum esset, tum proditione istius nefaria, tum improbò et falso ejusdem testimonio, tum multo etiam ex maxima parte, istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.

XVI. Quid hoc homine [1] faciatis, aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? qui in Cn. Carbone [2] sortem, in Cn. Dolabella [3] voluntatem neglexerit ac violarit, eosque ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit atque oppugnarit. Nolite, quæso, judices, brevitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine, crimina ponderare : mihi enim properandum necessario est, ut omnia vobis, quæ mihi constituta sunt, possim exponere. Quamobrem, quæstura istius demonstrata, primique magistratus et furto et scelere perspecto, reliqua attendite : in quibus illud tempus [4] Sullanarum proscriptionum ac rapinarum prætermittam; neque

10. *Voluntatis.* Sorte obveniebant prætoribus quæstores; sed si quis in provincia esset demortuus, ejus in locum prætor, quem vellet, constituebat. Testis hic locus.

11. *Detulit.* Ad M. Scaurum, qui in Dolabella accusando, Verris opera et indicio est usus.

12. *Miser.* Reus, afflictus, calamitosus. Reos enim *miseros* dici quum in summo discrimine versentur, satis est pervulgatum. Ad hanc autem miseriam accesserunt proditio Verris, istius furta et flagitia, quorum invidia, multo magis quam suorum conflagravit.

XVI. 1. *Hoc homine.* Locutio vetus pro, de hoc homine.

2. Alii, « Carbonem ». J. V. L.

3. *Dolabellam.* Cum Ern. sequimur Manutium. J. V. L. —Verres enim in Carbone sortem neglexit, qua illi sancte conjungebatur; in Dolabella voluntatem qua delectus ab eo fuerat.

4. *Illud tempus.* Quo tempore Beneventi proscriptorum bona diripuit.

ego istum sibi ex communi calamitate defensionem ullam sinam sumere : suis eum certis propriisque criminibus accusabo. Quamobrem, hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto [5], legationem ejus præclaram cognoscite.

XVII. Posteaquam Cn. Dolabellæ provincia Cilicia [1] constituta est; o dii immortales! quanta iste cupiditate, quibus allegationibus [2] illam sibi legationem [3] expugnavit? id quod Cn. Dolabellæ principium maximæ calamitatis fuit. Nam ut iste profectus est, quacumque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi romani, sed ut quædam calamitas pervadere videretur. In [4] Achaia (prætermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquid aliquando fecerit : nihil dicam, nisi singulare, nisi quod, si in alium reum diceretur, incredibile videretur), magistratum Sicyonium nummos poposcit. Ne sit hoc crimen in Verrem : fecerunt alii. Quum ille non daret, animadvertit. Improbum, sed non inauditum. Genus animadversionis videte : quæretis, ex quo genere hominum [5] istum judicetis. Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri jussit : ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi romani socium atque amicum,

5. *Circumscripto*. Remoto, repudiato. Sic Cæs. de Bell. civ. I, 32.

XVII. 1. *Cilicia*. Anno 673 primum cum piratis Cilicibus bellum initum est, provinciaque Cilicia cum proconsulari imperio Cn. Dolabellæ prætori demandata est.

2. *Allegationibus*. Intercessionibus communium amicorum.

3. *Legationem*. Illi erant *legati*, quos proconsules aut proprætores, ituri in provincias, consiliorum atque officii adjutores sibi adjungebant. Illi aut a senatu dabantur, aut ex auctoritate senatus ab ipsis præsidibus eligebantur plures paucioresve, ut bellum, aut res poscebant. Cicero in Cilicia administranda legatos quatuor; quindecim Pompeius in bello piratico habuit. T. Liv. XLIV, 18. Sall. Jug. 28, etc.

4. *In Achaia*. Per quam iter cum Dolabella in Ciliciam provinciam suam faciebat.

5. Multi habent *hominem*; altera lectio ab Hotomanno est. J. V. L.

fumo excruciatum, semivivum reliquit. Jam quæ iste signa, quas tabulas pictas ex Achaia sustulerit, non dicam hoc loco : est alius[6] mihi locus ad hanc istius cupiditatem demonstrandam servatus[7]. Athenis audistis ex æde Minervæ[8] grande auri pondus ablatum; dictum hoc est in Cn. Dolabellæ judicio : dictum? etiam æstimatum[9]. Hujus consilii non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis.

XVIII. Delum venit : ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clam sustulit signa pulcherrima atque antiquissima; eaque in onerariam navem suam conjicienda curavit. Postridie quum fanum spoliatum viderent ii, qui Delum incolebant, graviter ferebant : est enim tanta apud eos ejus fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur : verbum tamen facere non audebant, ne forte ea res ad Dolabellam ipsum pertineret. Tum subito tempestates coortæ sunt maximæ, judices, ut non modo proficisci, quum cuperet, Dolabella non posset, sed vix in oppido[1] consisteret : ita magni fluctus ejiciebantur. Hic navis illa prædonis istius, onusta signis religiosis, expulsa atque ejecta fluctu, frangitur : in litore signa illa Apollinis reperiuntur; jussu Dola-

6. *Est alius*. In judicio de peculatu, si hinc evaserit; non vero, ut putavit Asconius, in libro de Signis, quum in eo de tabulis ex Achaia sublatis verbum nullum fiat. Sic Manutius. Contendit autem Ferratius de hoc ultimo libro hic agi, quum promittat orator, se nimirum *hanc* Verris *cupiditatem* demonstraturum, neque ideo de Achaicis signis loqui Siciliæ patrono necesse sit, quum ex istius in hoc genere furtis facile appareat quid in aliis provinciis fecerit.

7. Tres codd. apud Lambinum, *separatus;* nonnulli alii, *reservatus*. J. V. L.

8. *Æde Minervæ*. Quam Parthenonem Græci vocabant, a Pericle in arce exstructam.

9. *Æstimatum*. Dolabellæ imputatum, ita ut damnato illi fuerit solvendum.

XVIII. 1. *In oppido*. Rem supra modum auget orator. Non enim verisimile est ejectos fuisse fluctus in oppidum, quod in media insula positum erat ad radices Cynthii montis, nisi forte tunc terræ fuerit motus.

bellæ reponuntur : tempestas sedatur ; Dolabella Delo proficiscitur. Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio umquam fuit religionis, nunc tamen, in metu periculoque tuo, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potestne tibi ulla spes salutis commoda ostendi, quum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Apollinemne tu Delium spoliare ausus es? illine[2] tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? Si in pueritia non his artibus et disciplinis institutus eras, ut ea, quæ literis mandata sunt[3], disceres atque cognosceres : ne postea quidem, quum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ ac literis? Latonam ex longo errore et fuga, gravidam, et jam ad pariendum [vicinam] temporibus exactis, confugisse[4] Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse : qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra[5] putatur; tantaque ejus auctoritas religionis et est, et semper fuit, ut ne Persæ[6] quidem, quum bellum toti Græciæ, diis hominibusque indixissent, et mille numero[7] navium clas-

2. *Illine*. Cicero ut majorem Verris in hoc templo furtis invidiam addat, de ingente clade reticet quam sexennio ante Verrem, Menophanes Delo intulerat, vasta omnia ac deserta penitus relinquens. Idem tamen hanc in Maniliana refert, quam adi.

3. *Mandata sunt*. Poetas discebant in scholis pueri, et ex iis deorum fabulas. Quod ad Delum et Apollinem pertinet, minuta quæque dabit Spanhemii eruditissimus commentarius ad Callim. hymn. in Delum, vs. 255. Verum « Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos? »

4. Sic edd. pr. et multi MSS. Aldus ediderat *fugisse*. J. V. L.

5. *Sacra*. Illis diis sacrata.

6. *Persæ*. De his plura vide in Herod. VI, 97. — *Diis*. Quorum templa Persæ incendebant, deos parietibus includi nefas arbitrantes. Vide de Leg. II, 26. Æschyl. in Pers. Deliaco autem ac Ephesio templo eos pepercisse tradit scholiastes Aristophanis ad Pacem, v. 409, quod Solem ac Lunam deos maxime venerarentur.

7. *Mille numero*. De harum numero navium vide Bosium ad Cornel. Nep. Themist. 2. Illud etiam intelliges, ro-

sem ad Delum appulissent, quidquam conarentur aut violare, aut attingere. Hoc tu fanum depopulari[8], homo improbissime atque amentissime, audebas? fuit ulla cupiditas tanta, quæ tantam exstingueret religionem? et, si tum hæc non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis jamdiu debeatur?

XIX. In Asiam[1] vero postquam venit, quid ego adventus[2] istius prandia, cœnas, equos muneraque commemorem? Nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse; item Erythris et Halicarnasso. Tenedo (prætereo pecuniam, quam eripuit) Tenem[3] ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cujus ex nomine Tenedus nominatur; hunc ipsum, inquam, Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in comitio[4] vidistis, abstulit magno cum gemitu civitatis. Illa vero expugnatio fani antiquissimi et nobilissimi Junonis[5] Samiæ, quam luctuosa Samiis fuit? quam acerba toti Asiæ? quam clara apud omnes? quam nemini vestrum inaudita? de qua expugnatione quum legati ad C. Neronem

tandos a Tullio numeros, dum oratorem agit, amari.

8. Lambinus maluit « depeculari ». J. V. L.

XIX. 1. *In Asiam*. Minorem, cui C. Nero præerat.

2. Cœlius Rhodiginus conj. *adventu*, quod recte improbat Gulielm. J. V. L.

3. *Tenem*. Cycni filium, ab Achille, perinde ut fuerat pater, occisum: ideoque institutum est, ut in ejus templo numquam audiretur Achillis nomen. Plut. Qu. gr. Hunc viæ cursum secutus erat Verres, ut Peloponnesum primo inviseret, ubi Achaia et Sicyon, postea Athenas, Delum, Chium, Erythras, Samum, Tenedum, quæ insula, extra Hellespontum, adversa Sigæo litori adjacet. Plin. XXXI. Virg. II, 21.

4. *In comitio*. In foro, cujus pars erat comitium; quum ab ædilibus ludorum causa ornaretur. Porro ædiles signa nobilia ex urbibus sociorum mutuabantur, quæ postea reportanda curabant. De comitio vide inf. c. 22, not. 2.

5. *Junonis Samiæ*. In hac insula Juno præcipue colebatur. Virg. Æn. I, 16.

in Asiam Samo venissent; responsum tulerunt, ejusmodi querimonias, quæ ad legatum populi romani pertinerent, non ad prætorem, sed Romam[6] deferri oportere. Qua de re[7] Charidemum Chium testimonium priore actione dicere audistis : sese, quum esset trierarchus, et Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, jussu Dolabellæ fuisse una cum isto Sami; seseque tum scire spoliatum esse fanum Junonis et oppidum Samum; posteaque se causam apud Chios, cives suos, Samiis accusantibus publice, dixisse; eoque se esse absolutum, quod planum fecisset, ea, quæ legati Samiorum dicerent, ad Verrem, non ad se pertinere. Quas iste tabulas illinc, quæ signa sustulit? quæ cognovi egomet apud istum in ædibus nuper, quum obsignandi[8] gratia venissem. Quæ signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in[9] silva denique disposita sub divo vidimus. Cur ea, quamdiu alium prætorem[10] cum iis judicibus, quos in horum locum subsortiturus[11] eras, de te in consilium iturum putasti, tamdiu domi fuerunt? posteaquam nostris testibus nos, quam horis tuis[12], uti malle vidisti; nul-

6. *Romam.* Poterat quidem prætor de rebus provincialibus cognoscere, sed non ita ut legatum alterius prætoris castigare posset : cujus rei cognitio ad senatum pertinebat, aut etiam si quid gravius commissum erat, illud animadvertere erat populi rom.

7. Hæc, usque ad verba « non ad se pertinere », sunt in edd. aliis post « sectoremque pugnare ». Ernest. primus transtulit. J. V. L.

8. *Obsignandi.* Moris fuit ut accusator obsignaret domum, et clausa teneret omnia illius quem accusaturus erat, ne qua furtorum indicia in literis constituta ab eo removerentur. Ascon. — Ex seqq. apparet non eam obsignationem ad signa tabulasque pictas patere, quum ea abhinc a Verre celata et in alias domos avecta queratur Cicero.

9. *In silva.* Silvula, viridario.

10. *Alium prætorem.* Metellum.— *Horum.* Qui nunc adsunt.

11. Alii, *subsortitus.* J. V. L.

12. *Tuis.* Tibi potius quam mihi commodis, nempe ad judicium protrahendum. Vid. sup. 9, et Act. I, 8.

lum signum domi reliquisti, præter duo, quæ in mediis ædibus sunt; quæ ipsa Samo sublata sunt? non putasti me tuis familiarissimis in hanc rem testimonia denuntiaturum, qui tuæ domi sæpe fuissent; ex quibus quærerem, signa scirentne fuisse[13], quæ non essent? Quid tum hos de te judicaturos arbitratus es, quum viderent, te jam non contra accusatorem tuum, sed contra quæstorem[14] sectoremque pugnare?

XX. Aspendum, vetus oppidum et nobile in Pamphylia scitis esse, plenissimum signorum optimorum. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse, et illud: hoc dico, nullum te Aspendi[1] signum, Verres, reliquisse; omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus, plostris evecta[2] asportataque esse. Atque etiam illum Aspendium citharistam[3], de quo sæpe audistis id, quod est Græcis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit, et in intimis suis ædibus posuit: ut etiam illum ipsum

13. *Fuisse*. Domi tuæ signa illa, quæ jam non apparerent.

14. *Quæstorem*. *Quæstores ærarii* auctionem fieri jubebant bonorum ejus, qui repetundarum fuerat damnatus. Sic Livius scribit: « missos quæstores in possessionem bonorum Scipionis Asiatici, sed eos nequaquam summam in ærarium redegisse, quantæ pecuniæ damnatus fuerat ». Emebant vero *sectores* (gall. *les enchérisseurs*). Verres autem illa subtrahendo, jam non se contra accusationem, sed bona sua contra auctionem, ut jam damnatus, defendere videbatur.

XX. 1. *Aspendi*. Urbs illa ad Eurymedontem fluvium sita, ad Dolabellæ provinciam pertinebat. Vid. Pomp. Mel. XIV. Strab. XIV. Plin. V, 27; XXXI, 7.

2. Vetus anonymus interpres, « avecta exportataque ». J. V. L.

3. *Aspendium citharistam*. I. e. simulacrum apud Aspendios citharistæ speciem exhibens. Quod apud Græcos ita erat notum, ut jam in proverbium abierit. Scilicet, quum canunt citharistæ, utrinsque manus utuntur officio. Dextra plectrum tenet, et hoc est *foris* seu *aliis canere*; sinistra digitis chordas carpit, ac sonos leviores elicit, quod est *intus* seu *sibi canere*. Aspendius ille citharista universam cantionem *intus*, i. e. sinistra tantum manu complectebatur, ita ut a se et a paucis, qui proximi adstabant, exaudiretur. Unde omnes quotquot fures erant, a Græcis *Aspendii citharistæ* in proverbio dicebantur, quod ut ille carminis, ita isti furtorum occultato-

artificio suo[4] superasse videatur. Pergæ[5] fanum antiquissimum et sanctissimum Dianæ scimus esse : id quoque a te nudatum ac spoliatum esse; ex ipsa Diana, quod habebat auri, detractum atque ablatum esse dico. Quæ, malum, est ista tanta audacia atque amentia? quas enim sociorum atque amicorum urbes adisti legationis jure et nomine; si in eas vi cum exercitu imperioque[6] invasisses, tamen, opinor, quæ signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses, hæc non in tuam domum, neque in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses.

XXI. Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas, urbem ornatissimam cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque, regem potentissimum, vicit? quid de Flaminino, qui regem Philippum et Macedoniam subegit? quid de L. Paullo, qui regem Persen vi ac virtute superavit? quid de L. Mummio[1], qui urbem pulcherrimam atque ornatissimam, Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulit, urbesque Achaiæ Bœotiæque multas sub imperium populi romani ditionemque subjunxit? quorum domus, quum honore et virtute florerent, signis

res erant. Apud Latinos autem fluxere figurata verba, *intus canere* quæ de homine suam tantum utilitatem quærenti dicuntur. Illo autem loco Verres dicitur illum citharistam artificio suo superasse, jocose, quia *intus canentem*, in intimis ædibus posuerat, ut eum quasi *interius* canere doceret. Vid. Erasm. Adag.

4. Asconius non agnoscit *suo*. Sch. delevit.

5. *Pergæ*. Fanum hoc proxime Pergam erat, Pamphyliæ urbem. Pergæa Diana sæpissime in nummis antiquis conspicitur. Conf. Pomp. Mel. XIV. Spanh. ad Callim. hymn. in Dianam, vs. 187.

6. *Imperio*. Cum *imperio* esse dicebatur, cui nominatim a populo lege curiata mandata erat plena potestas rei militaris suo consilio, in sua provincia, administrandæ. Tit. Livius, XXVI, 21.

XXI. 1. *L. Mummio*. De maximo illo signorum et tabularum contemptore, adi Strab. VIII. Front. Strat. IV, 3, 15. Ceteri notiores sunt, quam ut de illis mentionem habeamus.

et tabulis pictis erant vacuæ. At vero urbem totam, templa deorum, omnesque Italiæ partes, illorum donis ac monumentis exornatas videmus[2]. Vereor, ne hæc forte cuiquam nimis antiqua et jam obsoleta videantur: ita enim tum æquabiliter omnes erant hujusmodi[3], ut hæc laus eximiæ virtutis et innocentiæ, non solum hominum, verum etiam temporum illorum esse videatur. P. Servilius[4], vir clarissimus, maximis rebus gestis, adest; de te sententiam laturus est: Olympum[5] vi, copiis, consilio, virtute cepit, urbem antiquam, et omnibus rebus auctam et ornatam. Recens exemplum fortissimi viri profero: nam postea Servilius imperator populi romani Olympum, urbem hostium, cepit, quam tu in iisdem locis legatus quæstorius oppida pacata sociorum atque amicorum diripienda ac vexanda curasti. Tu, quæ ex fanis religiosissimis per scelus et latrocinium abstulisti, ea nos videre, nisi in tuis amicorumque tuorum tectis, non possumus: P. Servilius, quæ signa atque ornamenta ex urbe hostium, vi et

2. *Videmus.* In eamdem sententiam Sall. Catil. XII, 3: «Illi (nostri majores) delubra deorum pietate, domos sua gloria decorabant; neque victis quidquam, præter injuriæ licentiam, eripiebant»; et paullo infra de his prædatoribus, Verri simillimis, loquens: «Hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis ademere, quæ fortissimi viri victores reliquerant; proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti».

3. *Hujusmodi.* Abstinentes et boni. Notandum illam his ducibus «eximiæ virtutis laudem» tribui, non quod victorum ornamentis parcerent, quum ea pleraque Romam transportarent, sed quod nihil sibi privatim asservarent, nisi quædam minoris pretii, ut arma, currus, domui ornandæ.

4. *P. Servilius.* Consul anno 674, ex consulatu provinciam Ciliciam quinquennio et bellum piraticum obtinuit. Ex iis triumphavit anno 679, atque ob Isauron, arcem Ciliciæ, captam *Isauricus* est cognominatus. Flor. III, 6. Strab. XIV.

5. *Olympum.* In vertice Tauri montis, ait Strabo, XIV, Olympus est Zeniceti piratæ sedes. Mons item et arx eodem nomine: unde Lycia omnis, et Pamphylia Pisidiaque cernitur. Quem montem quum Isauricus cepisset, sese ille cum universa domo exussit.

virtute capta, belli lege, atque imperatorio jure sustulit, ea populo romano apportavit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit. Cognoscite ex literis publicis hominis amplissimi diligentiam. Recita : RATIONES RELATÆ P. SERVILII. Non solum numerum signorum, sed etiam uniuscujusque magnitudinem, figuram[6], statum, literis definiri vides. Certe major[7] est virtutis victoriæque jucunditas, quam ista voluptas, quæ percipitur ex libidine et cupiditate : multo diligentius habere dico Servilium prædam populi romani, quam te tua furta notata atque descripta.

XXII. Dices, tua quoque signa et tabulas pictas ornamento urbi[1] foroque populi romani fuisse. Memini; vidi simul cum populo romano forum comitiumque[2] adornatum[3], ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. Vidi collucere omnia furtis tuis, præda provinciarum, spoliis sociorum atque amicorum. Quo quidem tempore, judices, iste spem maximam reliquorum quoque peccatorum[4] nactus est. Vidit enim eos, qui judiciorum[5] dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse servos.

6. *Figuram.* Situm membrorum (gall. *l'attitude*). — *Statum.* Habitum seu ornatum vestis, insignium, armorum (gall. *la draperie*, *les attributs*).

7. *Certe major.* Asconio subobscurus videtur locus, quem optime explicat Hotom. per epiphonema : sunt et sua victoriæ ac virtuti gaudia majora quam, etc.

XXII. 1. *Urbi.* Nam ædili, atque prætori Hortensio, et Metellis rapta ex provinciis signa Verres ornando foro commodaverat.

2. *Comitium.* Locus erat in foro juxta curiam, ubi rostra; hic olim habebantur curiata comitia, et sumebantur supplicia de sontibus. Aliud præterea fuit comitium extra Urbem in campo Martio ad comitia centuriata.

3. Lambinus malit *adornatum* abesse. J. V. L. — Attamen eadem de re Cicero Verr. IV, 3, « ornamentia ornarent ».

4. *Peccatorum.* Subaud. *non puniendorum.*

5. *Judiciorum dominos.* Manifeste in Hortensium, ac nobiles ceteros.

Socii vero nationesque exteræ spem omnium tum primum abjecere[6] rerum ac fortunarum suarum : propterea quod casu legati ex Asia atque Achaia plurimi Romæ tunc fuerunt, qui deorum simulacra, ex suis fanis sublata, in foro venerabantur[7], itemque cetera signa et ornamenta quum cognoscerent, alia alio in loco lacrymantes intuebantur. Quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus : « Nihil esse, quod « quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amico- « rum ; quum quidem viderent in foro populi romani, « quo in loco antea, qui sociis injurias fecerant, accu- « sari et condemnari solebant, ibi esse palam posita ea, « quæ ab sociis per scelus ablata ereptaque essent ».

XXIII. Hic ego non arbitror illum negaturum, signa sese plurima, tabulas pictas innumerabiles habere ; sed, ut opinor, solet hæc, quæ rapuit et furatus est, nonnumquam dicere, se emisse : quoniam quidem[1] in Achaiam[2], Asiam, Pamphyliam, sumptu[3] publico, et legationis nomine, mercator signorum tabularumque pictarum missus est. Habeo et istius, et patris ejus accepti tabulas[4] omnes; quas diligentissime legi atque digessi : patris, quoad vixit; tuas, quoad ais te confecisse. Nam in isto, judices, hoc novum reperietis. Audimus, aliquem tabulas numquam confecisse ;

6. Rectius forte *abjecerunt*, quod habet vetus cod. apud Gothofred. J. V. L.

7. Debebat esse, ut Ernest. putat, *venerarentur ;* et videtur sic habuisse in exemplo suo scholiastes anonymus Vossianus. J. V. L.

XXIII. 1. *Quoniam quidem*. Asconius, post *quidem*, addit « cum imperio et securibus », quod male migrasse putant e Verrina IV, 4. J. V. L.

2. *In Achaiam*, etc. Per quas iter in Ciliciam provinciam fecerat.

3. *Sumptu publico*. Vide sup. c. 14, quæ ei ad privatos sumptus publico ærario fuerit assignata pecunia.

4. *Accepti tabulas*. Jam ad Rosc. Comœd. 1, adnotavimus, Romanum unumquemque rationes vitæ totius per dies singulos scribere, ex quibus appareret quid lucri damnive fecisset. Dicit autem Asconius, postquam,

quæ est opinio hominum de Antonio[5] falsa : nam fecit diligentissime : verum sit hoc genus[6] aliquod minime probandum. Audimus, alium non ab initio fecisse, sed ex tempore aliquo confecisse : est aliqua etiam hujusce rei ratio[7]. Hoc vero novum et ridiculum est, quod hic nobis respondit, quum ab eo tabulas postularemus : usque ad M. Terentium[8] et C. Cassium consules confecisse; postea destitisse. Alio loco, hoc cujusmodi sit, considerabimus : nunc nihil ad me attinet : horum enim temporum, in quibus nunc versor, habeo tabulas, et tuas, et patris. Plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportasse te, negare non potes : atque utinam neges! Unum ostende in tabulis aut tuis aut patris tui emptum esse; vicisti : ne hæc quidem duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluvium[9] tuum stant, quæ multos annos ad valvas Junonis Samiæ steterunt, habes[10] quomodo emeris; hæc, inquam, duo, quæ in ædibus tuis sola jam sunt, quæ sectorem exspectant, relicta ac destituta a ceteris signis.

XXIV. At, credo[1], in hisce solis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat : ceteræ libidines

obsignandis literis, reorum ex suis tabulis quisque damnari cœpit, totam hanc veterem consuetudinem cessavisse.

5. *De Antonio*. Oratore, L. Crassi æmulo et æquali. Fallitur Asconius, qui de illo M. Antonio Cretico interpretatur, qui oratoris filius, triumviri pater fuit. Vid. de Orat. II, 23, ubi hæc ipsa de se falso jactata ait Antonius orator : « tamen ne tabulas quidem conficere existimor. Verum et in hoc ex re familiari mea, et in illo, ex eo quod dico, quantulum id cumque est, quod faciam judicari potest ».

6. *Sit hoc genus*. Sint hujusmodi homines aliqui minime probandi.

7. *Ratio*. Defensio. Potest hoc aliqua ratione defendi.

8. *Ad M. Terentium*. Nempe anno 680, quo anno Verres pro prætore in Siciliam abiit. Confer Pighii Annal. XVI ad annum 680.

9. *Impluvium*. Erat area ædificiis cincta, « quo aqua impluebat collecta e tecto », ait Festus.

10. *Habes*. Dicere potes, qua ratione emeris. Græcismus.

XXIV. 1. *At credo*. Transitus ad aliam criminum speciem.

ejus ratione aliqua aut modo continebantur. Quam multis istum ingenuis, quam multis matribus familias, in illa tetra atque impura legatione, vim attulisse existimatis? ecquo in oppido pedem posuit, ubi non plura[2] stuprorum flagitiorumque suorum, quam adventus sui vestigia reliquerit? Sed ego omnia, quæ negari poterunt, prætermittam; etiam hæc, quæ certissima sunt et clarissima, relinquam: unum aliquod de nefariis istius factis eligam; quo facilius ad Siciliam possim aliquando, quæ mihi hoc oneris negotiique imposuit, pervenire. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, judices, in primis Asiæ provinciæ[3] clarum et nobile: homines autem ipsi Lampsaceni tum summe in omnes cives romanos officiosi, tum præterea maxime sedati et quieti, prope præter ceteros ad summum[4] Græcorum otium potius, quam ad ullam vim[5] aut tumultum accommodati. Accidit, quum iste a Cn. Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem[6], regemque Sadalam mitteret, quumque iter hoc sibi magis ad quæstum suum, quam ad reipublicæ tempus accommodatum depoposcisset; ut illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate et prope

2. *Non plura*. Panciora legatus Verres advenieus pedum snorum, quam fortorum et flagitiorum vestigia reliquit.

3. *Asiæ provinciæ*. Quæ definitur a septemtrione Bithynia, ab occasu Propontide et Ægæo pelago, a meridie Lycia, ab oriente Pamphylia.

4. *Ad summum*. Otiosi enim, ac desides tum Græci omnes habebantur.

5. *Ad ullam vim*. Hoc ideo dicit, nt culpa tumultus in Verrem concitati, non in Lampsacenos, sed in ipsum Verrem conferatur.

6. *Nicomedem*. Bithyniæ regem, qui, quum esset sine liberis, populum rom. testamento reliquit heredem. Decessit autem Nicomedes ex Eutrop. VI, 6, L. Lucullo et M. Cotta coss. sexennio post Verris legationem. — *Sadalam*. Thraciæ regem, socium populi rom. alium ab eo Sadala quem nominat Cæsar Bell. Civ. III, 4. De populi rom. cum illis regibus amicitia vide Liv. XLV, 42, deque ejus regiæ familiæ antiquitate Ovid. de Pont. II, 9: confer etiam Taciti Annal. II, 64.

pernicie civitatis. Deducitur iste ad Janitorem [7] quemdam hospitem; comitesque ejus item apud ceteros hospites collocantur. Ut mos erat istius, atque ut eum suæ libidines flagitiosæ facere admonebant [8], statim negotium dat illis suis comitibus, nequissimis turpissimisque hominibus, uti videant et investigent, ecqua virgo sit, aut mulier digna, quamobrem ipse [9] Lampsaci diutius commoretur [10].

XXV. Erat comes ejus Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines, qui miro artificio, quocumque venerat, hæc investigare omnia solebat. Is ad eum rem istam defert: Philodamum esse quemdam, genere, honore, copiis, existimatione facile principem Lampsacenorum; ejus esse filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quod virum non haberet [1], mulierem eximia pulchritudine; sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. Homo, ut hæc audivit, sic exarsit ad id, quod non modo ipse numquam viderat, sed ne audierat quidem ab eo, qui ipse vidisset, ut statim ad Philodamum migrare se diceret velle. Hospes Janitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in ipso se offenderetur [2], hominem summa vi retinere cœpit. Iste, qui hospitis relinquendi causam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire [3] ad stuprum cœpit: Rubrium, delicias suas, in omnibus ejusmodi rebus

7. *Janitorem.* Nomen est proprium hominis.

8. Olim *admonuerant.* Ernest. interpolata suspicabatur verba hæc: « atque ut eum ..... admonebant ». Multo elegantius abesse ista conjicit Schütz. Temere.

9. Sic e Guelf. dedit Ern. Vulg. *iste.*

10. Alii, *commoraretur.* J. V. L.

XXV. 1. *Non haberet.* Nimirum absens ille aut mortuus erat. Mulierem enim modo appellat non virginem.

2. *Offenderetur.* Ne quid esset in semetipso, quod Verri displiceret. Sic Ernest. ex quatt. MSS interpretatur. Olim edebatur *offenderet.* Grævius malebat: « ne quid in ipso offenderit ». Lambin. « in se offenderit », quem sequutus est Schütz. Alii aliter.

3. *Viam munire.* Sibi viam aperire.

adjutorem suum et conscium, parum laute[4] deversari dicit; ad Philodamum deduci jubet. Quod ubi est Philodamo nuntiatum, tametsi[5] erat ignarus, quantum sibi ac liberis suis jam tum mali constitueretur, tamen ad istum venit; ostendit, munus illud suum non esse: se, quum suæ partes[6] essent hospitum recipiendorum, tum ipsos tamen prætores et consules, non legatorum asseclas, recipere solere. Iste, qui una cupiditate raperetur, totum illius postulatum causamque[7] neglexit; per vim ad eum, qui recipere non debebat, Rubrium deduci imperavit.

XXVI. Hic Philodamus, posteaquam jus suum obtinere non potuit, ut humanitatem consuetudinemque suam retineret, laborabat[1]. Homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus in domum suam recepisse; magnifice et ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium comparat: rogat Rubrium, ut, quos ei commodum sit[2], invitet; locum sibi soli, si videatur, relinquat: etiam filium suum, lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quemdam mittit[3] ad cœnam. Rubrius

4. *Parum laute.* Non satis commode.

5. Sic Nonius, IV, 67. Olim edebatur minus probabiliter, « tametsi non erat ignarus ». J. V. L. — Codices pro « tametsi » magno consensu scribunt « tamen etsi », quam vocem h. l. et multis aliis Ciceroni restituendam esse censet Muret. Var. lect. XI, 17.

6. *Suæ partes.* Suæ vices. Inde apparet onus recipiendi rom. magistratus ex fœdere locupletibus municipibus injungi; qui isto officio singuli per ordinem defungebantur. Philodamus autem Verri se dupliciter excusabat: tum quia ipse non erat eo anno unus ex delectis ad recipiendos hospites; tum quia, quo sibi tempore id a civitate munus injungebatur, pro sua dignitate non recipiebat, nisi prætores ipsos, non legatorum servos, qualis erat hic Rubrius. Conf. Verr. IV, 11.

7. *Causam.* Excusationem, ut paullo inf. « omen magis Patribus conscriptis, quam causa placuit ».

XXVI. 1. *Laborabat.* Enitebatur.

2. *Commodum sit.* Quos ei invitare libeat.

3. Olim edebatur « ut etiam filium

istius comites invitat : eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. Mature veniunt : discumbitur : fit sermo inter eos, et invitatio, ut græco more[4] biberetur. Hortatur hospes : poscunt[5] majoribus poculis : celebratur omnium sermone lætitiaque convivium. Posteaquam satis calere[6] res Rubrio visa est : Quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? Homo, qui et summa gravitate, et jam id ætatis, et parens esset, obstupuit hominis improbi[7] dicto. Instare Rubrius. Tum ille, ut aliquid responderet, negavit moris esse[8] Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte : Enimvero ferendum hoc non est[9]; vocetur mulier! Et simul servis suis Rubrius, ut januam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat. Quod ubi ille intellexit id agi, atque id parari, ut filiæ suæ vis afferretur; servos suos ad se vocat : his imperat, ut se ipsum negligant, filiam defendant; excurrat

anum ... mitteret». Grutero placuit infinitivus historicus « etiam...mittere ».

4. *Græco more.* Ad singulas potiones, deos et amicos, quos velis nominando, et quoties nominantur, merum bibendo; vel est capacioribus poculis bibere, ἀμυστὶ πίνειν.

5. *Poscunt.* Se provocant, ut ad h. l. interpretatur Nonius; aut etiam vinum a pincerna majoribus poculis petunt. Ceterum omnino græcus est usus ac locutio. Græci enim initio convivii parvis poculis, in fine vero, grandioribus utebantur. Et illud erat proprie τὴν μείζονα αἰτεῖν, quum ab initio propinarent ἴσον ἴσῳ. Sic apud Athen. Deipnos. X, 8, e veteri comico hæc leguntur : Οὐ συμποσίαρχος ἦν γὰρ, ἀλλὰ δήμιος Ὁ Χαιρέας κυάθους προπίνων εἴκοσιν, Ἴσον ἴσῳ, πάλιν τὴν μείζον' ᾔτει. Id est : « Chærea non erat rex convivii, sed carnifex, qui majoribus posceret poculis, postquam viginti cyathos par pari propinasset ». Conf. Verr. III, 43. Diog. Laert. I, 104, et ib. Casaub.

6. *Satis calere.* Satis accensi vino comites, ad facinus suscipiendum.

7. Ernest. conj. *improbe.* Nimia curiositate aliquid mutandi ». J. V. L.

8. *Negavit moris esse.* Sic Vitruv. VI, 10, de Græcorum ædibus : « In his œcia fiunt convivia virilia, non enim fuerat institutum, matresfamilias eorum moribus accumbere ». Cf. Corn. Nep. præf. et Muret. Var. Lect. VII, 2.

9. *Ferendum hoc non est.* Adnotant Hotom. et Lambin. hanc narrationis partem ex Demosthenis περὶ Παραπρεσβείας oratione esse expressam.

aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nuntiet. Clamor interea fit tota domo; pugna[10] inter servos Rubrii atque hospitis. Jactatur[11] domi suæ vir primus, et homo honestissimus : pro se quisque manus affert : aqua denique ferventi a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Hæc ubi filio nuntiata sunt; statim exanimatus ad ædes contendit, ut et vitæ patris, et pudicitiæ sororis succurreret. Omnes eodem animo Lampsaceni, simul ut hoc audiverunt, quod eos tum Philodami dignitas, tum injuriæ magnitudo movebat, ad ædes noctu convenerunt. Hic lictor istius Cornelius, qui cum ejus servis erat a Rubrio, quasi in præsidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur; servi nonnulli vulnerantur; ipse Rubrius in turba sauciatur. Iste, qui sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret[12], cupere aliqua evolare, si posset.

XXVII. Postridie mane homines in concionem veniunt[1]; quærunt, quid optimum factu sit; pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur; inventus est nemo, cujus non hæc et sententia esset, et oratio : « Non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni ulti « vi manuque essent, ne senatus populusque romanus « in eam civitatem animadvertendum putaret. Quod si « hoc jure legati populi romani in socios nationesque « exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum servare

10. Vocem *pugna* addidit Hotom. ex Rufiniano de figg. cap. 36.

11. *Jactatur.* Plagis aternitur. — Victor. et Manut. « vir optimus ». Lambin. ex Nonio : « vir primarius ». Illis multos Ciceronis locos opponunt Ernest. et Garaton. quibus vulgata « primus et h. » confirmatur. Conf. Verr. II, 4, 8; III, 71.

12. *Videret.* Intelligeret ac consideraret. Quod est aperto sensu. Frustra legendum « audiret » suspicatur Hotom.

XXVII. 1. *In concionem veniunt.* Mos Græcorum ut de publica injuria concio cognoscat, et psephisma seu decretum fiat, de quo plura in orat. pro Flacco.

« ab eorum libidine tutam non liceret; quidvis esse « perpeti satius, quam in tanta vi atque acerbitate ver- « sari. » Hæc quum omnes sentirent, et quum in eam rationem pro suo quisque[2] sensu ac dolore loqueretur; omnes ad eam domum, in qua iste deversabatur, profecti sunt: cædere januam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subjicere cœperunt. Tum cives romani, qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt; orant Lampsacenos, ut gravius apud eos nomen legationis, quam injuria legati putaretur: sese intelligere hominem illum esse impurum ac nefarium; sed, quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neque futurus esset Lampsaci postea, levius eorum[3] peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent. Sic iste multo sceleratior et nequior, quam ille Hadrianus[4], aliquanto etiam felicior fuit. Ille, quod ejus avaritiam cives romani ferre non potuerant, Uticæ domi suæ vivus exustus est; idque ita illi merito accidisse existimatum est, ut lætarentur omnes, neque ulla animadversio constitueretur: hic sociorum[5] ambustus[6] incendio, tamen ex illa flamma periculoque evolavit; neque adhuc causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit[7], aut quid evenerit, ut in tantum pericu-

2. *Pro suo quisque*, etc. Ut quisque vehementius sentiebat ac ferebat.

3. *Levius*. Fore ut minus illos pœniteret, quod homini, etc.

4. *Hadrianus*. C. Fabius Hadrianus in Africa prætor quum esset, Sullanis temporibus, anno 669, i. e. annos abhinc XII, propter crudelitatem et avaritiam suam Uticæ, in prætorio suo vivus exustus est. T. Liv. Epit. 86. Val. Max. IX, 10, 2. Oros. V, 20.

5. *Sociorum*. Livius, XLIII, 6: « Lampsacenos in sociorum formulam referre Q. Mænius prætor jussus ». Quem loco supra citato adi.

6. *Ambustus*. Seminstulatus; flamma circumventus et obsessus.

7. *Quamobrem commiserit*. Quomodo effecerit ut. *Committere* h. l. absolute ponitur. Verres periculi sui causam non potest aut in aliquod suum factum honestum, aut in fortunam rejicere. — Frustra mutatum quidpiam velint Hotom. et Lambin.

lum veniret. Non enim potest dicere : Quum seditionem sedare vellem, quum frumentum imperarem, quum stipendium cogerem, quum aliquid denique reipublicæ causa gererem; quod acrius imperavi, quod animadverti, quod minatus sum. Quæ si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando sociis, in tantum adductus periculum videretur.

XXVIII. Nunc quum ipse causam illius tumultus neque veram dicere, neque falsam confingere audeat; homo autem [1] ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus [2] C. Neroni fuit, P. Tettius, hæc eadem se Lampsaci cognosse dixerit; vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia tribunus militum fuit, hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit, quam ad vestrum judicium reservare? Nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tettii, priore actione, interpellavit [3] Hortensius (quo tempore [4] quidem signi satis dedit, si quid esset, quod

XXVIII. 1. *Ordinis.* Libertorum; nam accensorum munus libertis deferebatur: libertus autem erat Tettius: et optime *frugalitatis* s. probitatis laus huic decernitur.

2. *Accensus.* Olim in militia romana *accensi* genus erant militum, qui defectum legionum supplerent. Dicebantur alio nomine *adscriptitii.* Sed Ciceronis tempore *accensi* ministratores consulum et prætorum erant, et ab *acciendo* dictos putat Varro de Ling. Lat. VI, quod accirent, i. e. vocarent ad magistratus. Quin et decuriones et centuriones habebant suos accensos, ut constat ex Varronis loco apud Nonium. Sed Asconius et alii docti viri confundunt *accensos* veteris militiæ, in quorum locum postea velites successerunt, cum his consulum prætorumque ministris, quum tamen sint diversissimi, et iisdem omnino quibus apparitores, fungantur officiis. Quod aperte demonstrat Ciceronis locus ad Quint. Fr. I, 1: « Accensus sit eo etiam numero, quo eum majores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris et muneris, non temere nisi libertis suis deferebant, quibus illi non multo secus ac servis imperabant ». Vid. Salmas. de Re milit. Rom. 14. Sigon. de Jure civ. Rom. II, 15. Rosin. Ant. VII, 48, etc.

3. *Interpellavit.* Interpellando et redargueudo Tettii testimonium, dixit: adeo malam fuisse Philodami causam, ut a C. Nerone sit damnatus.

4. *Quo tempore.* Tunc autem satis

posset dicere, se tacere non posse; ut, quamdiu in ceteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse, quod diceret). Hoc tum dixit, Philodamum, et ejus filium, a C. Nerone esse damnatos [5]. De quo ne multa disseram, tantum dico, sequutum id esse Neronem, et ejus consilium, quod Cornelium lictorem occisum esse constaret : putasse non oportere esse cuiquam, ne in ulciscenda quidem injuria, hominis occidendi potestatem. In quo video, Neronis judicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cædis. Verum ista damnatio tamen cujusmodi fuit? Audite, quæso, judices, et aliquando miseremini sociorum, et ostendite, aliquid his in vestra fide præsidii esse oportere.

XXIX. Quod toti Asiæ jure occisus videbatur istius ille, verbo lictor, re vera minister improbissimæ cupiditatis [1]; pertimuit iste, ne Philodamus Neronis judicio liberaretur [2] : rogat et orat Dolabellam, ut de sua provincia decedat [3]; ad Neronem proficiscatur : se demonstrat incolumem esse non posse, si Philodamo vivere, atque aliquando Romam venire licuisset. Commotus est Dolabella : fecit id, quod multi reprehenderunt, ut exercitum, provinciam, bellum [4] relinqueret, et in Asiam, hominis nequissimi causa, in alienam provinciam, proficisceretur. Posteaquam ad Neronem venit; contendit ab eo, ut Philodami causam cogno-

manifeste demonstravit, se, quum dicere aliquid posset, non tacere posse; ita ut, etc.

5. *Esse damnatos.* Ex quo sequitur, inquit, eos nocentes fuisse; et etiamsi innoxii essent, Neronis illud esset crimen, non autem Verris.

XXIX. 1. Sic plerique codd. exhibent; alii : « voluptatis ». J. V. L.

2. *Liberaretur.* Quod hæc cædis absolutio, causam cur esset facta comprobare videretur.

3. *Decedat.* Quod injussu senatus non licebat. Liv. XXXIX, 19.

4. *Bellum.* Fortasse cum iis, qui Amanum montem tenebant, quos Cicero Ciliciæ proconsul postea devicit. Vid. Epist. XV, 4.

sceret. Venerat ipse [5], qui esset in consilio, et primus sententiam diceret; adduxerat etiam præfectos [6], et tribunos militares suos, quos Nero omnes in consilium vocavit: erat in consilio etiam æquissimus judex ipse Verres; erant nonnulli togati [7] creditores Græcorum, quibus ad exigendas pecunias improbissimi cujusque legati plurimum prodest gratia. Ille miser defensorem reperire neminem poterat. Quis enim esset aut togatus, qui Dolabellæ gratia; aut Græcus, qui ejusdem vi et imperio non moveretur? Accusator autem apponitur [8] civis romanus de creditoribus [9] Lampsacenorum: qui, si dixisset, quod iste jussisset, per ejusdem istius lictores a populo pecuniam posset exigere. Quum hæc omnia tanta contentione, tantis copiis [10] agerentur; quum illum miserum multi accusarent, nemo defenderet; quumque Dolabella cum suis præfectis pugnaret in consilio; Verres fortunas [11] agi suas diceret; idem testimonium diceret; idem esset in consilio; idem accusatorem parasset; hæc quum omnia fierent, et quum hominem constaret occisum: tamen tanta vis istius injuriæ, tanta in isto improbitas putabatur, ut de Philodamo amplius [12] pronuntiaretur.

5. *Venerat ipse.* In aliena sutem provincis alterius provinciæ prætores primi sententiam dicebant.

6. *Præfectos.* Turmarum equestrium.

7. *Togati.* Romani. Addit orator « creditores Græcorum », ut ostendat causas gratificationis eorum in Verrem. Solebant enim Romani pecunias provincialibus hominibus gravissimo fœnore dare, sd quas exigendas non rectoris provinciæ solum, sed et legati plurimum eis proderat gratia.

8. *Apponitur.* Apud J. V. L. *opponitur*, sed errore operarum.

9. Asconius, « et ex creditoribus », quod recepit sine admonitione Lamb.

10. *Copiis.* Significat comites quos Dolabella secum adduxerat, præfectos, etc. ut Verri adessent; quibus opponitur rei Philodami solitudo.

11. *Fortunas.* Existimationem, caput, bona sua. Vid. pro Quint. 2.

12. *Amplius.* Formula in obscuris causis adhiberi solita, qua in diem aliam judicia proferebantur. Tametsi igitur multa Philodami causæ adversarentur, etiam illud accederet, quod, quia occisum hominem esse constaret, mala

XXX. Quid ego nunc in altera actione[1] Cn. Dolabellæ spiritus[2], quid hujus lacrymas et concursationes[3] proferam ? quid C. Neronis, viri optimi atque innocentissimi, nonnullis in rebus animum nimis timidum atque demissum ? qui in illa re quid facere potuerit[4], non habebat, nisi forte, id quod omnes tum desiderabant, ut ageret eam rem sine Verre et Dolabella : quidquid esset sine his actum, omnes probarent ; tum vero quod pronuntiatum est, non per Neronem judicatum, sed per Dolabellam ereptum[5] existimabatur. Condemnatur enim perpaucis sententiis Philodamus et ejus filius. Adest, instat, urget Dolabella, ut quam primum securi feriantur, quo[6] quam minime multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum, et miserum, et grave toti Asiæ provinciæ ; grandis natu parens adductus ad supplicium ; ex altera parte filius : ille, quod pudicitiam liberorum ; hic, quod vitam patris famamque sororis defenderat. Flebat uterque, non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris, filius. Quid lacrymarum ipsum Neronem putatis profudisse? quem fletum totius Asiæ fuisse? quem luctum et gemitum Lampsacenorum? securi esse percussos homines innocentes, nobiles, socios populi romani atque amicos, propter hominis flagitiosissimi singula-

Philodami causa videretur, non tamen prima actione condemnarunt.

XXX. 1. Alii, « in alteram actionem ». J. V. L.

2. *Spiritus*. Animi contentiones.

3. Al. *concursiones*. Sic Hot. ex MSS.

4. Ernest. putat scripsisse Tullium vel « quid faceret », vel « quid facere posset ». Quod recepit Schutz. Schellerus ei obloquitur, allato exemplo orat. pro Rosc. Amer. cap. 35, ubi est : « quid erat quod...voluerit? »

5. *Ereptum*. Vi extortum. Sic apud Senec. de Brev. vit. cap. 6 : « ausus judicibus reos commendare, et gratiam suam foro interponere tam efficaciter, ut quædam judicia constet ab eo rapta ».

6. *Quo*. Ut tempus infelix pater ac filius non habeant querendi coram multitudine, de Verris nefario scelere.

rem nequitiam atque improbissimam cupiditatem? Jam, jam[7], Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, misereri[8] potest. Verresne tibi tanti fuit, ut ejus libidinem hominum innocentium sanguine lui velles[9]? Idcircone exercitum atque hostem relinquebas, ut tua vi et crudelitate istius hominis improbissimi pericula sublevares? Quod enim eum tibi quæstoris in locum constitueras, idcirco tibi amicum in perpetuum fore putasti? Nesciebas, ab eo Cn. Carbonem consulem, cujus re vera quæstor fuit, non modo relictum, sed etiam spoliatum auxiliis, pecunia[10], nefarie oppugnatum et proditum? Expertus igitur es istius perfidiam tum, quum se ad inimicos[11] tuos contulit; quum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit; quum rationes ad ærarium, nisi damnato te, referre noluit.

XXXI. Tantæne tuæ, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac sustinere non provinciæ populi romani, non nationes exteræ possint? Tune quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit[1], immittentur homines[2]? expugnabuntur domus? civitates non modo pacatæ[3], ve-

7. *Jam, jam.* Hunc affectibus plenum locum, quo in genere mirabiliter Cicero excellit, indicare satis est. Conf. Quintil. IX, 1.

8. *Misereri.* Passivo sensu a *misereo*. Lamb. e cod. Memm. «jam jam D. me neque...miserere potest».

9. *Lui velles.* Abstergi ac deleri, ut nullum ejus vestigium criminis relinquatur.

10. Vocem *pecunia* omiserunt Hot. Manut. Lambin. quod pecunia auxiliis contineretur. Sed prudenter ea vox retinetur: ita tamen ut explicata et apertius prolata hoc adjuncto *auxilia* intelligamus. Garat.

11. *Inimicos.* Scaurum qui te accusavit.—*Damnato te.* Ne tibi falsa multa tribuentem redarguere posses.

XXXI. 1. Pessime Lambin. conj. «patuerit». *Parere libidini* idem est ac *servire libidini*.

2. *Homines.* Satellites tui.

3. *Non modo pacatæ.* Non modo

rum etiam sociorum atque amicorum, ad vim atque ad arma confugient, ut ab se atque ab liberis suis legati populi romani scelus ac libidinem propulsare possint? Nam quæro abs te, circumsessusne sis Lampsaci; cœperitne domum, in qua deversabare, illa multitudo incendere; voluerintne legatum populi romani comburere vivum Lampsaceni? Negare non potes: habeo enim testimonium[4] tuum, quod apud Neronem dixisti; habeo, quas ad eumdem literas misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio: TESTIMONIUM C. VERRIS IN ARTEMIDORUM. Recita[5] ex Verris literis ad Neronem[6]: EX LITERIS C. VERRIS AD C. NERONEM. NON MULTO POST IN DOMUM..... Bellumne populo romano Lampsaceni facere conabantur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebant? Video enim, et ex iis, quæ legi et audivi, intelligo, in qua civitate non modo[7] legatus populi romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit; nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici[8] atque inferri solere. Quæ fuit igitur causa, cur cuncta civitas Lampsacenorum de concione, quemadmodum tute scribis, domum tuam concurrerent[9]? Tu enim neque in literis, quas Neroni mittis, neque in testimonio, causam tanti tumultus ostendis ullam: obsessum te dicis; ignem alla-

quibuscum bellum nullum est; sed etiam pacis ac belli societas est contracta.

4. Asconius in exemplo suo legerat, « testimonium publicum tuum ». J. V. L.

5. *Artemidorum*. Forsan hoc Philodami filius nomine appellabatur. Conj. Lallem. « Philodamum ».

6. Absunt verba hæc, « Recita... Neronem », a multis MSS. Inseruit Hot. probante Lambin. Paullo infra codd. Hot. « Lampsaci civitas ». Codd. Pall. et edd. vett. « Lampsaceni civitas ». Lamb. « Lampsacena civitas ». Alii, « Lampsaceni cives ».

7. *Non modo*. Nedum: non dico.

8. *Bellum indici*. Bellorum, quæ ob male habitos legatos suscepta sunt, plenæ sunt historiæ romanæ.

9. Sic ex MSS edid. Græv. et Ern. Alii, *concurreret*. Lamb. *concurrerit*.

tum, sarmenta circumdata, lictorem tuum occisum esse dicis; prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas: causam hujus tanti terroris occultas. Nam si quam Rubrius injuriam suo nomine, ac non impulsu tuo et tua cupiditate fecisset; de tui comitis injuria questum ad te potius, quam te oppugnatum venirent. Quum igitur, quæ causa illius tumultus fuerit, testes a nobis producti dixerint, ipse celarit; nonne causam hanc, quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas perpetua confirmat?

XXXII. Huic homini parcetis igitur, judices, cujus tanta peccata sunt, ut ii, quibus injurias fecerit, neque legitimum tempus[1] exspectare ad ulciscendum, neque vim tantam doloris in posterum differre potuerint? Circumsessus es: a quibus? a Lampsacenis, barbaris hominibus, credo, aut iis, qui populi romani nomen contemnerent. Imo vero ab hominibus, et natura, et consuetudine, et disciplina lenissimis[2]; porro autem populi romani, conditione sociis, fortuna servis, voluntate supplicibus[3]: ut perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas injuriæ, tanta vis sceleris fuisset, ut Lampsaceni moriendum sibi potius, quam perpetiendum putarent, numquam illos in eum locum progressuros fuisse, ut vehementius odio libidinis tuæ, quam metu legationis moverentur. Nolite, per deos immortales, cogere socios atque ex-

XXXII. 1. *Legitimum tempus*. Quo, finito magistratus tempore, licebat ipsum ac comites ejus Romæ accusare. Quamdiu autem imperium habebant de his judicium fieri non poterat. Quod ex lege Servilia constat, in cujus fragmentis est: « de hisce, dum magistratum aut imperium habebunt, judicium non fiet ». Confer Brisson. de Formul. lib. II, cap. 24.

2. *Lenissimis*. Unde atrocior videtur injuria quæ eis tantam potuit lenitatem excutere.

3. *Supplicibus*. Qui fœdere quidem Romanorum sunt socii, fortunæ autem vicibus eorum servi, quum quidquid Romanis placuerit magistratibus pati metu cogantur, sed tamen animo

teras nationes, hoc uti perfugio[4]: quo, nisi vos vindicatis, utentur necessario. Lampsacenos in istum numquam ulla res mitigasset, nisi eum pœnas Romæ daturum credidissent. Etsi talem acceperant injuriam, quam nulla lege satis digne persequi poterant; tamen incommoda sua nostris[5] committere legibus et judiciis, quam dolori suo permittere[6] maluerunt. Tu mihi, quum circumsessus a tam illustri civitate sis propter tuum scelus atque flagitium; quum coegeris homines miseros et calamitosos, quasi desperatis nostris legibus et judiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere; quum te in oppidis et civitatibus amicorum non legatum populi romani, sed tyrannum libidinosum crudelemque præbueris; quum apud exteras nationes, imperii nominisque nostri famam tuis probris flagitiisque violaris; quum te ex ferro amicorum populi romani eripueris, atque e flamma sociorum evolaris; hic tibi perfugium speras futurum? Erras[7]: ut huc incideres[8], non ut hic conquiesceres, illi te vivum exire passi sunt.

XXXIII. Et ais[1], judicium esse factum, te injuria circumsessum esse Lampsaci, quod Philodamus cum filio condemnatus sit. Quid? si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo, te ipso, inquam, teste doceo[2], te hujus cir-

semper iis sunt obnoxii ac devoti.

4. *Perfugio.* Ut vi et armis ipsi suas injurias ulciscantur.

5. Sic cod. Franc. 1, et receperunt Græv. Ernest. Al. *vestris.*

6. *Permittere.* Scil. ut ipsi suas injurias ulciscerentur.

7. *Erras.* Locum de Clodio ex epistola quadam ad Atticum, notandæ similitudinis causa, confer: « Erras, Clodi: non te judices urbi, sed carceri reservarunt, neque retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt».

8. *Incideres.* Ut in hæc judicia, tamquam in saxa, quibus frangereris, impingeres.

XXXIII. 1. *Et ais.* Et dicis, Verres, judicio declaratum fuisse te injuste a Lampsacenis circumsessum.

2. Alii, *docebo.* J. V. L.

cumsessionis tuæ causam et culpam in alios transtulisse[3]? neque in eos, quos tu insimularas[4], esse animadversum? jam nihil te judicium Neronis adjuvat. Recita, quas ad Neronem literas misit: EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM: THEMISTAGORAS ET THESSALUS... Themistagoram et Thessalum scribis populum concitasse. Quem populum? qui te circumsedit; qui te vivum comburere conatus est. Ubi hos persequeris? ubi accusas? ubi defendis jus nomenque legati? In Philodami judicio dices id actum. Cedo mihi ipsius Verris testimonium: videamus, quid idem iste juratus[5] dixerit. Recita: AB ACCUSATORE ROGATUS[6] RESPONDIT, IN HOC JUDICIO NON PERSEQUI; SIBI IN ANIMO ESSE, ALIO TEMPORE PERSEQUI. Quid igitur te juvat Neronis judicium? quid Philodami damnatio? Legatus quum esses circumsessus, quumque, quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo romano communique causæ legatorum facta esset injuria insignis, non es persequutus: dicis tibi in animo esse, alio tempore persequi. Quod fuit id tempus? quando es persequutus? Cur imminuisti[7] jus legationis? cur causam populi romani deseruisti ac prodidisti? cur injurias tuas, conjunctas cum publicis, reliquisti[8]? Non te ad senatum causam deferre; non de tam atrocibus injuriis conqueri; non eos homines, qui populum concitarant[9], consulum literis evocandos[10] curare opor-

3. Lambin. ex Asconio, *contulisse*. J. V. L.

4. Iidem, *insimularis*. J. V. L.

5. *Juratus*. In testimonium producti homines jurabant se veritatem dicturos.

6. Ascon. habet *Interrogatus*.

7. *Imminuisti*. Adnotat Liv. IV: « Censores ægre passi, Mamercum, quod magistratum populi rom. imminuisset, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt ».

8. *Reliquisti*. Inultas. Sic pro Cæc. « Nunc vero quis est, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere ».

9. Ab Hotomanno; alii, *concitarunt*, vel *concitarent*. J. V. L.

10. *Evocandos*. Romam, ut populo rom. de tumultu illo satisfacerent.

tuit? Nuper, M. Aurelio Scauro[11] postulante, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus e fano Dianæ servum suum, qui in illud asylum[12] confugisset, abduceret; Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam evocatus est, quod auctor injuriæ illius fuisse argueretur : tu, si te legatum ita Lampsaci tractatum esse, senatum docuisses, ut tui comites vulnerarentur, lictor occideretur, ipse circumsessus pæne incenderere; ejus autem rei duces et auctores et principes[13] fuisse, quos scribis, Themistagoram et Thessalum : quis non commoveretur? quis non ex injuria, quæ tibi esset facta, sibi provideret? quis non in ea re causam tuam, periculum commune agi arbitraretur? Etenim nomen legati ejusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur[14].

XXXIV. Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis atque improbissimæ cupiditatis : accipite nunc avaritiæ propemodum in suo genere non levius. Mile-

11. *M. Aurelio Scauro*. Alius ab eo qui Dolabellam accusavit; ille ex gente Aurelia plebeia fuit et consul A. U. 642. Vid. Epit. Liv. LXII, et Vell. Pat. II, 12.

12. *Asylum*. Jus *asyli* Ephesini, ob magnæ Dianæ celebritatem, quam late patuerit, docet Strabo. Ceterum fugitivos servos ex asylis retrahi licuisse probat locus Plut. de Is. et Os. Interdum autem Græcis asylorum jus fuit concessum, interdum demptum, hinc Romanis publicæ utilitati prospicientibus, inde Græcis vetustæ religionis jura defendentibus. Quod scribit Sueton. in Tiber. 36: « Abolevit, inquit, Tiberius, et jus moremque asylorum quæ usquam erant ». Significat non omnibus fuisse sacris locis asylum. Ceterum apparet jus ad statuas deorum aut imperatorum confugiendi, non omnino hoc decreto fuisse sublatum, et in Capitolio propter religionem id jus fuisse ne supplices per vim abducerentur. Qua de re confer egregium Taciti Annal. III, 60 locum, et Spanhem. de Numism. p. 671.

13. Gruterus testatur in MSS tribus suis nullam esse copulam, legique vult, « auctores principes ». Nihil tamen putamus a vulgatis recedendum. J. V. L.

14. *Versetur*. Sic de Harusp. resp. « Sic enim sentio, jus legatorum, quum hominum præsidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum ».

sios navem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum atque armatum dederunt. Hoc præsidio Myndum profectus est. Nam, quid Milesiis lanæ publicæ[1] abstulerit, item de sumptu in adventum, de contumeliis et injuriis in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum graviter et vehementer potest, tamen dicere prætermittam, eaque omnia testibus integra reservabo : illud, quod neque taceri ullo modo, neque dici pro dignitate[2] potest, cognoscite. Milites remigesque Miletum Myndo pedibus reverti jubet : ipse myoparonem pulcherrimum, de decem Milesiorum navibus[3] electum, L. Magio et L. Rabio, qui Myndi[4] habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero habendos censuit; hoc illi navigio ad omnes populi romani hostes, usque ab Dianio, quod in Hispania[5] est, ad Sinopen, quæ in Ponto est, navigaverunt. O dii immortales! incredibilem avaritiam, singularemque audaciam! Navem tu de classe populi romani, quam tibi Milesia civitas, ut te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? Si te magnitudo maleficii, si te

XXXIV. 1. *Lanæ publicæ.* Milesia civitas publicos in pascuis habebat ovium greges, ex quorum lana vectigalia augebat. Hinc sunt lanæ publicæ. Lanæ Milesiæ passim apud scriptores veteres celebrantur, ut pretiosissimæ. Virg. Georg. III, 306; IV, 134. Plin. VIII, 73.

2. *Pro dignitate.* Ut digna res est. Mallet Grævius *indignitate*, et sic habet Schütz. Frustra. Nam dignitas in utramque partem accipitur, ut græca vox ἀξίωσις, ἀξίωμα. Cic. de Invent. II, 160 : « Justitia est habitus animi ...suam cuique tribuens dignitatem ».

3. *De decem navibus.* Quas Milesii ex fœdere Romanis præbebant.

4. *Myndi.* In ditione Mithridatis. Magius enim et Phanius, seu Fannius, al. Rabirius, ad Mithridatem transfugerant, Ponti regem, qui eos ad Sertorium in Hispaniam miserat, de paciscenda belli societate adversos Romanos.

5. Schütz exsulare hinc jubet *Hispaniam* et *Pontum.* Male. J. V. L. — Verba enim hæc locorum intervallum magis demonstrant, et amplificant.

hominum existimatio non movebat; ne illud quidem cogitabas, hujus improbissimi furti, sive adeo nefariæ prædæ, tam illustrem ac tam nobilem civitatem testem futuram? An, quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Milesiisque rem gestam renuntiarat, animadvertere tuo rogatu conatus est, renuntiationemque ejus, quæ erat in publicas literas relata illorum legibus, tolli jusserat: idcirco te ex hoc crimine elapsurum esse arbitrabare[6]?

XXXV. Multum te ista fefellit opinio, et quidem multis in locis. Semper enim existimasti, et maxime in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore[1], si aut referri aliquid in literas publicas vetuisses, aut, quod relatum esset, tolli coegisses. Hoc quam nihil sit, tametsi ex multis Siciliæ civitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa civitate cognosce. Sunt[2] illi quidem dicto audientes, quamdiu adsunt ii[3], qui imperant: simul ac discesserunt, non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt, cur non tum in literas relatum sit. Manent istæ literæ Mileti, manent, et, dum erit illa civitas, manebunt. Decem enim naves jussu L. Murenæ[4] populus Milesius ex pecunia vectigali[5] populi romani fecerat, sicut pro sua quæque parte Asiæ ceteræ civitates. Quamobrem unam ex decem, non prædonum repentino adventu, sed legati latrocinio; non

6. Alii, *arbitrabere*. Sed cf. finem cap. 39. J. V. L.

XXXV. 1. *Ad defensionem fore*. Voces has glossam sapere contendit Lambin.

2. *Illi*. Provinciales.

3. *Ii* legendum conj. Gœrenz. ad Ciceronem lib. de Finibus, II, 34. J. V. L.

4. *L. Murenæ*. Patris ejus, pro quo exstat Ciceronis oratio. Post Sullæ discessum, cujus legatus in Asia fuit, sponte sua bellum instauravit cum Mithridate, et Asiæ urbibus in fidem populi romani receptis, de eo, anno 678, triumphavit.

5. *Vectigali*. Quam populo rom. debebat ex fœdere. — Multi codd.

vi tempestatis, sed hac horribili tempestate[6] sociorum, amissam, in literas publicas retulerunt. Sunt Romæ legati Milesii, homines nobilissimi, ac principes civitatis: qui, tametsi mensem februarium[7], et consulum designatorum nomen exspectant[8], tamen hoc tantum facinus non modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt: dicent, inquam, et religione adducti, et domesticarum[9] legum metu, quid illo myoparone factum sit; ostendent, C. Verrem in ea classe, quæ contra piratas ædificata sit, piratam[10] ipsum consceleratum fuisse.

XXXVI. C. Malleolo, quæstore Cn. Dolabellæ, occiso, duas sibi hereditates venisse arbitratus est: unam quæstoriæ procurationis; nam a Dolabella statim proquæstore jussus est esse: alteram tutelæ; nam, quum pupilli Malleoli tutor esset, in bona ejus impetum fecit. Nam Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret: præterea pecunias occuparat[1] apud populos, et syngraphas fe-

« populo rom. » probant Lallem. et Beck.

6. *Tempestate.* Sic Verrem appellat.

7. *Februarium.* Qui totus postulatis sociorum et legationibus audiendis dari solebat.

8. *Nomen exspectant.* Ipsum consulum, qui de suis petitionibus sunt relaturi, nomen formidant. Sic optime Ascon. Schütz *nutum* post Grævium. Falso. Pro *exspectant* Asconius legi etiam testatur *extimescunt.* Desjard. mallet *spectant.* Quæ inutilia sunt, quia in verbo *exspectant* metus inest. Exspectant enim ut adversarios suos, et unde timere aliquid possint, si Verrem testimonio suo læserint. Sensus est: Tametsi mensem februarium, quo beneficia a senatu petituri sunt, ac simul de injuriis questuri, et consules Hortensium ac Metellum, qui de ipsorum postulatis ad senatum referant, cum formidine exspectant, quia si contra Verrem fuerint loquuti, isti Verris amici male de illis ad senatum referent, tamen, etc.

9. *Domesticarum.* Quibus coguntur de patriæ suæ incommodis non tacere.

10. *Piratam.* Quia ex ea classe navem abstulit, et vendidit.

XXXVI. 1. *Occuparat.* Fœnori dederat. *Vacua* et *otiosa* pecunia vocatur, quæ usuras nullas confert. Solebant autem Romani pecuniam in provinciis, eamque sub gravissimis usuris collocare. Sicuti Brutus, qui quaternas centesimas a Salaminiis pepigerat; aut Seneca, cui « Italiam et

cerat; argenti optimi cælati grande pondus secum tulerat (nam ille quoque sodalis [2] istius erat in hoc morbo et cupiditate); grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formosos homines reliquerat [3]. Iste, quod argenti placuit, invasit; quæ mancipia voluit, abduxit; vina, ceteraque, quæ in Asia facillime [4] comparantur, quæ ille reliquerat, asportavit; reliqua vendidit, pecuniam exegit. Quum eum ad H-S vicies [5] quinquies redegisse constaret; ut Romam rediit, nullam literam pupillo, nullam matri ejus, nullam tutoribus reddidit: servos artifices pupilli quum haberet domi, circum pedes [6] autem homines formosos et literatos; suos esse dicebat, se emisse. Quum sæpius mater et avia pueri postularent, uti, si non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret saltem, quantum pecuniæ Malleoli deportasset; multis efflagitatus aliquando dixit H-S decies: deinde in codicis extrema cera [7] nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono servo H-S sexcenta

provincias immenso fœnore hauriri » exprobrabatur. Vide sup. cap. 29; ad Attic. V, 21; Tac. Ann. XIII, 42, etc. — *Syngraphas. Syngrapha* est cautio scripta manu eorum inter quos convenit. Vide Salmas. de Usur. 6.

2. *Sodalis.* Nam Malleolus ut in ceteris rebus, sic in avaritia sodalis et assecla Verris erat.

3. Alii, *reliquit.* J. V. L.

4. *Facillime.* Vili pretio.

5. *H-S vicies,* etc. (gall. 512,000 f.)

6. *Circum pedes.* Qui cœnanti domino ad pedes stabant. Vide Sen. de Ben. III, 27.

7. *Extrema cera.* Ultima parte paginæ. Notum veteres ceratis tabellis uti; inde prima, secunda cera, i. e. pagina. Porro deletis H-S decies centenis millibus, quæ scripta esse debebant, Verres reposuit sexcenta millia; et sub ipsa litura, quam flagitii hujus causa fecerat, nomen s. debitum subscripsit his verbis: Quæ servo meo Chrysogono sexcenta data et expensa sunt in Asia, ea a pupillo Malleolo, i. e. ex Malleoli nummis, seu pupilli nomine, cui hæc debebantur, illi expensa sunt. Malleolo hæc ego debeo. Nam « acceptum referre alicui » est scribere se ab aliquo accepisse: *expensum ferre,* scribere se dedisse. Ad h. l. confer etiam Lambin. ad Horat. Sat. II, 53: « Sic tamen, ut limis rapias quid prima secundo Cera velit versu », et viros doctos ad illud Sueton. Jul. cap. 83: « reliquos in ima cera ».

millia[8] accepta pupillo Malleolo retulit. Quomodo[9] ex decies H-S sexcenta sint facta; quomodo DC eodem modo quadrarint, ut illa, de Cn. Carbonis pecunia, reliqua H-S sexcenta facta sint; quomodo Chrysogono expensa lata sint; cur id nomen infimum, in lituraque sit, vos existimabitis. Tamen H-S sexcenta millia quum accepta retulisset, H-S quinque millia soluta non sunt. Homines, posteaquam reus factus est, alii redditi, alii etiam nunc retinentur; peculia[10] omnium vicariique retinentur.

XXXVII. Hæc est istius præclara tutela. En, cui tuos liberos committas; en memoria[1] mortui sodalis; en metus vivorum existimationis. Quum tibi se tota Asia spoliandam ac vexandam tradidisset; quum tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia: contentus his tam opimis rebus non fuisti? manus a tutela, manus a pupillo, manus a sodalis filio abstinere non potuisti? Jam te non Siculi, non aratores, ut dictitas, circumveniunt; non hi, qui decretis edictisque tuis in te concitati infestique sunt: Malleolus a me productus est, et mater ejus atque avia; quæ miseræ[2], flentes, eversum a te puerum patriis bonis esse dixe-

8. *Millia acc.* Alii aliter refingunt. J. V. L. — Nihil mutandum.

9. *Quomodo.* Jam vestrum est, judices, æstimare primum quomodo H-S decies centena millia subito ad sexcenta millia redacta sint, seu quomodo qui paullo ante fassus est se pupilli nomine decies accepisse, in tabulis accepti tantum sexcenta retulerit; dein quomodo redacta ex Malleoli bonis pecunia tam præcise confecerit hanc summam, ita ut neque plus, neque minus inveniatur: eadem ratione, qua olim scripsit de illa Carboni erepta pecunia præcise H-S sexcenta millia reliqua se habuisse; postea quam ob causam illa Chrysogono Verris servo data sint.

10. *Peculia.* I. e. pecunia quam servus de demenso suo sibi comparat. Ex illa sæpius sibi *vicarium* servum lautiores servi emebant, qui pars peculii erat, et cujus laborem lucro apponebant. Conf. Plant. Asinar. II, 4, et Martial. Epigr. II, 18.

XXXVII. 1. Duo codd. apud Lambinum, « memoriam... metum ». Minus numerosa compositio. J. V. L.

2. Beckius ex codd. « misere flentes ». J. V. L.

runt. Quid exspectas? an dum ab inferis ille Malleolus exsistat, atque abs te officia tutelæ, sodalitatis, familiaritatisque flagitet? Ipsum putato adesse: « Homo « avarissime et spurcissime, redde bona sodalis[3] filio : « si non quæ abstulisti; at quæ confessus es. Cur cogis « sodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore « et querimonia emittere[4]? cur sodalis uxorem, sodalis « socrum, domum denique totam sodalis mortui, contra « te testimonium dicere? cur pudentissimas lectissi- « masque feminas in tantum virorum conventum in- « solitas invitasque prodire cogis? » Recita omnium testimonia : TESTIMONIUM MATRIS ET AVIÆ.

XXXVIII. Proquæstore[1] vero quomodo iste commune[2] Milyadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æstimando, hac sua, quam tum primum excogitavit, Siciliensi[3] æstimatione afflixerit, non est necesse demonstrare verbis. Hoc scitote : his nominibus (quæ res per eum gestæ sunt, quum iste civitatibus frumentum, coria[4], cilicia, saccos[5] imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret),

3. *Sodalis*. Sic appellatur proprie collega ac socius, cum quo sacra celebramus.

4. Lambinus, *mittere*. J. V. L.

XXXVIII. 1. *Proquæstore*. I. e. factus quæstor in locum mortui Malleoli.

2. *Commune*. Communitatem, rempublicam. Græca locutio : τὸ κοινόν. Porrò Milyas montana regio ab angustiis Tauri montis, usque ad Apameensium regionem extenditur. Strab. in fin. lib. XIII.

3. *Siciliensi*. Qua postea in Sicilia usus est. Verr. III, 81. Porro quæstorum præcipue frumentaria erat procuratio, qui frumenti certam vim a vectigalibus dari imperabant, aut etiam emebant ac æstimabant.

4. *Coria*. Quibus tabernacula militibus conficiebantur. T. Liv. V, 2. — *Cilicia*. Vestes e lana caprina textas, quibus in castris utebantur, et quarum usus in Cilicia repertus est. Varr. de Re rust. II, 11. Virgil. Georg. III, 313: « barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci, sætasque comantis, Usum in castrorum, etc. »

5. Grævius, *sagos*. J. V. L. — Recte monuit Ernest. *saccos* in urbium oppugnationibus usurpari ad frangendam vim telorum, arietum, ut *Cilicia*.

his nominibus[6] solis, Cn. Dolabellæ H-S ad tricies litem esse æstimatam. Quæ omnia, etiamsi voluntate Dolabellæ fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. Consistam in uno nomine[7]: multa enim sunt ex eodem genere. Recita : DE LITIBUS ÆSTIMATIS CN. DOLABELLÆ PR. PECUNIÆ REDACTÆ. QUOD A COMMUNI MILYADUM.... Te hæc coegisse, te æstimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico; eademque vi et injuria, quum pecunias maximas cogeres, per omnes partes provinciæ te, tamquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque, pervasisse demonstro. Itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusavit, istum in sua potestate ac ditione tenuit. Homo adolescens quum istius in inquirendo multa furta ac flagitia cognosceret, fecit perite et callide: volumen ejus rerum gestarum maximum isti ostendit; ab homine, quæ voluit, in Dolabellam abstulit; istum testem produxit: dixit iste, quæ velle accusatorem putavit. Quo ex genere mihi testium, qui cum isto furati sunt, si uti voluissem, magna copia fuisset; qui ut se periculo litium, conjunctione criminum liberarent[8], quo ego vellem, descensuros pollicebantur. Eorum ego voluntatem omnium repudiavi: non modo proditori, sed ne perfugæ quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Forsitan meliores[9] illi accusatores habendi sunt, qui hæc omnia fecerunt; sed

6. *Nominibus*. Articulis pro hac re sola. — *H-S ad tricies* (615,000 fr.)

7. *In uno nomine*. A privatis Malleoli ad publicas regionum injurias transit Cicero, et postquam Asiam in eo maxime afflictam ostendit, quod Verres pro imperato frumento ipse pecuniam exigeret quantam vellet ab unaquaque civitate, unum hujusce generis furtum exempli gratia desumit, et ne judicum patientia abutatur, si de cunctis civitatibus agat nominatim, reliquas omittit, et exponit solum, quantum pecuniæ ab una illarum eripuerit, ex nomine uno reliqua conjecturæ permittens. Errant h. l. Ascon. et Manut.

8. *Liberarent*. Dummodo periculi communione exsolverentur.

9. *Meliores*. Peritiores.

ego defensorem in mea persona, non accusatorem[10], maxime laudari volo. Rationes ad ærarium, antequam Dolabella condemnatus est, non audet referre[11]; impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret : proinde quasi exscribendi potestatem non haberet. Solus est hic, qui numquam rationes ad ærarium referat.

XXXIX. Audistis quæstoriam rationem tribus versiculis relatam; legationis[1] non, nisi condemnato et ejecto eo, qui posset reprehendere : nunc denique præturæ, quam ex senatusconsulto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit. Quæstorem[2] se in senatu exspectare dixit : perinde quasi non, ut quæstor sine prætore, posset[3] rationem referre (ut tu, Hortensi, ut omnes) eodem modo sine quæstore prætor. Dixit, idem Dolabellam impetrasse. Omen[4] magis patribus conscriptis, quam causa placuit : probaverunt. Verum quæstores quoque jampridem venerunt : cur non retulisti? Illarum rationum ex ea fæce[5] legationis, quæstoriæque tuæ procurationis, illa

10. *Accusatorem.* Accusatorium nomen ita viro bono fugiendum est, ut aut diei omnino se accusatorem nolit, aut velit se non satis accusatorem videri. Ascon.

11. *Referre.* Quia earum redargui falsitas potuisset.

XXXIX 1. *Legationis.* Sensus est : Audistis quæsturæ rationes tribus lineis relatas; audistis legationis non relatas rationes, nisi eo, etc. nunc denique rationem præturæ non retulit, etc.

2. *Quæstorem.* Alterum e suis quæstoribus, qui bini erant, Syracusanus et Lilybætanus. Habet Ascon. Desjard. et Sch. *quæstores.*

3. Manut. et Hotom. « posset referre ». Sed nobiscum faciunt Victor. Car. Steph. Lambin. et uterque MS Franc.

4. *Omen.* Utebatur Verres Dolabellæ exemplo, qui repetundarum fuerat damnatus; hinc ominati sunt eumdem fore hujusce judicii exitum; quod omen magis eis placuit quam excusatio.

5. *Fæce.* Ex residuis sordibus illius tuæ legationis capita desumam quæ Dolabellæ fuerunt imputata.

sunt nomina[6], quæ Dolabellæ necessario sunt æstimata: Ex litibus æstimatis[7] Dolabellæ pr. p. r. pecuniæ[8] redactæ. Quod[9] minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulerit, H-S quingenta triginta quinque millia; et quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit, H-S ducenta triginta duo millia; et quod plus frumenti fecit accepisse istum, H-S decies et octingenta millia: quod tu[10], homo castissimus, aliud in tabulis habe-

6. *Nomina.* Articuli, capita. — *Necessario.* Eæ pecuniæ non poterant non Dolabellæ imputari, in litis æstimatione, quia Verres rationes non edebat, ut ab illo exigi possent, si in rationibus haberet. Ernest.

7. *Litibus æstimatis.* Quid sit *litem æstimare*, vide Act. I, cap. 13. Porro Desjard. h. l. alium in sensum detorquet, accipit pro tabulis et instrumentis ex quibus lis peragitur (gall. *les pièces du procès*). *Redactæ* non est hic, ut sæpe alias, *ex divenditis bonis collectæ*, quæ interpretatio hic non habet locum, sed significat, « ex pluribus tabulis in quibus sparsæ jacebant, descriptæ et in unam tabulam conjectæ et collectæ ». Sed ei hac in re assentiri difficile, quum nullis sit fretus exemplis. Malim eum Garatonio credere illum fuisse quæstorii ex ærario codicis titulum, in quo perscriptum fuerit, quantùm quæstores ex bonis Dolabellæ ærario pecuniam intulerint, et quantum unicuique creditorum ex litibus æstimatis nomini fuerit persolutum. Quod quidem ut a quæstore perfici posset, antea ex judiciali æstimatione deposita oportuit esse in ærario nomina omnia, quantum cuique repetundarum lege de bonis Dolabellæ solvendum esset. Vide legis antiquæ de repet. fragmentum apud Brisson. de Form. II, 30.

8. *Pr. p. r.* Prætore populi romani. Vulgo *pr. et propr.* h. e. prætore et proprætore.

9. *Quod minus.* Verba hæc usque ad illa, *quod tu homo*, non Ciceroni, sed tabulis adscripsit Desjard. neque falso; ita ut hoc in obscuro loco paullum saltem lucis fiat. Scilicet damnatus est Dolabella. Quia scripsit in suis tabulis Dolabella, se a Verre sestertium quingenta triginta quinque millia (109,225 fr.) minus accepisse, quam Verres illi se dedisse scripserat in suis; et quia scripsit Dolabella plus accepisse sestertium ducenta triginta duo millia (47,660 fr.) — *H-S decies*, etc. (369,000 fr.)

10. *Quod tu.* Quas tu pecunias, longe aliter ac Dolabella, in tabulis tuis scriptas habebas. Conjicit Ernest. « id tu h. c. » Reponit Wyttenbach. autem Bibl. crit. vol. I, pars II, pag. 9: *quæ tu, homo cautissimus, aliis in tabulis habebas.* « Verres nimirum pecuniam, quam aliis surripuerat, in tabulas suas non referebat, neque etiam si quam aliis dederat, ne tabulis suis convinci posset in judicio. Itaque per cavillationem vocatur cautissimus, quod illa nomina non in suis, sed

bas. Hinc illæ extraordinariæ[11] pecuniæ, quas nullo duce, tamen aliqua ex particula investigamus, redundarunt; hinc[12] ratio cum Q. et Cn. Postumis[13] Curtiis, multis nominibus, quorum in tabulis iste habet nullum; hinc H-S quaterdecies[14] P. Tadio numeratum[15] Athenis, testibus planum faciam; hinc empta apertissime prætura : nisi forte id etiam dubium est, quomodo iste prætor factus sit. Homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione præclara, aut denique, id quod levissimum est, assiduitate[16]: qui ante quæsturam cum meretricibus lenonibusque vixisset; quæsturam ita gessisset, quemadmodum cognovistis; Romæ post quæsturam illam nefariam vix triduum constitisset; absens non in oblivione jacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset : is repente, ut Romam venit, gratis prætor factus est? Alia porro pecunia, ne accusaretur, data. Cui sit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror : datam quidem esse tum inter omnes recenti negotio facile constabat. Homo stultissime et amentissime, tabulas quum conficeres, et quum extraordinariæ pecuniæ[17] crimen subterfugere velles; satis te

aliorum tabulis babebat, quibus tamen tabulis convincebatur. Conf. quæ mox sequuntur : *homo stultissimus... existimasti* ». Ingeniosissime quidem, sed non ad locum; et nimia mutandi curiositate.

11. *Extraordinariæ*. Extra ordinem; nempe quas, injustis et turpibus modis conciliatas, non sudet Verres in tabulas acceptorum referre, ne ex iis convinci possit. « Nullo duce », i. e. tabulis Verris destitutus.

12. *Ratio*. Hinc pecuniæ illæ, quæ plurimis syngrapbis inclusæ, in Curtiorum tabulis referuntur.

13. Sic Ursinus optime, pro *Postumiis*. J. V. L.

14. *Quaterdecies*. Quadragies (gall. 820,000 fr.)—*P. Tadio*. Verris in Sicilia legato. Verr. II, 20.

15. Alii, *numerata*. J. V. L.

16. *Assiduitate*. Quotidiana præsentia. Sic Quintus de petitione: « jam assiduitatis nullum est præceptum, verbumque ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer, nusquam deesse; sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romæ atque in foro, etc. »

17. Olim edebatur « extraordinaria

elapsurum omni suspicione arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres, quum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent? Quid proderat tibi, te expensum illis non tulisse? An tuis solis tabulis te causam dicturum existimasti?

XL. Verum ad illam jam veniamus præclaram præturam [1], criminaque ea, quæ notiora sunt his, qui adsunt, quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus: in quibus non dubito, quin offensionem negligentiæ vitare atque effugere non possim. Multi enim ita dicent: « De illo nihil dixit, in quo ego interfui: illam injuriam non attigit, quæ mihi, aut « quæ amico meo facta est, quibus ego in rebus in- « terfui. » His omnibus, qui istius injurias norunt, hoc est, populo romano universo, me vehementer excusatum volo, non negligentia mea fore, ut multa prætercam, sed quod alia testibus integra reservari velim, multa autem propter rationem brevitatis ac temporis prætermittenda existimem. Fatebor etiam illud invitus [2], me prorsus, quum iste punctum temporis nullum vacuum peccato præterire passus sit, omnia, quæ ab isto commissa sunt, non potuisse cognoscere. Quapropter ita me de præturæ criminibus auditote, ut ex utroque genere, et juris dicundi, et sartorum [3] tectorum exigendorum, ea postuletis, quæ maxime digna

pecunia », servatum etiam a Ferrat. Garaton. Beck. Manutii vero emendationem ut certissimam receperunt Græv. Ernest. Sch. alii. J. V. L.

XL. 1. *Præturam.* Hanc gessit Verres L. Lucullo et M. Cotta coss. anno 679. De prætoris urbani muneribus adi ad excursum ad finem hujus orationis.

2. Ernest. vix dubitat, Ciceronem scripsisse « haud invitus ». Alii e recentioribus dubitant, inter quos editor Lipsiensis. J. V. L.

3. *Sartorum. Sartus* et *tectus* derivata sunt a verbis *sarcio* et *tego*: *sarta tecta* (subaud. *opera*) proprie dicuntur ædificia integra et in parietibus et in tecto. *Sarta tecta exigere*, est curare ut opera publica, nempe

sint[4] eo reo, cui parvum ac mediocre objici nihil oporteat.

Nam ut prætor factus est, qui auspicato[5] a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanæ provinciæ, magis ex sua et Chelidonis, quam ex populi romani voluntate : qui principio, qualis in edicto[6] constituendo fuerit, cognoscite.

XLI. P. Annius Asellus mortuus est, C. Sacerdote prætore. Is quum haberet unicam filiam, neque census[1] esset; quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis heredem institueret. Heres erat filia : faciebant omnia cum pupilla, leges[2],

urbis templa, viæ, ædificia publica, etc. integra præstent redemptores, qui ea tuenda et servanda certo pretio locaverunt. Ea cura ad censores pertinebat. Cic. de Leg. III, § 7. Sed quum, Verre prætore, nulli essent, ei muneri iste extra ordinem præfuit. De *sartis tectis* vide doctissimas explanationes Gronovii in Lect. Plant. Amstelædami 1740, p. 431 sq.

4. Vulgo *sunt*. Sic tamen Priscian. p. 1153. J. V. L.

5. *Auspicato*. Facete respicitur ad morem magistratuum auspicandi extra pomœrium in tentorio; qui auspicium exspectantes, quum vocem avis faustæ audissent, surgebant statim et abibant; quod erat *auspicato surgere*. Porro *chelidon* Græcis, Latinis hirundo, est avis species, et meretricis Verris amicæ, nomen. Hinc jocus; et addito verbo *surrexisset*, invidiose ostendit istum non a religione, de more, præturam, sed a re turpissima, auspicatum fuisse.

6. *Edicto*. De prætoris urbani edicto plura vide in Excursu ad calcem orationis.

XLI. 1. *Census esset*. Q. Voconius Saxa trib. pl. anno 584 tulit, ne qui census esset, h. e. qui professus esset facultates suas apud censores, mulierem (ne filiam quidem unicam) heredem suis bonis supra quadrantem, aut, ut Perizonio placet, supra centum millia sestertium (20,500 fr.) institueret; ne plus legaret alii cuiquam, quam ad heredem, heredesve perveniret. Sed rigidam hanc legem multi sic eludebant, ut apud censores nomina haud profiterentur, et, quia *non censi* essent, illa lege teneri se negarent. P. Annius census non fuerat, sive quod legem subterfugerat, sive quod his annis intermisso censu non potuerat censeri, atque ideo, nulla lege prohibente, heredem bonis suis filiam unicam instituerat. De lege Voconia vide Cic. de Fin. II, 17. A. Gell. XX, 1, et maxime doctissimam Perizonii dissertationem, qui hunc locum illustrat; ac *Montesquieu, Esprit des Lois*, lib. XXVII, qui hoc caput et seqq. optime de more interpretatur et explicat. Vid. Ind. Leg.

2. Sic Grævius e Prisciano, XVIII,

æquitas, voluntas patris, edicta prætorum, consuetudo juris ejus, quod erat tum, quum Asellus est mortuus. Iste, prætor designatus (utrum admonitus, an tentatus, an, qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice, pervenerit ad hanc improbitatem, nescio: vos tantum hominis audaciam amentiamque cognoscite), appellat heredem L. Annium, qui erat institutus secundum [3] filiam (non enim mihi persuadetur, istum ab illo [4] prius appellatum); dicit, se posse ei condonare edicto [5] hereditatem; docet hominem, quid possit fieri [6]. Illi bona res, huic vendibilis videbatur. Iste, tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillæ matrem summittebat [7]: malebat pecuniam accipere, ne quid novi ediceret, quam ut hoc edictum tam improbum et inhumanum interponeret. Tutores, pecuniam prætori si pupillæ nomine dedissent, grandem præsertim, quemadmodum in rationem [8] inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant; simul et istum fore tam improbum non arbitrabantur: sæpe appellati, pernegaverunt. Iste ad arbitrium ejus, cui condonarat hereditatem ereptam liberis, quam æquum edictum scripserit, quæso, cognoscite: QUUM INTELLIGAM, LEGEM VOCONIAM. Quis umquam crederet, Verrem mulierum adversarium futurum? an ideo ali-

verissime: et infra de hoc testamento dicitur cap. 42: « eum jure, legibus, auctoritate omnium, quos consuluisset, testamentum fecisse ». Vulgo « legis æquitas », quod parum aptum est, quum non hic agatur de una quadam lege. Grævius ex eodem grammatico edidit *puella*, quia nondum tutoris facta mentio est. Sed etiam mox *pupilla* cum *matre* conjungitur.

3. *Secundum.* Post filiam, si nempe illa sine liberis moreretur, secundus hic heres, hereditatem adiisset. Franc. 1 habet « qui erat substitutus ».

4. *Istum ab illo.* Non enim credo rem ab Annio Verri fuisse propositam.

5. *Condonare edicto.* Se scripturum in ejus gratiam edictum, quo hereditas hæc ad eum perveniret.

6. *Quid possit fieri.* Qua ratione id fieri possit; quid pro eo facere possit.

7. *Summittebat.* Clam mittebat.

8. *In rationem.* In librum rationum.

quid contra mulieres fecit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur? Cupiditati hominum ait se obviam ire. Quis[9] potius, non modo his temporibus, sed etiam apud majores nostros? quis tam remotus fuit a cupiditate? Dic, quæso, cetera : delectat enim me hominis gravitas, scientia juris, auctoritas : QUI[10] AB A. POSTUMIO, Q. FULVIO CENSORIBUS, POSTVE EA FECIT, FECERIT. Fecit, fecerit! Quis umquam edixit isto modo? quis umquam ejus rei fraudem aut periculum proposuit edicto, quæ neque post edictum, neque ante edictum provideri potuit?

XLII. Jure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat, non improbum[1], non inofficiosum, non inhumanum : quod si ita fecisset; tamen post illius mortem nihil de testamento illius novi juris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat? imitatus esses[2] ipsum illum Q. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri; sanxit in posterum, qui post eos censores census esset, ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret. In lege Voconia non est, FECIT, FECERIT : neque in ulla præteritum tempus reprehen-

9. Olim *quid*. Guliel. ita distinguit : « Quis potius ? non modo his temporibus, sed etiam apud majores nostros, quis tam remotus fuit a cupiditate ? » J. V. L. — Sensus est : Quis potius quam Verres cupiditati hominum obviam iverit, non modo his, sed etiam prioribus temporibus, si vixisset?

10. *Qui*. Verba edicti Verrini. Qui a tempore quo A. Postumius et Q. Fulvius censores fuerunt, h. e. ab anno 579, qui annus, quinquennio fuit ante Voconiam legem, postve illud tempus, in testamento mulierem heredem fecit, aut faciet, cassum faciam testamentum. In eo peccavit Verres, quod etiam in tempus præteritum edictum suum valere voluit, quum satis constet neque edictum, neque leges ipsas vim habere in præteritum.

XLII. 1. *Improbum*. Contra leges. *Inofficiosum*. Contra rationem officii. *Inhumanum*. In quo amicorum mentio nulla facta est. — *Novi juris*. Neque enim posterioribus legibus testamentum rescindi potuit.

2. *Imitatus esses*. Imitari debuisses.

ditur, nisi ejus rei, quæ sua sponte[3] scelerata ac nefaria est, ut, etiamsi lex non esset, magnopere vitanda fuerit. Atque in his rebus multa videmus ita sancta esse legibus, ut ante facta in judicium non vocentur. Cornelia[4] testamentaria, nummaria, ceteræ complures: in quibus non jus aliquod novum populo constituitur, sed sancitur, ut, quod semper malum facinus fuerit, ejus quæstio ad populum[5] pertineat, ex certo tempore. De jure vero civili si quis novi quid instituit, is non[6] omnia, quæ ante acta sunt, rata esse patietur? Cedo mihi leges Atinias, Furias[7], ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes præterea de jure civili; hoc reperies in omnibus statui jus, quo post eam legem populus utatur. Qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum legem annuam dicunt esse. Tu edicto plus complecteris, quam lege. Si finem edicto prætoris afferunt kalendæ januarii; cur non initium quoque edicti nascitur a kalendis januarii? an in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus est; in illum, quo alius prætor fuit, regredietur?

XLIII. Ac si hoc juris non unius causa hominis edixisses, cautius composuisses. Scribis, SI QUIS HEREDEM FECIT, FECERIT. Quid[1] si plus legarit, quam ad

3. *Sua sponte.* Ex naturali interpretatione.

4. *Cornelia, test.* J. V. L. — Sunt nominativi absoluti, quasi dicas, « cujus generis sunt, etc. » Has leges tulerat L. Corn. Sulla A. U. 673. Vid. Digest. XLVIII, 10.

5. *Ad populum.* I. e. publicum judicium de eo habeatur. Quare non erat, quod Hotom. et Lambin. corrigendum putarent: « ad prætorem pertineat ». In hujus enim generis criminibus, cuilibet e populo licebat accusare, ideoque recte dicuntur eorum quæstiones ad populum pertinere. Vid. Divin. in procem.

6. Abest *non*, et leg. *patitur.* Sequimur Prisc. et codd. Par. J. V. L.

7. Alii, « Furias, Fusias ». J. V. L.

XLIII. 1. Olim *quod.* J. V. L.—In hoc etiam peccat Verres, quod unum tantum caput legis Voconiæ in edictum suum transtulerit, neglecto altero, « ne plus cuiquam legaretur, quam ad legitimos heredes pervenire posset », quod caput omitti non oportuerat, si revera

heredem, heredesve perveniat, quod per legem Voconiam ei, qui census sit, non licet [2]? cur hoc, quum in eodem genere sit, non caves? Quia non [3] generis, sed hominis causam verbis amplecteris: ut facile appareat, te pretio esse commotum. Atque hoc si in posterum edixisses, minus esset nefarium; tamen esset improbum: sed tum vituperari posset, in dubium venire non posset; nemo enim committeret. Nunc est ejusmodi edictum, ut quivis intelligat, non populo esse scriptum, sed P. Annii secundis heredibus. Itaque quum a te caput [4] illud tam multis verbis, mercenario prooemio, esset ornatum; ecquis est inventus postea prætor, qui illud idem ediceret? non modo nemo edixit; sed ne metuit quidem quisquam, ne quis ediceret. Nam post te prætorem multi testamenta eodem modo fecerunt: in his nuper Annia. Ea de multorum propinquorum sententia, pecuniosa mulier, quod censa non erat, testamento fecit heredem filiam. Itaque hoc magnum judicium [5] hominum de istius singulari improbitate, quod Verres sua sponte instituisset, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui [istius institutum] sequi vellet. Solus enim tu inventus es, cui non satis fuerit corrigere voluntates vivorum, nisi etiam rescinderes mortuorum. Tu ipse [6] ex Siciliensi

jus commune omnibus civibus institueretur. At Verres, quum in eo solo legem Voconiam sit sequutus, quod mulieribus adversabatur, et de legatis nihil edixerit, satis manifeste convincitur dedita opera et accepto pretio, edictum suum composuisse, ut ab Annii filia ad secundum heredem hereditatem transferret.

2. Sic nos post Lambinum, re, ut videtur, postulante; fere omnes alii, «qui census non sit, licet?» J. V. L.

3. *Non generis*. Non generatim fers legem, sed L. Annium solum respicis.

4. *Caput illud*. Hic articulus edicti tui.

5. *Judicium*. Argumentum judicii, opinionis publicæ.

6. *Tu ipse*. Illud tu caput de hereditatibus, in edictum quod proposuisti in Sicilia prætor, callide non transtulisti, et tamen voluisti ex hoc tuo

edicto hoc sustulisti: voluisti, ex improviso si quæ res natæ essent, ex urbano edicto decernere. Quam postea tu tibi defensionem relinquebas, in ea maxime offendisti, quum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas.

XLIV. Atque ego non dubito, quin, ut mihi, cui filia[1] maxime cordi[2] est, sic unicuique vestrum, qui simili sensu, atque indulgentia filiarum commovemini, res hæc acerba videatur atque indigna. Quid enim natura nobis jucundius, quid carius esse voluit? quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque consumatur? Homo importunissime, cur tantam injuriam P. Annio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri ejus atque ossibus inussisti, ut liberis ejus bona patria, voluntate patris, jure, legibus tradita, eriperes, et, cui tibi esset commodum, condonares? Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis prætor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit? NEC PETITIONEM[3], inquit, NEC POSSESSIONEM DABO. Eripies igitur pupillæ togam prætextam[4]? detrahes ornamenta non

urbano edicto decernere, si forte in Sicilia hoc tibi esset utilius; hac scilicet ratione ut ejus decreti, quum reprehenderetur, hanc defensionem tu tibi relinqueres, nempe in edicto illo tuo quod in urbe propositum fuerat, ita scriptum fuisse. Sed non animadvertebas tuam calliditatem contra te facere, et tuam a te ipso auctoritatem repudiari; quum enim, si in provinciale edictum retulisses, postea dicere potuisses: urbanum decretum, in provincia sum sequutus; hanc tu tibi defensionem ademisti, et in provinciale edictum ideo transferre noluisse videris, quod tibi ipsi iniquum videretur.

XLIV. 1. *Filia.* Tulliola, quæ apud Dolabellam ex partu decessit A. U. 708. Quantum eam dilexerit Cicero, declarat dolor, quem cepit ex illius interitu. Att. XII, XIII, pass.

2. *Cordi est, res hæc ... indigna, sic ... commovemini. Q. e.* Nimia forte indulgentia et hic, et in aliis locis, servamus illas ordinis mutationes ab Ernestio primum invectas; quæ si in controversiam atque adeo in damnationem vocentur, se defendant auctoritate clarissimi viri. J. V. L.

3. *Petitionem.* Actionem, qua a prætore postulatur ut jus concedat.

4. *Togam præt.* Feminæ, antequam nuberent, prætexta utebantur. Bene Ernestius monuit, erepto censu, eripi

solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? Miramur, ad arma contra istum hominem Lampsacenos isse? miramur istum de provincia decedentem clam Syracusis profugisse[5]? nos si alienam vicem pro nostra injuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum. Pater dat filiæ : prohibes. Leges sinunt : tamen te interponis. De suis bonis ita dat, ut ab jure non abeat : quid habes, quod reprehendas? nihil, opinor. At ego concedo : prohibe, si potes; si habes, qui te audiat; si potest tibi dicto audiens esse quisquam. Eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, jus omnibus? Hoc populus romanus non manu vindicasset, nisi te huic tempori atque huic judicio reservasset?

Posteaquam[6] jus prætorium constitutum est, semper hoc jure usi sumus : si tabulæ testamenti non proferrentur, tum, uti proximum quemque potissimum heredem esse oporteret[7], ita secundum eum possessio daretur. Quare hoc sit æquissimum, facile est docere : sed in re tam usitata satis est ostendere, omnes antea jus ita dixisse, et hoc vetus edictum[8] translatitiumque esse.

XLV. Cognoscite aliud hominis in re vetere[1] edictum novum; et simul, dum est unde jus civile discatur, adolescentes ei in disciplinam tradite : mirum est ho-

insignia; et *ornamentum fortunæ* esse bullam auream, *ornamentum ingenuitatis* togam prætextam. Cf. c. 58.

5. *Profugisse.* Hoc non memini me alibi legere.

6. *Posteaquam.* Ex quo jus illud, quod per prætorem exercetur, institutum est, ea fuit semper apud nos juris regula, ut cujus testamentum non appareret, ejus heres esset proximus agnatus, atque ei bonorum possessio a prætore daretur. Vide Instit. III, 2.

7. *Oporteret, si is intestato mortuus esset, ita s.* Glossa. J.V. L.

8. *Translatitium.* Hoc nomine appellabatur edictum, quod prætor ex superiorum prætorum edictis transtulerat in suum.

XLV. 1. *Vetere.* Quæ veteribus et pridem usitatis juris formulis dijudicanda erat.

minis ingenium, mira prudentia. Minucius quidam mortuus est ante istum prætorem : ejus testamentum erat nullum [2] : lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. Si habuisset iste edictum, quod ante istum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciæ genti esset data. Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret in hereditatem : aut, pro præde litis vindiciarum quum satis accepisset, sponsionem faceret; ita de hereditate certaret. Hoc, opinor, jure et majores nostri, et nos semper usi sumus. Videte, ut hoc iste correxerit. Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis cáusa conscriptum esse; tantum quod

2. *Nullum*. Toto cælo errant h. l. commentatores ac gallicus interpres. Nec enim testamentum a Minucio omnino factum non esse, aut tunc temporis non prodiisse ait Tullius, sed illud quod scripserat jure nullam vim habuisse, ac nullum fuisse. Quæ quum ita essent, et ad hereditatem ab intestato Minucia gens esset vocanda, quonam modo res geri solerent describit Cicero : scilicet, quum parte alia heres testamentum valere, alia testatoris familia nullum esse contendat, inter heredem institutum et familiam de hereditate certatur. Duo hic possunt occurrere : 1° Aut heres testamento institutus bona defuncti non possedit, tunc heredes ab intestato in jus vocat, ut ipsi bona restituantur, *lege agit in hereditatem*. 2° Aut ea statim, exstincto testatore occupavit, tunc ipsum restituendæ hereditatis causa heredes ab intestato in jus vocant. Ante omnia necesse est prætorem statuere uter, pendente lite, possessionem retinere debeat : quod quidem *lis vindiciarum* dicebatur. Qui interea possessionem retinere jussus fuerit, sponsionem adversario faciet *pro præde litis vindiciarum*, nempe adstipulatus se et rem et fructum restituturum, si judicio victus decesserit. Gai. IV, § 16 et 91. Simulque satis accipiet ab illo, id est, satisdationem, qua se obstringat petitor se, si petitione dejiciatur, certam pecuniæ summam, damni causa, soluturum, quæ quingentis assibus constare solebat. Gai. ubi supra. Quid autem egerat Verres ? Iste quum supervacaneum omnino duxisset, utrum possessorem esse oporteret statuere, hoc edicto sanxerat ut qui possessor, lite incipiente, esset, possessionem, pendente lite, ad usque finem retineret, nec tamen sponsionem faceret. Si quis autem honestus ac diligens prætor exstitisset, non ille quæsiisset, uter facto possideret, sed utrum jure possidere oporteret. Ita fit, concludit Cicero, ut, neutra parte possidente, neutri possessionem dare velis, quam cuilibet alieno libentius permittas. PONCELET.

hominem non nominat: causam quidem totam perscribit[3]; jus, consuetudinem, æquitatem, edicta omnium negligit. Ex EDICTO URBANO: SI DE HEREDITATE AMBIGITUR, SI POSSESSOR[4], SPONSIONEM NON FACIET. Quid[5] id ad prætorem, uter possessor sit? nonne id quæri oportet, utrum possessorem esse oporteat? Ergo quia possessor est, non moves possessione; si possessor non esset, non dares: nusquam enim scribis, neque tu aliud quicquam edicto amplecteris, nisi eam causam, pro qua pecuniam acceperas. Jam hoc ridiculum est: SI DE HEREDITATE AMBIGETUR, ET TABULÆ TESTAMENTI OBSIGNATÆ NON MINUS MULTIS SIGNIS, QUAM E[6] LEGE OPORTET, AD ME PROFERENTUR; SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POTISSIMUM HEREDITATEM DABO. Hoc translatitium est: sequi illud oportet[7], SI TABULÆ TESTAMENTI NON PROFERENTUR[8]. Quid ait? se ei daturum, qui se dicat heredem esse. Quid ergo interest, proferantur, necne? si protulerit; uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet, non des possessionem: si omnino tabulas non proferet, dabis. Quid nunc dicam? neminem umquam postea alium edixisse[9]? valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet; exegerat enim jam mercedem: item ut illo[10] edicto, de quo ante dixi,

3. *Perscribit.* Totam ejus causam, a qoo pecuoia corruptus est, in edicto complectitor.

4. *Possessor.* Sobaod. *est.* Lambin. et Gruter. daot *et possessor.*

5. Vulgo *jam quid.* J. V. L.

6. *E lege* XII tabularum. Nam quoties *lex* simpliciter nominatur, leges XII tabolarum fere intelliguntur. Porro leges illæ jubebaot quinque testiom signis obsignari testamenta. Posteriores prætores septem adhiberi signa voloerunt. Instit. Jostin. II, 10. — Alii, *oporteat.* J. V. L.

7. Ernest. conjicit *oportebat.* Frustra. J. V. L.

8. *Proferentur.* Subaud. *non dabo.* At *quid ait* Verres? sit *se ei*, etc.

9. Lambinus addit *ita;* Schötz, item ex ingenio, *sic.* Nihil vero requirere videtur, neque nonc, neque alias sæpissime, istas, quas dicuot, emeodatiooes. J. V. L.

10. *Illo.* Anniano, de mulierum

in Sicilia de hereditatum possessionibus dandis edixit idem, quod omnes Romæ, præter istum. Ex EDICTO SICILIENSI : SI DE HEREDITATE AMBIGITUR.....

XLVI. At, per deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? Iterum enim jam quæro abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus: cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris? Utrum digniores homines existimasti eos, qui habitabant in provincia, quam nos, qui æquo jure uteremur[1]? an aliud Romæ æquum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest hoc loco[2] dici, multa esse in provinciis aliter edicenda: non de hereditatum quidem possessionibus, non de mulierum hereditatibus. Nam[3] utroque genere video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romæ solet. Quæ Romæ magna cum infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in provincia male audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video. Et, quum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto jus ad utilitatem suam nundinarentur; tum vero in magistratu contra illud edictum suum sine ulla religione decernebat. Itaque L. Piso[4] multos codices implevit earum rerum,

hereditatibus. Vide supra cap. 41-44.

XLVI. 1. Emendationem Hotomanni, *uterentur*, probat P. Manutius, itemque Ernestius. Vulgatam tamen lectionem Grævius defendit. J. V. L. — Hunc sequimur ob id, quia hoc verbum maluit Cicero, more veteribus familiari, respondere ultimis his verbis *quam nos*. Sic T. Liv. IX, 8 : « nec quidquam ex ea, præterquam corpora nostra debentur ».

2. Edit. Gruteriana, « in loco ». J. V. L.

3. Lambinus addit *in*. J. V. L.

4. *L. Piso*. Alter prætor, qui jus dicebat inter peregrinos. — *Codices*. In quos acta magistratus sui referebat. Similiter in Cæsaris Commentariis, III, 20, M. Cœlii prætoris mentio fit, qui, si quis a C. Trebonio prætore urbano appellavisset, ei fore auxilio pollicebatur.

in quibus ita intercessit[5], quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, quæ multitudo[6], qui ordo ad Pisonis sellam isto prætore solitus sit convenire: quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. Sed eo leviores istius injuriæ videbantur, quod erat in æquitate prudentiaque Pisonis paratissimum perfugium, quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines uterentur. Nam, quæso, redite[7] in memoriam, judices, quæ libido istius in jure dicundo fuerit, quæ varietas decretorum, quæ nundinatio, quam inanes domus eorum omnium, qui de jure civili consuli solent, quam plena atque referta Chelidonis: a qua muliere quum erat ad eum ventum, et in aurem ejus insusurratum, alias revocabat eos, inter quos jam decreverat, decretumque mutabat; alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat, ac proximis paullo ante decreverat. Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi[8] inveniebantur ex dolore: quorum alii, ut audistis[9], negabant mirandum esse, jus tam nequam[10] esse verrinum: alii etiam frigidiores erant; sed, quia stomachabantur, ridiculi

5. *Intercessit.* Verris decreta rescidit. Etenim prætor prætori, consul consuli, et par denique omnis potestas pari, item ut superior inferiori, intercedebat. Cic. de Leg. III, 4. Cæs. de Bell. civ. III, 20.

6. *Multitudo.* Homines e plebe. — *Ordo.* Equester, aut generatim potius, hominum turba omnis, ac etiam nobilium.

7. Priscianus, p. 1154, ed. Putsch. *reducite.* J. V. L.

8. *Ridiculi.* Faceti ac risum moventes.

9. Cod. Ursini, «id quod sæpe audistis», quod Muretus probavit, et recepit Lambinus. J. V. L.

10. *Jus tam nequam.* His verbis et Verrina jurisdictio, et liquor ille insuavis, in quo Verrina caro decocta est, intelligi potest. Verres enim et hominis nomen, et porcus non exsectus. Auctor dial. de Orat. 23, hoc, quasi frigidius, dictum reprehendit, tamquam ex Cicerone sit. Æquior Ciceroni Quintilianus, qui VI, 3, Ciceronem excusat, quod in aliorum persona hoc dicatur. Et ipsa per se satis indicant quæ sequuntur, Ciceronem de his, ut frigidis, judicium tulisse.

videbantur esse, quum Sacerdotem exsecrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset. Quæ ego non commemorarem (neque enim perfacete dicta, neque porro hac severitate digna sunt), nisi vos illud vellem recordari, istius nequitiam et iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus proverbiis esse versatam.

XLVII. In plebem vero romanam utrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? Sine dubio crudelitas gravior est atque atrocior. Oblitosne igitur hos [1] putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem romanam concidere? quam rem etiam tribunus plebis[2] in concione egit, quum eum, quem virgis iste ciderat, in prospectum[3] populi romani produxit; cujus rei cognoscendæ faciam vobis suo[4] tempore potestatem. Superbia vero qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum[5] is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit? P. Trebonius viros bonos[6] et honestos complures fecit heredes; in his fecit[7] suum libertum. Is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum : ei quum cautum[8] vellet, scripsit, ut heredes jurarent, se curaturos, ut ex sua cujusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perveniret. Libertus jurat. Ceteri heredes adeunt ad Verrem : docent, non

XLVII. 1. *Hos.* Populum, qui circum subsellia stabat.

2. *Tribunus plebis.* M. Lollius Palicanus.

3. Melius codd. quidam, « conspectum ». J. V. L.

4. *Suo tempore.* Quum de suppliciis agetur.

5. Gœrenz. ad Ciceronem de Finibus, V, 32, oratorem conjicit repetitione usum dixisse, « quis ignorat, quemadmodum is, etc. » J. V. L.

6. *Bonos.* Nimirum ex opinione Trebonii. Nam quæ sequuntur *bonos et honestos*, revera non fuisse declarant.

7. Multi deleri volunt *fecit*; Herelius mutat in *etiam*. J. V. L.

8. *Cautum.* Quum ei vitæ subsidia suppeditare, et id, quod relinquebat, providere vellet ut extra periculum poneretur; utpote qui proscriptus cernendæ hereditati idoneus non esset.

oportere se jurare; facturos esse, quod contra legem Corneliam esset, quæ proscriptum juvari vetaret[9]. Impetrant, ut ne jurent: dat his possessionem. Id ego non reprehendo: etenim[10] erat iniquum, homini proscripto, egenti, de fraternis bonis quidquam dari; at[11] ille libertus, nisi ex testamento patroni jurasset, scelus se facturum arbitrabatur. Itaque ei Verres possessionem hereditatis negat se daturum, ne posset patronum[12] suum proscriptum juvare; simul ut esset pœna, quod alterius patroni testamento obtemperasset. Das possessionem ei, qui non juravit: concedo: prætorium est. Adimis tu ei, qui juravit: quo exemplo[13]? Proscriptum juvat. Lex est; pœna est. Quid ad eum, qui jus dicit? Utrum reprehendis, quod patronum juvabat eum, qui tum in miseriis erat; an quod alterius patroni mortui voluntatem conservabat, a quo summum beneficium acceperat? Utrum horum reprehendis? Et hoc tum de sella vir optimus dixit: « Equiti romano, tam locupleti, libertinus[14] sit homo « heres? » O modestum ordinem, quod illinc vivus surrexit! Possum sexcenta decreta proferre, in quibus, ut ego[15] pecuniam non dicam intercessisse, ipsa de-

9. Aliis placet, *juvari vetat*. Male.

10. *Etenim*. Ironia est vehemens.

11. Alii, *et*. J. V. L.

12. *Patronum*. Servus ille amborum Treboniorum fuerat, et ab utroque manumissus, utrumque habebat patronum.

13. *Quo exemplo*. Omni hereditatis parte dejectum libertum edicit Verres; quo autem jure? Nempe, ait Verres, quod sic jubet Cornelia lex de proscriptis. At pœna est hac lege illata, respondet Cicero; et hujus rei cognitio non ad te civilem magistratum pertinet, sed ad eos qui de publicis rebus judicant.

14. *Libertinus*. Invidiosa oratio Verri afficta. Nota *libertinos* eosdem esse ac *libertos*; sed ita ut *libertinus* absolute, *libertus* autem dicatur respectu ad dominum qui eum manumisit. V. g. Tiro libertus Ciceronis, etc. Libertinorum ordo, ut infra dicitur.

15. *Ut ego*. Etiamsi, quamvis ego te pecunia corruptum hac in re fuisse non dixerim, satis per se res ipsa loquitur, et edicti iniquitas ostendit.

cretorum novitas iniquitasque declarat. Verum, ut ex uno de ceteris conjecturam facere possitis; id quod priore actione cognostis, audite.

XLVIII. C. Sulpicius Olympus fuit. Is mortuus est C. Sacerdote prætore, nescio an ante, quam Verres præturam petere cœperit. Fecit heredem M. Octavium Ligurem. Ligur hereditatem adiit: possedit Sacerdote prætore, sine ulla controversia. Posteaquam Verres magistratum iniit; ex edicto istius, quod[1] edictum Sacerdos non habuerat, Sulpicii patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat. L. frater ejus causam agebat: aderant amici, propinqui. Dicebat iste, nisi cum muliere decideretur, in possessionem se ire jussurum[2]. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat, edictum ejus non oportere ad hereditates valere, quæ ante eum prætorem venissent; si hoc tum fuisset edictum, fortasse Ligurem hereditatem aditurum non fuisse. Æqua postulatio, summa hominum auctoritas pretio superabatur. Venit Romam Ligur: non dubitabat, quin, si ipse Verrem convenisset, æquitate causæ et auctoritate sua commovere hominem posset: domum ad eum venit: rem demonstrat; quam pridem sibi hereditas venisset, docet; quod facile in causa æquissima homini ingenioso fuit, multa, quæ quemvis movere possent, dixit; ad extremum petere cœpit, ne usque eo suam auctoritatem despiceret, gratiamque contemneret, ut se tanta injuria afficeret. Homo Ligurem accusare cœpit, qui in re adventitia[3] atque hereditaria

XLVIII. 1. *Quod edictum*. Quem articulum. — *Sulpicii*, etc. Filia ejus, qui Sulpicium manumiserat.

2. Grævius conjicit, « se jure missurum ». J. V. L. — *L. Gellius*. Qui biennio ante consul fuerat, et hoc anno censuram gerebat. De eo vide Brut. cap. 47.

3. *Adventitia*. Non exspectata, utpote quæ non veniret a propinquo.

tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque[4] rationem ducere; multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Non possum illa planius commemorare, quam ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. Quid enim, Verres? utrum ne his quidem testibus crederetur? an hæc ad rem non pertinent? non M. Octavio? non L. Liguri? Quis nobis credet[5]? cui nos? quid est, Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non fit? An id, quod dicunt, leve est? nihil levius, quam prætorem urbis hoc juris in suo magistratu constituere, omnibus iis, quibus hereditas venerit, coheredem prætorem esse oportere. An vero dubitamus, quo ore iste ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine, quo ore homines rusticanos ex municipiis, quo denique ore, quos numquam liberos putavit, libertinos homines, solitus sit appellare[6], qui ob jus dicundum M. Octavium Ligurem, hominem ornatissimum loco, ordine[7], nomine, virtute, ingenio, copiis, poscere pecuniam non dubitarit?

XLIX. In sartis tectis vero quemadmodum sese gesserit, quid ego dicam? dixerunt, qui senserunt[1]; sunt alii, qui dicant; notæ res ac manifestæ, prolatæ sunt, et proferuntur. Dixit C. Fannius, eques romanus, frater[2] germanus Q. Titinii, judicis tui, tibi se pecuniam

4. *Suam quoque*. Sui, scil. Verris, rationem habere. — *Canibus suis*. Asseclis suis. Sic sæpius orator ipse appellat, ob eam causam, quod prædam, canum more, odorari et investigare solerent. *Lambere tribunal* Verris dicuntur, Verr. III, 11.

5. *Quis nobis credet*. Subaud. si testibus, tantis viris, tam gravibus, non creditur?

6. *Appellare*. Ad tribunal suum citare.

7. *Ordine*. Senator erat M. Octavius Ligur.

XLIX. 1. *Senserunt*. Qui experti sunt ejus injurias.

2. *Frater*. Per adoptionem in Titiniam adscriptus gentem, ut placet Manutio; vel potius, ut multis exemplis constat, credendum eorum matrem

dedisse. Recita TESTIMONIUM C. FANNII. Nolite C. Fannio dicenti credere; noli, inquam, tu, Q. Titini, C. Fannio, fratri tuo, credere : dicit enim rem incredibilem; C. Verrem insimulat avaritiæ et audaciæ : quæ vitia videntur in quemvis potius, quam in istum convenire. Dixit Q. Tadius, homo familiarissimus patris istius, non alienus a matris ejus genere et nomine; tabulas protulit, quibus pecuniam se dedisse ostendit. Recita NOMINA[3] Q. TADII. Recita TESTIMONIUM Q. TADII. Ne tabulis quidem Q. Tadii, nec testimonio credetur? Quid igitur in judiciis sequemur? quid est aliud, omnibus omnia peccata et maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere? Nam quid ego[4] de quotidiano sermone querimoniaque populi romani loquar? de istius impudentissimo furto, seu potius novo ac singulari latrocinio? ausum esse in æde Castoris, celeberrimo clarissimoque monumento, quod templum in oculis quotidianoque adspectu populi romani est positum, quo sæpenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimæ quotidie advocationes[5] fiunt; in eo loco, in sermone hominum, audaciæ suæ monumentum æternum relinquere?

L. Ædem Castoris, judices, P. Junius habuit tuendam, L. Sulla, Q. Metello consulibus[1]. Is mortuus est: reliquit pupillum parvum filium. Quum L. Octavius,

Fannio ac Titinio nupsisse, unde illa in ejus filiis varia nomina.

3. *Nomina*. Capita, seu articulos tabularum Q. Tadii, in quibus mentio fit datæ Verri pecuniæ.

4. *Nam quid ego*. Transitio ad narrationem de æde Castoris. Vovit eam bello Latino Postumius dictator; filius ejus dedicavit. T. Liv. II, 42. Metellus Dalmaticus hostium spoliis auxit. Erat in foro ad radices Palatini montis.

5. *Advocationes*. Uti consulatur, convenientibus advocatis.

L. 1. Alii, *censoribus*. Quod falsum. Numquam enim una censores, consules vero fuerunt Sulla et Metellus A. U. 672. Verba sic transponit Sch. « ædem..... tuendam. Is mortuus est

C. Aurelius, consules [2], ædes sacras locavissent [3], neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Cæsius; factum est senatusconsultum, quibus [4] de sartis tectis cognitum et judicatum non esset, uti C. Verres, P. Cœlius, prætores cognoscerent et judicarent. Qua [5] potestate iste permissa, ut ex C. Fannio et ex Q. Tadio cognovistis; verumtamen quum esset omnibus in rebus apertissime impudentissimeque prædatus, hoc voluit clarissimum relinquere indicium latrociniorum suorum; de quo non audire aliquando, sed videre quotidie possemus. Quæsivit, quis ædem Castoris sartam tectam deberet tradere. Junium ipsum mortuum esse sciebat: scire volebat, ad quem illa res pertineret. Audit pupillum esse filium. Homo, qui semper ita palam dictitasset; pupillos et pupillas certissimam prædam esse prætoribus, optatum negotium sibi in sinum [6] delatum esse dicebat. Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis sartum, tectum, integrumque esset, tamen aliquid se inventurum, in quo moliri prædarique posset, arbitrabatur. L. Rabonio ædem Castoris tradi oportebat [7]: is casu pupilli

L. Sulla, Q. Met. coss.» ob hanc causam, quod inf. cap. 5 dicitur Junius Castoris ædem tuendam redemisse a Marcio et Perperna censoribus, h. e. A. U. 667. Quod sublevabis, si *habuit* eodem sensu quo *habebat* intelligas, ita ut his consulibus, hoc munus adhuc obiret Junius.

2. *Consules.* Anno 678.

3. *Locavissent.* Tuendas nimirum et reficiendas. Censores enim, quorum erat locare redemptoribus, nulli tunc erant, ab anno 667.

4. *Quibus.* Ordo est: ut prætores Verres et P. Cœlius cognoscerent (gall. *visiter par experts*) et judicarent de sartis tectis, de quibus cognitum non esset.

5. Ernest. verba sic transponenda esse putat, «Qua potestate iste permissa, quum esset... prædatus, ut... cognovistis, verumtamen hoc voluit, etc.» J. V. L.

6. *In sinum.* In crumenam. *Sinus* apud veteres erat cavum, inter rugas togæ in alterum humerum rejectæ, qui crumenæ vicem habebat. Vide Petron. 90. Tacit. Ann. VI, 40. Flor. II, 6.

7. *Oportebat.* Rabonius, Junio mor-

Junii tutor erat testamento patris; cum eo sine ullo intertrimento[8] convenerat jam, quemadmodum traderetur. Iste ad se Rabonium vocat: quærit, ecquid sit, quod a pupillo traditum non sit, quod exigi debeat. Quum ille, id quod erat, diceret, facilem[9] pupillo traditionem esse; signa et dona comparere omnia; ipsum templum omni opere esse integrum: indignum isti videri cœpit, ex tanta æde, tantoque opere, se non opimum præda, præsertim a pupillo, discedere.

LI. Venit ipse in ædem Castoris; considerat templum; videt undique tectum pulcherrime laqueatum, præterea cetera nova atque integra. Versat se; quærit, quid agat. Dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos: Tu, Verres, hic quod moliare, nihil habes; nisi forte vis ad perpendiculum[1] columnas exigere. Homo omnium rerum imperitus, quærit, quid sit, ad perpendiculum. Dicunt ei, fere nullam esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit[2]. Nam[3] mehercule, inquit, sic agamus: columnæ ad perpendiculum exigantur. Rabonius, qui legem nosset[4], qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla, et qui

tuo, Castoris ædem tuendam receperat, certis conditionibus sibi a tutoribus Junii pupilli traditam. Accidit vero ut idem Rabonius, cui ut redemptori, pupilli Junii nomine, ædes tuenda esset, simul pupilli tutor esset, testamento patris. Sic Schütz. Hoc autem in loco errant Ernestius et Menardus.

8. *Intertrimento*. Sine ullo alterius partis damno.

9. *Facilem*. Quandoquidem nihil deerat in opere.

LI. 1. *Perpendiculum*. Linea est recta, laterum æqualitatem a summo ad imum latitudine probans. Ascon. — *Exigere*. Explorare an columnæ rectæ sint, neque in hanc aut illam partem inclinent.

2. Herelios mallet, « exigi possit ». J. V. L.

3. Alii, *jam*. Vitiose, ut probant codd. et latini sermonis consuetodo.

4. *Legem nosset*. H. e. legem censoriam, contractum locationis, secundum quem Junius olim ædem Castoris tuendam redemerat, qui contractus ad Rabonium transibat.

non putaret sibi expedire, ita accipere, ne[5] eodem modo reddendum esset: negat, id sibi deberi[6]; negat oportere exigi. Iste Rabonium quiescere jubet; et simul ei nonnullam spem societatis[7] ostendit: hominem modestum[8], et minime pertinacem, facile coercet: columnas ita se exacturum esse confirmat. Nova res, atque improvisa pupilli calamitas nuntiatur statim C. Mustio, vitrico pupilli, qui nuper est mortuus; M. Junio, patruo; P. Potitio, tutori, homini frugalissimo. Hi rem ad virum primarium, summo officio ac virtute præditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus: petit ab eo, pro sua fide[9] ac diligentia, pluribus verbis, ne per summam injuriam pupillum Junium fortunis patriis conetur evertere. Iste, qui jam spe et opinione prædam illam devorasset, neque ulla æquitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli, commotus est. Itaque, quemadmodum ostendisset, se id exacturum esse, respondit. Quum sibi omnes ad istum allegationes[10] difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent, apud quem non jus, non æquitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cujusquam auctoritas, pro pretio[11], non gratia

5. *Ne eodem modo.* Quia Rabonio videbatur sumptuosius fieri, si columnæ ad perpendiculum exigendæ essent. Nolebat ædem hac conditione accipere, quia si in posterum alius exsisteret hujus negotii redemptor, verebatur ne impensæ sibi augerentur, si ei columnas ad perpendiculum factas tradere oporteret.

6. *Id sibi deberi.* Negat hoc debere pupillum Junii, ut, in tradenda sibi æde, columnæ ad perpendiculum essent.

7. *Societatis.* Communitatis rapinæ, et prædæ.

8. *Modestum.* Ironia in Raboninm, qui prædæ cupiditate ab officio descivit.

9. *Pro sua fide.* Ut fidelis tutor et probus vir.

10. *Omnes ad istum allegationes.* Privatas legationes amicorum, aut hominum auctoritate præstantium, qui eum a tanta admittenda injuria deterrerent.

11. *Pro pretio.* Præ pecunia.

valeret: statuunt, id sibi optimum esse factu, quod cuivis venisset in mentem, petere auxilium a Chelidone, quæ isto prætore non modo in jure civili, privatorumque omnium controversiis, populo romano præfuit, verum etiam in his sartis tectis [12] dominata est.

LII. Venit ad Chelidonem C. Mustius, eques romanus, publicanus, homo cum primis honestus: venit M. Junius, patruus pueri, frugalissimus homo et castissimus: venit homo summo honore, pudore [1] et summo officio spectatissimus ordinis sui, P. Potitius tutor. O multis acerbam, o miseram, atque indignam præturam tuam! Ut mittam cetera, quo tandem pudore tales viros, quo dolore, meretricis domum venisse arbitramini? qui nulla conditione istam turpitudinem subissent, nisi officii necessitudinisque ratio coegisset. Veniunt, ut dico, ad Chelidonem. Domus erat plena: nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur. « Mihi det possessionem: mihi ne adimat: « in me judicium ne det: mihi bona addicat. » Alii nummos numerabant; alii tabulas [2] obsignabant: domus erat non meretricio conventu, sed prætoria turba referta. Simul ac potestas primum data est, adeunt hi, quos dixi: loquitur Mustius, rem demonstrat, petit auxilium, pecuniam pollicetur. Respondit illa, ut meretrix, non inhumane [3]: libenter, ait, se esse facturam, et se cum isto diligenter sermocinaturam; reverti jubet. Tum discedunt; postridie revertuntur: negat illa posse hominem exorari; permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici posse.

12. Asconius, « sartis tectisque ». J. V. L.

LII. 1. Alii, *et pudore*. J. V. L.

2. *Tabulas*. In quibus scribebant se Verri pecuniam ad certam diem soluturos; easque annulis suis, de more, *obsignabant*.

3. Priscianus, p. 1010, ed. Putsch. « non inhumaniter ». J. V. L.—Verum nihil hic mutandum.

LIII. Vereor, ne quis forte de populo, qui priori actione non affuit, hæc, quia propter insignem turpitudinem sunt incredibilia, fingi a me arbitretur. Ea vos antea, judices, cognovistis. Dixit juratus P. Potitius, tutor pupilli Junii : dixit M. Junius tutor et patruus : Mustius dixisset, si viveret; sed pro Mustio, recenti re de Mustio auditum[1] dixit L. Domitius. Qui quum sciret, me ex Mustio vivo audisse, quod eo sum usus plurimum (etenim id judicium, quod prope omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit, me uno defendente vicit), quum hoc, ut dico, sciret L. Domitius, me scire, ad eum res omnes Mustium solitum esse deferre; tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit : alio responsionem suam derivavit. Tantus in adolescente clarissimo ac principe juventutis[2] pudor fuit, ut aliquandiu, quum a me premeretur, omnia potius responderet, quam Chelidonem nominaret. Primo necessarios istius ad eum[3] allegatos esse dicebat, deinde aliquando coactus Chelidonem nominavit. Non te pudet, Verres, ejus mulieris arbitratu gessisse præturam, quam L. Domitius ab se nominari, vix sibi honestum esse arbitrabatur?

LIV. Rejecti a Chelidone, capiunt consilium necessarium, ut suscipiant ipsi negotium : cum Rabonio tutore[1], quod erat vix H-S quadraginta[2] millium, transigunt H-S ducentis millibus. Refert ad istum rem

LIII. 1. *Auditum*. Nam apud antiquos etiam de auditione testimonium dicebatur. Vide pro Rosc. Com. cap. 14. — *L. Domitius*. Ahenobarbus, qui postea consul fuit A. U. 699.

2. *Principe juventutis*. Quæ laus attribui solet adolescentibus nobilissimis, qui ætate excludebantur a capessendis magistratibus.

3. *Ad eum*. Ad Verrem, qui agerent cum eo de re transigenda.

LIV. 1. *Tutore*. Emphasis in hoc verbo, quasi dicat cum eo homine, cui maxime pro pupillo erat pugnandum.

2. *H-S quadraginta*. Circ. 8,200 f. Et paullo infra, « H-S ducentis millibus », circ. 41,000 f.

Rabonius : ut sibi videatur[3], satis grandem[4] pecuniam, et satis impudentem esse. Iste, qui aliquanto plus cogitasset, male accipit verbis Rabonium; negat eum sibi illa decisione satisfacere posse; ne multa, locaturum[5] se esse confirmat. Tutores hæc nesciunt; quod actum erat cum Rabonio, putant id esse certissimum; nullam majorem pupillo metuunt calamitatem. Iste vero non procrastinat : locare[6] incipit, non proscripta neque edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis romanis, foro ornato. Itaque renuntiat[7] Rabonius illam decisionem tutoribus. Accurrunt tamen ad tempus tutores : digitum tollit[8] Junius patruus : isti color immutatus est; vultus, oratio, mens denique excidit. Quid ageret, cœpit cogitare : si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe[9], quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse. Itaque excogitat : quid? nihil ingeniose; nihil, quod quisquam possit dicere, improbe, verum callide[10]; nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaveritis : omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. Si pupillo opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur : quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere. Ubi illa[11] consuetudo in bonis

3. *Videatur*. Schütz probat Ernest. emendationem *videbatur*. J. V. L.

4. *Satis grandem*. Hoc a persona Rabonii dicitur; et Cicero addit ex una parte « satis impudentem ».

5. *Locaturum*. Alicui, qui majori pretio redimeret.

6. *Locare*. Auctionem fieri jubet, non ante declarata die libello palam affixo. — Loco *edicta*, Lambin. legit *prodicta*. J. V. L.

7. *Renuntiat*. Irritam declarat priorem a se cum ipsis factam decisionem.

8. *Digitum tollit*. Mos erat in auctionibus, ut qui liceri contra aliquem vellet, id sublato digito significaret.

9. *Mancipe*. Eo, qui aliquid faciendum redemerat (gall. *adjudicataire*).

10. Hotomanni auctoritas invexerat passim, « vel callide ». Multo præstat vetus lectio. Codd. suffragantur. J. V. L.

11. *Ubi illa*. Cur hic non observatur consuetudo, quam observare solent consules, etc. quum bona vendunt eorum, qui, locatis publicis

prædibus[12], prædiisque vendundis, omnium consulum, censorum, prætorum, quæstorum denique, ut optima conditione sit is, cuja res sit, cujum periculum? Excludit eum solum, cui prope dicam soli potestatem factam esse oportebat. Quid enim quisquam ad meam pecuniam[13], me invito, adspirat? quid accedit? Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur: ego me refecturum esse dico: probatio futura est tua, qui locas: prædibus et prædiis populo cautum est. Et, si[14] non putas cautum, scilicet tu prætor in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sines?

LV. Operæ pretium est, ipsam legem cognoscere: dicetis, eumdem conscripsisse, qui illud edictum de hereditate: LEX OPERI[1] FACIUNDO QUÆ PUPILLI[2] JUNII...

operibus, locationis obligationi non responderunt? Curare solent ut optima conditione sit, i. e. ut iis, quæ redimenti tribuuntur, commodis maxime utatur, ille ipse cujus res est, i. e. cujus bona sunt ea quæ venduntur, et qui periculo suo, opus faciendum redemit. At Verres excludit eum, etc.

12. *Bonis pr.* Ernest. verbum *bonis* glossam habet quod paullo post, et apud alios, ut Liv. XXII, 60, semper tantum *prædibus prædiisque* dicitur. Schutz *bonis* substantive accipit et distinguit: « bonis, prædibus pr. » Ceterum vox *bonis* adjectiva est, et pertinet tam ad *prædes* quam ad *prædia*, cum quibus conjuncta sæpe legitur: « boni-prædes, bona-prædia, bono-prædia ». *Prædes* non pro fidejussoribus tantum accipitur, sed etiam pro bonorum illa parte quæ moveri loco potest (gall. *les biens meubles*); quæ fidejussor oppignerabat reip. cum prædiis, seu rebus soli (gall. *les immeubles*). *Prædes vendere* est bona eorum, quibus se publico obligarunt, si opus redemptum, vel sarta tecta rationi publicæ non responderint, vendere.

13. *Ad meam pecuniam.* Ad eam locationem, quæ solvenda erit mea pecunia, si mancipem ad alium perveniat. Hæ sunt pupilli querimoniæ. — *Quid accedit.* Subaud. ad hastam, ad auctionem.

14. *Et, si.* Et tu, si satis cautum non putas, poteris aliorum licitationes admittere in opere, quod ego mea pecunia soluturus sum, atque ita immittes in mea bona, etc.

LV. 1. Olim *ex opere.* Optime emendavit Ant. Augustinus. J. V. L.

2. Ant. Augustinus hic conjiciebat, « PUPILLI JUNII. Quæ? dic, etc. » Manutius vero et Victorius, « Quæ? PUPILLI JUNII ». MSS nihil adjuvant. J. V. L. — Sed nihil mutandum, quum nescismus quid in ea lege sequeretur, et ad sequentia aliqua vocem *quæ* referri æquum sit credere.

Dic, dic, quæso, clarius. C. VERRES PR. URBIS ADDIDIT[3]. Corriguntur leges censoriæ. Quid enim[4]? video in multis veteribus legibus : CN. DOMITIUS, L. METELLUS, L. CASSIUS, CN. SERVILIUS, CENSORES ADDIDERUNT : vult aliquid ejusmodi C. Verres. Dic : quid addidit? QUI DE[5] L. MARCIO, M. PERPERNA, CENSORIBUS REDEMERIT, EUM SOCIUM NE ADMITTITO; NEVE EI PARTEM DATO, NEVE EI REDIMITO. Quid ita[6]? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua : ne parum locuples esset? at erat, et esset amplius, si velles, populo cautum prædibus et prædiis. Hic te si res ipsa, si indignitas injuriæ tuæ non commovebat; si pupilli calamitas, propinquorum lacrymæ, D. Bruti, cujus prædia subierunt[7] periculum, M. Marcelli tutoris auctoritas apud te ponderis nihil habebat : ne illud quidem animadvertebas, ejusmodi fore hoc peccatum tuum, quod tu neque negare posses (in tabulas enim retulisti), nec cum defensione aliqua confiteri? Addicitur id opus H-S[8] IↃLX millibus; quum tutores H-S LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent. Etenim quid erat operis? id, quod vos vidistis : omnes illæ columnæ, quas dealbatas videtis, machina[9] apposita, nulla impensa dejectæ, eisdemque

3. *Addidit.* Legi, qua locata fuerat P. Jonio patri ædes Castoris.

4. *Quid enim.* Subaud. Verri non liceat, quod multis ante illum licuit? Video enim in multis, etc. — Alii habent, « Quid enim video », vel etiam, « Quod enim ». J. V. L.

5. *Qui de.* Qui ab his temporibus retro ad annum 667, quo L. Marcius et M. Perperna censores fuerunt, apud aliquod publicum redemerit, non poterit admitti socius in locatione facienda, neque pars ei dari poterit. Manifeste in pupillum, quem non obscure excludit Verres.

6. *Quid ita.* Subaud. addidisti. An timebas, ne pupillos impensæ parceret, etc. Tuum erat illud inspicere; et ipsi bona, ad fidem faciendam, reip. obligaverant, et multo etiam plura, si necesse fuisset, obligavissent.

7. Hotomannus, Asconii exemplo, *subierant.* J. V. L. — Spoponderat Brutus pro P. Jonio.

8. *H-S DLX*, etc. (114,800 fr.— *H-S LXXX* (16,400 fr.)

9. *Machina.* Qua pondera attolluntur, vel demittuntur.

lapidibus repositæ sunt : hoc tu H-S IↃLX millibus locavisti. Atqui in illis columnis dico esse, quæ a tuo redemptore commotæ non sint; dico esse, ex qua tantum tectorium vetus delitum[10] sit, et novum inductum. Quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certe numquam ædilitatem[11] petivissem.

LVI. At, ut videatur tamen res agi[1], et non eripi pupillo : SI QUID OPERIS CAUSA RESCIDERIS, REFICITO. Quid erat, quod rescinderet, quum suo quemque loco lapidem reponeret? QUI REDEMERIT[2], SATISDET DAMNI INFECTI EI, QUI A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT. Deridet, quum sibi ipsum jubet satisdare Rabonium. PECUNIA PRÆSENS SOLVATUR. Quibus de bonis? ejus, qui, quod tu H-S IↃLX millibus locasti, H-S LXXX millibus effecturum se esse clamavit. Quibus de bonis? pupilli, cujus ætatem et solitudinem, etiamsi tutores non essent, defendere prætor debuit. Tutoribus defendentibus, non modo patrias ejus fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. Hoc[3] OPUS BONUM SUO CUIQUE FACITO. Lapis aliquis cædendus, et apportandus fuit

10. *Delitum*. Retinendum recte putat Hot. Cod. Palat. sec. *deletum*; prim. *delectum*; unde Gruterus suspicatur *dejectum*, ut laudatur Prisciano, XVIII, p. 1151. J. V. L.

11. *Ædilitatem*. Ut ne tanto reip. sumptu, curante me, opera publica sarcirentur. Ædificiorum publicorum cura ad ædiles pertinebat.

LVI. 1. *Agi*. Jure fieri.

2. *Qui redemerit*. Novus redemptor satisdet se damnum, si quod accidat, ei præstiturum qui a vetere redemptore accepit. *Damnum infectum* illud est, quod nondum factum est, sed quod faciendum veremur. Videntur hic tres induci personæ, quum tamen duæ sint. Vetus enim redemptor est pupillus Junius; qui ab eo accepit, est Rabonius, cui jam, ante novam Verris locationem, ædem Castoris tradi oportebat cap. 50. Qui autem nunc redemit, seu novus manceps a Verre appositus est idem Rabonius; ridiculum igitur erat, quod illa formula Verres Rabonium sibi ipsi ipsum satisdare jubebat.

3. Quædam edd. «Hoc OPUS SONO SUO QUOQUE FACITO», ex arbitratu, ut videtur, Hotomanni, sed contra vulgarem MSStorum lectionem, citatamque Asconio. J. V. L. — Sensus est : Bonum facito ex materia, quæ cuique convenit. — *Suo*. I. e. eo, quod

machina sua[4] : nam illo non saxum, non materies advecta est. Tantum operis in ista locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt, et manus pretium[5] machinæ. Utrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo[6], an quatuor illas reponere? nemo dubitat, quin multo majus sit novam facere. Ostendam, in ædibus privatis, longa difficilique vectura, columnas singulas ad impluvium, H-S quadragenis[7] millibus, non minus magnas, locatas. Sed ineptum est de tam perspicua istius impudentia pluribus verbis disputare, præsertim quum iste aperte tota lege omnium sermonem atque existimationem contempserit, qui etiam ad extremum adscripserit, REDIVIVA SIBI HABETO : quasi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur. At enim[8] si pupillo redimi non licebat, non necesse erat rem ad ipsum pervenire : poterat aliquis ad id negotium de populo accedere. Omnes exclusi sunt non minus aperte, quam pupillus : diem præstituit operi faciundo, kalendas decembres; locat circiter idus septembres; angustiis temporis excluduntur omnes.

proprium est cuique materiæ, ut bona sit. Omnes materiæ in se habeant, quod requiritur, ut bonæ et probæ sint.

4. *Machina sua.* Has voces delet Schütz. Temere. Totum Rabonii opus in eo fuit, ut cæderentur lapides aliquot, et in suum locum attollerentur *machina sua*, i. e. convenienti. Illo enim saxa majora nulla advecta sunt. Itaque sumptus duntaxat factus est in perpaucas fabrorum operas et in manus pretium machinæ.

5. Desjard. ex Ascon. « manu-pretium ». Sch. « manupretii ».

6. *Redivivo.* Vetere et de integro cæso. Sic infra *rediviva* veteres materiæ.

7. *H-S quadragenis*, etc. Hoc est, circ. 8,200 fr.

8. *At enim.* Sed, inquit Verris defensor, quamvis Verris lege pupillus redimere non posset, non ideo necesse locationem ad Verrem ipsum, h. e. ad hominem a Verre subornatum redire; et poterat quivis alius e populo ad redimendum hoc opus accedere. Respondet Cicero, non ita; nam omnes non manifeste minus, definiti temporis brevitate sunt exclusi.

LVII. Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequitur[1]? Nemo Rabonio molestus est, neque kalendis[2] decembribus, neque nonis, neque idibus; denique aliquanto in provinciam iste proficiscitur prius, quam opus effectum est. Posteaquam reus factus est, primo negabat[3] opus in acceptum referre posse: quum instaret Rabonius, in me causam conferebat, quod tum codicem obsignassem. Petit[4] a me Rabonius, et amicos allegat: facile impetrat: iste, quid ageret, nesciebat. Si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionis[5] habiturum. Rabonium porro intelligebat rem totam esse patefacturum: tametsi, quid poterat esse apertius, quam nunc est, ut uno[6] minus teste haberet Rabonio? Opus in acceptum retulit quadriennio post, quam diem operi dixerat. Hac conditione[7], si quis de populo redemptor accessisset, non

LVII. 1. *Quomodo assequitur.* I. e. quomodo potuit, exiguo illo tempore præfinito, opus illud efficere.

2. *Kalendis.* Kalendæ, nonæ, idus h. l. nominantur, quia omnia, in quibus dies sint præstituti, facta sint ad rationem pecuniæ sub usuris collocatæ, quæ si kalendis non solveretur, prorogabatur solutio ad nonas, et inde ad idus, quæ erat ultima dies. Sic quum dies operi faciendo præstituta esset kal. decemb. tamen neque hoc die, neque nonis, neque idibus hoc opus a Rabonio exigebatur.

3. *Negabat.* Nempe Rabonio, qui sibi cautum vellet de pecunia ei tradita, quam Verres ex isto de locatione lucrifecerat, omninoque de opere recte effecto.

4. *Petit.* Ut sibi codicis faciam potestatem.

5. Alii, *defensionum* J. V. L. — Nampe dicturus erat Verres, adeo nullum apposui redemptorem, ut, post diem præstitutum operi, non a Rabonio acceperim opus, nec in acceptum retulerim. At parte alia intelligebat, etc.

6. *Uno minus.* Ut omnes, detracto uno Rabonio, testes in se haberet. — Pro *haberet*, Lambinus mallet *haberem*, probat Desjard. et recepit Schütz.

7. *Hac conditione.* Si quis alius, quam Rabonius, hoc opus redemisset, non obtinuisset a prætore tam laxum tempus, i. e. quadriennium; sed nemo accessit, ut redimeret; 1° quia alios deterruit brevitas temporis. 2° Quia alii noluerunt venire in Verris arbitrium (mense decembri, quo opus exegisset, præturam adhuc urbanam gerentis) a quo mire fuissent vexati, eo quod existimasset prædam sibi fuisse ereptam a redemptore, qui alius esset ac Rabonius, ideoque illud opus acer-

esset usus : quum die ceteros redemptores exclusisset, tum in ejus arbitrium ac potestatem venire nolebant, qui sibi ereptam prædam arbitraretur. Nam quid argumentamur, quo ista pecunia pervenerit? fecit ipse indicium. Primum quum vehementius cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia H-S [8] DLX millia numeravit; quod jam [9] iste ferre non poterat, opere addicto, prædibus acceptis, de H-S IↃLX millibus, remisit D. Bruto H-S CX millia. Hoc, si [10] aliena res esset, certe facere non potuisset. Deinde nummi numerati sunt Cornificio : quem scribam suum fuisse negare non potest. Postremo ipsius Rabonii tabulæ prædam illam istius fuisse clamant : recita NOMINA [11] RABONII.

LVIII. Hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum Junium venisse prætextatum in vestrum conspectum, et [1] stetisse cum patruo testimonium dicente, questus est; et me populariter agere, atque invidiam commovere, quod puerum [2] producerem, clamavit. Quid erat, Hortensi, tandem in illo puero populare? quid invidiosum? Gracchi, credo, aut Saturnini, aut alicujus hominis ejusmodi produxeram filium, ut nomine

bissime exacturus fuisset. Mire in h. l. laborat Schutz. sicque interjectis vocibus scribit «accessisset, nemo non esset usus; nunc quum die». Verba «non esset usus», quæ sunt apud Priscian. et in uno cod. Paris. in aliis vero omissa adjecerunt Lamb. Græv. Ern. Paullo post *nolebat* dedit Aldus. Ascon. *volebat*.

8. Alii, «H-S XL». J. V. L.

9. *Quod jam*. Quia diutius iste tantam Bruti contentionem de summa minuenda ferre non poterat, etc.

10. *Hoc, si*. Si aliena res fuisset, non potuisset de illa summa, quæ redemptori, pupilli Junii nomine, debebatur, aliquid remittere.

11. *Nomina*. Articulos, quos habet Rabonius in suis tabulis.

LVIII. 1. Olim *et testes secum p.* Optime correxit *Henri de Mesmes*. Amplectimur. J. V. L.

2. *Puerum producerem*. Mos erat antiquis oratoribus, ipsorum quos defenderent, pueros infantes producere coram judicibus. Vide Quintil. IV, 1; VI, 1, etc. — *Populare*. Quod populi iras in senatum commoveret.

ipso, et memoria patris, animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Junii erat, hominis de plebe romana, filius : quem pater moriens tum tutoribus et propinquis, tum legibus, tum æquitati magistratuum, tum judiciis vestris commendandum putavit. Hic istius scelerata locatione, nefarioque latrocinio, bonis patriis fortunisque omnibus spoliatus, venit in judicium : si nihil aliud, saltem, ut eum, cujus opera ipse multos annos est in sordibus, paullo tamen obsoletius[3] vestitum videret. Itaque tibi, Hortensi, non illius ætas, sed causa; non vestitus, sed fortuna, popularis videbatur; neque te tam commovebat, quod ille cum toga prætexta, quam quod sine bulla venerat : vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos, et jus ingenuitatis dabat; quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium atque insigne fortunæ[4], hoc ab isto prædone ereptum esse, graviter et acerbe homines ferebant. Neque erant hæ lacrymæ populares magis, quam nostræ, quam tuæ, Q. Hortensi, quam horum, qui sententiam laturi sunt : ideo, quod communis est causa, commune periculum; communi præsidio talis improbitas, tamquam aliquod incendium, restinguenda est. Habemus enim liberos parvos : incertum est, quam longa nostrum cujusque vita futura sit : consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia quam firmissimo præsidio munita sit. Quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum pueritiam contra improbitatem magistratuum? Mater, credo. Scilicet magno præsidio fuit Anniæ pupillæ mater, femina

3. *Obsoletius*. Quum in sordibus ac miseria sit Junii filius, voluit Verrem quoque, reorum de more, sordidatum in judicio videre.

4. *Ins. fortunæ*. Qui enim non erant ingenui, lorum tantum cum nodo sine bulla gestabant. Vide sup. cap. 44, in not.

primaria : minus, illa deos hominesque implorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. Tutoresne defenderent? perfacile vero apud istiusmodi prætorem, a quo M. Marcelli tutoris, in causa pupilli Junii, et oratio, et voluntas, et auctoritas repudiata est.

LIX. Quærimus etiam, quid iste in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonum prædo ipse fuerit? qui in foro populi romani pirata nefarius reperiatur. Dubitamus, quid iste in hostium præda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis [1] fecerit? qui majore pecunia quatuor columnas dealbandas, quam ille omnes ædificandas locaverit? Exspectamus [2], quid dicant ex Sicilia testes : quis umquam templum illud adspexit, quin avaritiæ tuæ, quin injuriæ, quin audaciæ testis esset? Quis a signo Vertumni [3] in circum maximum venit, quin is in unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur? quam tu viam thensarum [4] atque pompæ ejusmodi [5] exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. Te putet quisquam, quum ab Italia freto disjunctus esses, sociis temperasse? qui ædem Castoris, testem furtorum tuorum esse volueris; quam populus

LIX. 1. *Ex L. Met. manubiis*. Ex Castoris æde, quam de hostium manubiis L. Metellus amplificavit.

2. Vulgo *exspectemus*. Quod jam Schütz recte mutaverat ex Herelii conjectura. Fecimus et nos, sic interpungendo, ut nunc vides. J. V. L.

3. *Vertumni*. Mercaturæ dei, cujus signum in vico Tusco fuisse dicitur. Hac iter erat senatorum, qui toga palmata insignes, deos, honoris atque officii causa, prosequebantur e Capitolio in circum maximum; in quo ludi magni, seu Romani, celebrabantur. Vide Tertull. de Cor. Mil. c. 13.

4. *Thensarum*. Sacri erant currus, in quibus deorum collocata simulacra gestabantur. Usum ab diis ad Julium Cæsarem primo, deinde ad alios imperatores adulatio transtulit. Vide Sueton. in Jul. cap. 76. Pompæ circensis descriptionem sane longam leges apud Dionys. Halicarn. VII, sub finem.

5. *Ejusmodi*. Adverbialiter pro *sic*. — *Exigere viam* (subaud. *muniendam*) dicuntur iis quibus ea est procuratio ut vias ornari, et parietes ædium pannis intensis obvelari jubeant. Conf. Macrob. Saturn. I, 6.

romanus quotidie, judices etiam tum, quum de te sententiam ferrent, viderent?

LX. Atque etiam judicium in prætura publicum [1] exercuit: non enim prætereundum est ne id quidem. Petita multa est apud istum prætorem a Q. Opimio: qui adductus est in judicium, verbo, quod, quum esset tribunus plebis, intercessisset [2] contra legem Corneliam; re [3], quod in tribunatu dixisset contra alicujus [4] hominis nobilis voluntatem. De quo judicio si velim dicere omnia, multi appellandi lædendique sint [5]; quod mihi non est necesse. Tantum dicam, paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes, hoc adjutore, Q. Opimium per ludum et jocum fortunis omnibus evertisse. Is mihi etiam queritur, quod a nobis, IX solis diebus, prima actio sui judicii transacta sit: quum apud ipsum tribus horis Q. Opimius, senator populi romani, bona, fortunas, ornamenta [6] omnia amiserit? cujus propter indignitatem judicii, sæpissime est actum in senatu, ut genus hoc totum multarum ac judiciorum ejusmodi tolleretur. Jam vero in bonis Q. Opimii vendendis, quas iste prædas, quam aperte, quam improbe fecerit, longum est dicere. Hoc dico: nisi vobis

LX. 1. *Publicum*. Quamvis publica judicia ad prætorem urbanum non pertinerent, tamen quum de irrogata multa pecuniaria ageretur, judicium illud non capitale ab urbano prætore poterat exerceri. FERRAT.

2. Vulgo *intercessit*. J. V. L. — Sullæ lege anno 673 lata vetabantur ii, qui magistratus plebis fuerant, alia postea munera gerere. Contra tulit C. Aurelius Cotta consul A. U. 678; quam legem Aureliam Q. Opimius, tribunus plebis, suasit. Quam ob causam, anno sequenti, in judicium vocatus apud C. Verrem, majestatis causam dicere coactus est; atque, instantibus nobilibus aliquot, publicatis bonis damnatus.

3. *Re* ante *quod* primum reperi in edit. Lambin. 1576; quod sane abesse non potest. Sic et edidit Aldus nepos. Ernest. J. V. L. — Idem conj. *dixit* aut *dixerat*. J. V. L.

4. *Alicujus*. Catulum significat, Sullanæ factionis tunc principem.

5. Alii, *sunt*. — *Paucos*. Catulum, Curionem, Hortensium, *homines* e Sullanis partibus, eosdem hac in causa Ciceroni adversarios.

6. *Ornamenta*. Senatoria. Amisso

id hominum honestissimorum tabulis planum fecero, fingi a me hoc totum temporis causa putatote. Jam qui ex calamitate senatoris populi romani, quum prætor judicio ejus præfuisset, spolia domum suam referre, et manubias detrahere conatus est; is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari?

LXI. Nam de subsortitione illa Juniana[1] judicum nihil dico. Quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere? difficile[2] est. Non enim me tua solum, et judicum auctoritas, sed etiam annulus aureus scribæ tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, quum diceres, ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris; nam, qua invidia C. Junius conflagrarat, ea, nisi providisses, tibi ipsi tum pereundum fuisse. Hoc modo iste sibi et saluti suæ prospicere didicit, referendo in tabulas et privatas et publicas, quod gestum non esset; tollendo, quod esset, et semper aliquid demendo, mutando, curando[3], ne litura appareret, interpolando. Eo enim usque progreditur, ut ne defensionem quidem male-

enim senatorio censu, ordinem retinere non poterat.

LXI. 1. *Subsortit. Juniana.* C. Junius, Oppianici quæstioni quum præesset judex, alios ab iis judicibus, quos subsortitus erat, supposuisse fuit insimulatus ac damnatus. Scilicet suppositi fuerant judices, sed inscio Junio, ab ipso Verre, qui ut Junio majorem conflaret invidiam, codicem etiam suum, in quo descripta erant judicum nomina, annulo non solum suo, sed etiam scribæ sui obsignatum, interlitum nefarie protulit, quasi cum Junius adulterasset. Itaque Junius, licet innocentissimus, judicii corrupti nomine, tamquam auctor corruptionis quæ tota Verria erat, damnatus est. Vid. pro Cluent. cap. 33 sqq.

2. *Difficile est.* Ironia. — *Annulus.* De quo vid. Verr. III, 80.

3. *Curando n. l. appareret.* Non habet Nonius Marcellus v. *in templo*, I, 145, 15. Glossam credunt Lamb. Desj. Beck. delevit Schütz. Servavimus cum J. V. L. eo quod congesta illa verba ac repetita magis singularem Verris curam demonstrant, nec videntur abundare.—Translatum a fullonibus, qui, poliendo vetera quæque diligenter, quasi in novam speciem mutant.

ficiorum suorum sine aliis maleficiis reperire possit[4]. Ejusdem modi sortitionem[5] homo amentissimus suorum quoque judicum fore putavit per sodalem suum, Q. Curtium, judicem quæstionis: cui nisi ego vi populi, et hominum clamore atque convicio restitissem; ex hac decuria[6] nostra, cujus mihi copiam quam largissime factam oportebat, erepta esset facultas eorum, quos[7], ubi iste annuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur..............................

....

Multa desunt.

4. Nonnulli codd. *posset*. J. V. L.

5. Ascon. *subsortitionem*. Putavit Verres fore ut Curtius, sodalis suus, judex quæstionis, in locum eorum judicum, quos subsortitus erat, alios ex Verris voluntate supponeret, qui eum absolverent. Apparet ex iis quæ sequuntur, Curtium a Cicerone fuisse rejectum judicem, cum convicio populi circumstantis. Sic Ascon. et Desj. Frustra, ut videtur. Optime contra explicat Schütz. Curtius ille tum aliam quamdam e quæstionibus perpetuis exercebat; et suum habebat consilium, in quod ut Verris sodalis utilitatibus inserviret, multos ex ea decuria, ex qua Cicero quam plurimos volebat judices causæ Verrinæ habere, præter necessitatem subsortiebatur, ideoque eorum facultatem Ciceroni eripere volebat, i. e. impedire ne in consilio Glabrionis, qui judicio de Verre præerat, adesse possent.

6. *Decuria*. Tabula erat in qua judicum nomina scribebantur, seu classis judicum. Tunc in illam soli referebantur senatores. Sed hoc ipso anno legem promulgavit L. Cornelius Cotta prætor, qua judicia inter senatores, et equites, et e plebe tribunos ærarii communicarentur; quæ lex, quum ageretur Verris causa, tantum promulgata, nondum lata erat, nec ullam adeo vim habebat. Non autem ad omnia judicia ex omnibus decuriis, quæ Ciceronis ætate tres fuerant, legebantur judices; sed una aut altera decuria hoc illove tempore erat immunis. Vid. pro Cluent. 37. Apparet quoque ex h. l. aliam alia fuisse honestiorem. Vid. Ind. Verb.

7. Vulgo « quos iste annuerat ». Hotom. « cum iis, quos i. a. » Lamb. « quum eos, quibus i. a. » Rescripsit Schütz, « quos, ubi iste, scil. Verres, annuerat ». Quem cum J. V. L. sumus sequuti, ne manca et imperfecta sententia relinqueretur.

EXCURSUS
DE PRÆTORE URBANO.

Prætoris nomen ejusdem ferme cum Urbe est antiquitatis. Veteres Latini omnem magistratum, cui pareret exercitus, a præundo, prætorem appellaverunt. Varro de Ling. Lat. IV. Itaque consules, penes quos summum belli pacisque imperium erat, initio prætores dicebantur. Idem apud Nonium. Hinc ducis tabernaculum prætorium; et in castris porta, quæ ad prætorium spectabat, prætoria appellabatur.

Postea vero quum sæpe bellis avocarentur, nec esset in urbe qui jus diceret, peculiaris magistratus ei rei institutus est, qui assidue jus in Urbe diceret, et proprio nomine prætor appellaretur. Initio unus creatus est, qui rebus judicandis sufficiebat; dictus collega consulum, quod iisdem auspiciis crearetur. T. Liv. VII, 1. A. Gell. XIII, 14. Pigh. ad annum 387.

Quum vero crescenti negotiorum moli deinceps prætor unus non sufficeret, huic collega adjunctus est, circa annum 510: ita ut illi veteri jurisdictio inter cives solos relinqueretur, et ob eam rem prætor urbanus vocaretur; hic vero novus quoniam peregrinorum, quorum multitudo major in dies in Urbem confluebat, causas cognosceret, peregrinus nominaretur. Quæ distinctio nominum ultra reipublicæ tempora duravit. Liv. Epit. 19. Pigh. ibid. Honoratiorem peregrina urbanam fuisse præturam constat tum ex Appian. Bell. Civ. II, tum ex eo, 1° quod prætori peregrino civium causas cognoscere non liceret, nisi hi cum peregrinis litigarent; 2° quod apud eum lege non ageretur; 3° quod ex edicto, quod prætor urbanus in albo proponebat de quibus rebus suo anno jus esset dicturus, jus dicere deberet;

4° quod ex jure gentium, hoc est, communi omnium hominum, ei causas judicare liceret, prætor vero urbanus jus civile, id est, proprium civibus romanis, semper applicare deberet: ceteroquin par erat utriusque potestas; adeo ut prætor peregrinus rescindere, et abolere aliquando posset, quod urbanus constituerat. Exempla suggerunt, Cic. lib. I in Verr. cap. 46. Cæsar, de Bello Civ. lib. III, cap. 20.

Remansit duorum prætorum numerus quamdiu in Italia imperium populi romani se continuit. Verum Sicilia atque Sardinia in provinciarum formam redactis anno 526, prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Liv. Epit. 20. Causam cur duplicaretur hanc subjicit Pomponius, de Orig. juris, ut nempe essent qui in captas nuper Sardiniam et Siciliam insulas rectores quotannis mitterentur. Crescente provinciarum numero, et latius patescente imperio, creati sunt sex prætores anno 556 (Liv. XXXII, cap. 27): ut subacta Hispania, et in duas provincias distributa, citeriorem nimirum et ulteriorem, duos etiam prætores haberet.

L. Sulla dictator factus anno 672, duobus adjectis, instituit ut octo prætores quotannis crearentur. Victor prælio Pharsalico Cæsar decem creari voluit; deinde quatuordecim; postea sexdecim. Cæsare occiso ad veterem octonarium numerum prætores rediere. Pigh. ibid.

Initio, prætorium munus annuo spatio continebatur. At circa annum Urbis 609, in annum sequentem prorogari cœpit, duabus de causis, 1° Africa, Achaia, et Asia nuper subactis, provinciæ plures quam antea, fuerunt regendæ; 2° criminibus ex divitiis et otio inter cives quam maxime in dies invalescentibus, publica de iis, et assidua judicia instituere, et tribunalia in Urbe plura erigere necessarium fuit. Quapropter institutum est ut sex prætores omnes integro sui magistratus anno deinceps in Urbe juris dicendi causa manerent: e quibus duo urbanam et peregrinam jurisdictionem de more obirent, et causas civiles cognoscerent; reliqui quatuor publicas criminum capitalium quæstiones

seu causas criminales, de repetundis, de ambitu, de majestate, de peculatu, vel quovis alio crimine exercerent (1): tum demum finito anno, et exacta urbana jurisdictione, sex illi ad provincias, quas sorte obtinuissent, administrandas in annum alterum proficiscerentur. Pigh. Annal. tom. II, pag. 467.

Iisdem temporibus nova jurisdictionis forma adducta est, et quæstiones factæ sunt perpetuæ: institutum est enim ut quæstiones (sic appellantur, quasi quæsitiones, judicia publica quibus inquiritur de jure, aut facto) singulæ, v. gr. de repetundis, de majestate, etc. non jam ut olim huic, aut illi prætori ad arbitrium senatus mandarentur, sed proprium deinceps haberent tribunal, et prætori peculiari in singulos annos assignarentur.

Quæstionum perpetuarum exordium repetitur ab anno Urbis circiter 609, ad quem annum vide tamen Pigh.

Prætoris urbani munus erat ut jus inter cives diceret; viduas pupillosque defenderet; ludos solemnes, et sacra quædam faceret; sarta tecta, vacante censura, exigeret; senatum absentibus consulibus rogaret; comitia et conciones haberet. Pigh. ad annum 387.

Jurisdictio prætorum spectabat, ut jam dixi, ad judicia tam privata, quam publica. De his infra ad finem volum.

Judicia privata pertinebant ad privatas controversias, et ad jus omne Quiritium tuendum. Ea prætor urbanus tractabat. Ejus jurisdictionis erant partes, non ut ipse judicaret, hoc perquam dubium est an prætor umquam de causa cognosceret (vide Excursum supra citatum); sed ut alterum judicare juberet, et tum judices judiciumve, aut actionem dedisse dicebatur.

Prætores certis insignibus ornati, certo in loco, certis diebus, et certis horis jus dixerunt.

Sedenti prætori ad jurisdictionem adstabant lictores duo:

(1) Vide ad calcem hujus volum. Excurs. de publicis judiciis.

ad pedes erant scribæ et accensi; illi, ut in tabulas actiones referrent; hi, ut litigatores citarent: lictorum usus erat, ut coercerent, aut summoverent. Ejus lateribus assidebant viri prudentes decem, quinque senatores, et quinque equites, quos in consilium adhibebat nec sorte, nec arbitrio suo; sed certi erant et perpetui, «decem viri litibus judicandis appellati». Rævard. Protrib. cap. 18.

Prætoris judicantis insignia erant, præter ministros, prætexta, sella curulis, hasta et gladius.

Prætexta, toga fuit cum limbo purpureo prætexto, quam kalendis januariis in Capitolio, votis solemnibus nuncupatis, sumebant una cum ceteris insignibus; quod eis commune quoque cum consulibus fuit. Sella curulis, fuit sella eburnea, qua in publico et privato loco, sedendi causa, utebantur. Hasta et gladius prætoris fuerunt insigne; illa, ad jurisdictionem, quod ex eo apparet, quia censores quoque hasta posita vectigalia publica locaverunt: hic, ad imperium, sive ad quæstionem significandam. Sigon. de Jud. lib. I, cap. 7.

Prætores urbani magistratum ineuntes (habita concione, et jurati in leges. Cic. de Fin. II, 74) edictum, seu formulam juris dicendi proponebant in albo, hoc est, in tabula, seu charta expansa (Ulpian. Digest. II, 1, 7) tribunali prætoris affigi solita, ut inde populus intelligeret quod jus prætor anno suo dicturus esset de causis ad suam jurisdictionem pertinentibus; utpote de testamentis (Cic. Verr. I, 45), de hereditatibus, quarum petitio et possessio a prætore postulari solebant (ibid. c. 44): de pecuniis creditis, emancipationibus, tutelis, vindiciis, manumissionibus, possessionibus, limitibus, et aliis quæ privato Quiritium jure continentur. Etenim non ita scribi potuerant leges, ut omnes, qui accidere possint, casus complecterentur. Varii sæpe emergebant, qui aut nimia antiquarum legum severitate obruebantur, aut nulla lege cavebantur, aut denique in quibus nisi aliquid detraheretur, aut suppleretur legi,

pugnasset hæc cum æquitate. Hanc cum legibus antiquis in concordiam adducere, munus erat prætorum, et hoc est prætoris edictum Ciceroni toties memoratum in Verrinis, et alibi.

Ex eo more, veluti æquitatis totius origine, omnia ea fluxerunt edicta quorum interpretatione utuntur hodie jurisconsulti. Ne vero quis existimet scripta illa fuisse pro libidine prætoris; in eis constituendis observabantur ea præcipue quæ more majorum constituta essent, id est, ex legibus romanis, et ex superiorum prætorum edictis; unde translatitia appellabantur. Itaque Verres, cui pro lege fuit libido, eam ob causam a Cicerone perstringitur non semel, quod multa edixisset, quæ nemo superiorum prætorum edixerat.

Pro Verre tamen contra Ciceronis accusationem pugnat Hotomannus, Observ. lib. I, cap. 1 et 2, atque istum purgare velle, sed frustra, videtur.

Edictum prætoris perpetuum appellabatur, quia toto anno præturæ perpetua erat regula a qua recedere in jure dicendo prætori non licebat, ex senatusconsulto anni 585. Neque eo minus tamen edicta sua mutaverunt prætores, atque deinceps eo anno, quo magistratum gesserunt, jus aliud, quam quod polliciti erant, dixerunt; quo nomine Verrem Cicero passim exagitat, uti v. gr. lib. I, cap. 46, et pass. Quam ob causam C. Cornelius tribunus plebis anno 686 legem, etsi nemo aperte repugnaret, multis tamen invitis, tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent. Quæ res tum gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere assueverant, sustulit. Ascon. p. 123, et Liv. Suppl. XCIX, 44, tom. X, pag. 380 nostræ editionis.

Edictum prætoris in eum annum tantum valebat, quo prætor erat is, qui illud proposuerat. Hinc appellatur a Cicerone « lex annua », lib. I in Verr. cap. 42 : at prætoris ipsius tribunal aram legum magnifico titulo idem appellat, lib. II, cap. 3.

Locus, in quo jus dicebatur, fuit duplex; aut superior, aut planus. Superior, fuit tribunal in comitio; atque in tribunali, sella curulis. Planus, quicumque locus præter tribunal, posita sella curuli. Is locus tum dicebatur jus. Imo ex jurisconsultis, jus, est locus ubicumque prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum, jus dicere constituit, etiamsi domi, vel in itinere hoc agat. In plano jus ergo reddebatur quolibet loco; sed hoc accipiendum de causis, quæ faciles erant; quæ enim cognitionem solemnem requirebant, eas pro tribunali expediri necesse erat. Ulpian. lib. IX, D. de Off. proc.

Tota prætoris jurisdictio his tribus verbis fuit inclusa, DO, DICO, ADDICO. Sed quolibet die pronuntiari, atque ideo singulis diebus jurisdictio exerceri non poterat. Dierum hæc fuit ratio. Eorum alii fasti; alii nefasti; alii intercisi vocati sunt. Fasti dies fuere, quibus prætori licebat fari tria verba «do, dico, addico»; hisque erant contrarii nefasti. Intercisis diebus, quibusdam horis fas erat, quibusdam fas non erat. Macrob. Saturn. I, cap. 16.

Diximus tribus hisce verbis inclusam fuisse prætoris jurisdictionem, quia necesse est, inquit Varro, uti aliquo horum trium verborum, quum quid lege peragitur. Nam dicit prætor quum v. gr. aliquem aut liberum esse decernit, aut interdicit. Addicit in mancipatione, adoptione, etc. dat bonorum possessionem, vindicias, actionem, etc. Sigon. ibid. Juri dicendo vacabatur ab hora tertia romana, ad vesperam. Illud testatur Martialis his verbis: «Exercet raucos tertia causidicos». Lib. IV, epigr. 8. Hoc autem ex lege Plætoria. «M. Plætorius tribunus plebis scitum tulit, in quo scriptum est, prætor urbanus qui nunc est, quique post hac fuat, duos lictores apud se habeto; isque usque ad supremum jus inter cives dicito». Censorin. de Die Nat. cap. 24.

DESJARD. EX RECENSIONE PONCELET.

M. TULLII CICERONIS

IN C. VERREM

ACTIONIS SECUNDÆ

LIBER SECUNDUS

DE JURISDICTIONE SICILIENSI

ARGUMENTUM.

In libro secundo jam venit orator ad causam, et ad ea crimina quæ Verres in Sicilia commisit: ac primum de pecunia agit ob jus dicendum exacta, et venali Verris jurisdictione, eumque ostendit et hac in re magnam contra leges pecuniam coegisse. Nec tamen tota in hoc argumento versatur oratio. Nam inde a cap. 48 de pecunia aliis rationibus expressa agitur; ob munera et honores venditos usque ad cap. 57: statuarum nomine usque ad cap. 78.

Antequam vero de Siciliæ incommodis dicit orator, magnifica præludit hujus provinciæ laudatione quam ex dignitate, vetustate, utilitate commendat; ut et apud judices Siculi plus auctoritatis habeant in sua causa, et ipse orator majorem faciat attentionem in tota contentione. Ostendit eam primam Romanorum provinciam, rei frumentariæ subsidium, et classibus romanis receptaculum fuisse; qua sublata non tam facile opes Carthaginis concidissent. Itaque ei a Scipione Africano et Marcello magnum esse honorem habitum; eamque non solum rei publicæ cellam penariam, sed etiam italico bello pro ærario fuisse, cap. 2. Præterea multos in ea cives romanos cum quæstu negotiari; incolas ipsos patientia, virtute et frugalitate excellere; romanos homines hic diligi; ac sæpe magistratuum romanorum injurias patienter toleratas; donec tandem Verris luxuria, crudelitate, avaritia, superbia coacti sint, ejus scelera persequi, et Ciceronem, ut eum accusaret, rogaverint, 3. Magnis tamen opibus, magna cupiditate reum absentem contra inquisitionem accusatoris esse defensum, multisque modis Siculos, ne decernerent legationes, qui contra istum dicerent, tentatos esse, 4. Unam tamen esse civitatem Mamertinam (Messanam urbem), quæ publice legatos, qui Verrem laudarent, miserit; ceteris omnibus, ipsis quoque Syracusanis, eum summo odio esse, 5. Neque vero Siculos solos eum persequi, plurimos etiam cives romanos, gravibus ab eo injuriis affectos, existimare, juris, libertatis, rerum fortunarumque suarum salutem in ejus damnatione consistere, 6. Jam inde demonstratur Verrem, antequam

in Siciliam proficisceretur, cogitasse, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset, ac non modo genera furandi, sed etiam nomina quæsivisse. Cujus avaritiæ primum exemplum affertur hoc, quod Dioni Halesino, cujus filio a propinquo homine hereditas venerat, H-S undecies (circ. 225,500 f.) eripuerit, 7. Alterum quod Dioni cuidam Siculo, cui permagna venisset hereditas, ea lege ut statuas in foro poneret, nisi posuisset, Veneri Erycinæ esset mulctatus, illam hereditatem eripuit, etsi statuæ positæ essent ex testamento, 8. Tertium quod Sosippum et Epicratem fratres Agyrinenses fere tota hereditate paterna Veneris nomine spoliavit, 9. Inanem vero esse rei defensionem, si quis dicat ad Verrem pecuniam istam non pervenisse, aut a comitibus suis et asseclis acceptam esse, 10. Rectores enim provinciarum nón solum se ipsos abstinentes, sed etiam comites suos præstare debere, 11.

Sequitur locus de ipsa jurisdictione Siciliensi. In quo primum omnino docetur quantam sibi potestatem Verres arrogaverit, et quomodo omnia Siculorum jura perverterit, 12, 13. Deinde sequuntur exempla, I. Heraclio Hieronis filio Syracusano magna hereditas venerat testamento propinqui sui Heraclii. In eo testamento erat scriptum, ut statuas in palæstra deberet ponere. Affines quidam ejus monent Verrem, fieri posse, ut palæstritæ negent statuas ex testamento esse positas, et petant hereditatem, quod eam palæstræ commissam esse dicant. Quod consilium Verres quum approbasset, non solum ex lege Rupilia judices Heraclio non dedit, sed etiam per summam injuriam hereditatem illam palæstritis adjudicavit, magna prædæ parte ipse potitus, imo etiam Heraclium patriis bonis omnibus exturbavit, 14-20. II. Sequuntur injuriæ in senatum populumque Syracusanum, quum non solum urbem, ædes sacras, curiamque spoliaverit, sed etiam Marcellea (diem festum Marcello sacrum), sustulerit, et ut Verrea agerent eos coegerit, 21. III. Epicratem Bidinum cui hereditas a propinqua muliere venerat, non modo ea privavit, sed etiam quum ille Rhegium profectus esset, quasi fraudandi causa discessisset, omnibus bonis exuit, eaque Bidinis tradidit, magnam eorum partem ipse lucratus, 22-25. L. Metellus, qui Verri successit, simul ac Syracusas venit, statim quidem injurias Heraclio et Epicrati factas rescidit, eisque

bona, quæ restitui possent, restituit. Attamen quum Cicero in Siciliam venisset, repente mutatus est, dixitque se omnia Verris causa velle, nec Epicrati et Heraclio permisit ut Romam ad testimonium dicendum abirent, 26. IV. Heraclio Centuripino, a quo H-S C millia (20,500 fr.) per calumniam malitiamque petita erant, CCC millia (61,500 fr.) extorquenda curavit, 27.

Jam accedit orator ad rerum capitalium quæstiones. Ex his I. narratur causa Sopatri Halicyensis, quem hominem, innocentem, a C. Sacerdote absolutum, indicta causa condemnavit, 28-33. II. Deinde Sthenii Thermitani, cui iratus, quod sibi quum monumenta urbis patriæ tollere vellet, fortiter restitisset, hospitium renuntiavit, eumque, quum pericula confictorum criminum vitaturus Romam profugisset, absentem sine crimine, sine teste, sine accusatore damnavit, 34-47.

Sequuntur Verris crimina ex aliis generibus. A multis ob jus dicundum pecunias accepit, 48. Honores vendidit, et senatorium nomen ac locum, 49, 50. Magistratus curationes et sacerdotia, 51-56. Magnam pecuniam a civitatibus statuarum quas sibi collocandas imperabat, nomine exegit, et eam non in hos usus servatam in loculos demisit, 57. Quamquam, si quis statuarum honore ducatur, tamen nec domum avertere pecuniam liceat, 58. Et ipsarum statuarum modus quidam habendus sit, 59. Denique ab invitis exigi statuas non oporteat. Quæ in tria peccavit Verres, quod et omnium Siculorum testimonium et novo eorum postulati genere comprobatur, 60. Verrem enim statuas ab invitis aratoribus, 60-62. Et ab invitis civitatibus Siciliæ exegisse demonstratur, 63-65. Quod frustra Verres defendit, quasi a volentibus ei sint erectæ, quum iidem vix a provincia abeuntis statuas omnes uno consensu everterint, 66-69. Neque vero Verrem hac ratione se excusare posse ostenditur, quod nimio publicæ utilitatis studio peccarit, et ideo in Siciliæ odium sit adductus, quia frumentum severe exigeret. Si enim publicanis gratiosus fuit, illa causa est quod in furtis cum eis collusit : illudque ex familiaritate et conjunctione Verris cum Carpinatio quodam probatur, qui prædarum istius socius, isti omni modo favere cœpit, eumque Romæ apud publicanos commendare. Unde ejus rei falsa species Carpinatii fraude sit effecta. Ultimo loco docetur Verrem portorium haud

solvisse pro multis rebus, quas Syracusis exportaverit; et quamquam literas societatis publicanorum, quibus hæ fraudes continerentur, amovendas curaverit, Cicero tamen ejus criminis ex duobus libellis inventis et publicanorum tabulis reum convincit, 71-79.

Peroratio brevis est et tota in vehementi Verris insectatione consumitur, qui omnibus vitiis obrutus, ne ullam quidem virtutis umbram in accusatione afferre possit; et in invidiosa veterum patronorum laudatione, qui non ad eas causas accedebant, unde in ipsos infamia redundaret, ac Horteusii comparatione, quem pretio ad tantam subeundam ignominiam inductum non obscure ostendit orator.

M. T. CICERONIS

ORATIONES.

IN C. VERREM
ACTIO SECUNDA.
LIBER SECUNDUS.

DE JURISDICTIONE SICILIENSI.

ORATIO SEPTIMA.

I. MULTA mihi necessario, judices, prætermittenda sunt[1], ut possim aliquando de iis rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere. Recepi enim causam Siciliæ; ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Ego tamen, hoc onere suscepto, et recepta causa Siciliensi, amplexus animo sum aliquanto amplius : suscepi enim causam totius ordinis[2]; suscepi causam populi romani; quod putabam tum denique recte judicari posse, si non modo reus improbus adduceretur, sed etiam di-

I. 1. *Prætermittenda sunt.* Ex flagitiis quæ Verres commisit ante præturam Siciliensem.—Post «aliquando» multi addunt «aliquo modo»; plures delevere. J. V. L. — Non immerito : quis enim credat Tullio tam ingratam repetitionem umquam placuisse.

2. *Ordinis.* Senatorii, qui tunc judiciorum infamia laborabat, et apud omnes in invidia erat. — *Populi romani.* Qui veterem judiciorum vim ac severitatem requirebat, et, hoc damnato reo, in gratiam cum senatu rediturus erat.

ligens et firmus accusator[3] ad judicium veniret. Quo mihi maturius ad Siciliæ causam veniendum est, relictis ceteris ejus furtis ac flagitiis, ut et viribus quam integerrimis agere, et ad dicendum temporis satis[4] habere possim.

Atque adeo[5], antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam quum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum præcipue Siciliæ, judices, plurimis justissimisque de causis: primum, quod omnium nationum exterarum princeps[6] Sicilia se ad amicitiam fidemque populi romani applicuit[7]; prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata; prima docuit majores nostros, quam præclarum esset, exteris gentibus imperare; sola fuit ea fide benivolentiaque erga populum romanum, ut civitates ejus insulæ, quæ semel in amicitiam nostram venissent[8], numquam postea deficerent, pleræque autem, et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque majoribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est: neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ conci-

3. *Accusator.* Non pueri et quadruplatores, qui soli hoc tempore accusant.

4. *Temporis satis.* Viginti dies dabantur ad accusandum legitimi; actio prima novem abstulerat. Verr. I, 60.

5. *Atque adeo.* Siciliæ laus, quam, ut exemplum numerosæ orationis laudat ipse Cicero in Oratore, § 210: « Adhibenda est, inquit, numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in accusationis secundo de Siciliæ laude diximus ». Opportune autem, qui Siciliæ calamitatem expositurus est, initio florentem illius statum exponit; ut ex utriusque status comparatione, acerbior calamitas, magisque luctuosa videatur ».

6. *Princeps Sicilia.* Urbs Messana Romanis se suaque tradidit A. U. 489; et anno sequenti, multæ civitates, Hierone fugato, in amicitiam cum Roma venerunt, ac ipse Hiero in societatem receptus est.

7. *Applicuit.* Verbum solemne de eo, qui ad aliquem tamquam ad patronum confugit, quod ut plane intelligas, vid. Cic. de Orat. I, 39. Terent. Andr. V, 4, 21.

8. *Venissent.* Faern. conj. *rediissent.* Ern. bene vulgatam explicat. J. V. L.

dissent, nisi illud et rei frumentariæ subsidium, et receptaculum classibus nostris pateret[9].

II. Quare P. Africanus, Carthagine deleta, Siculorum urbes signis monumentisque pulcherrimis exornavit[1]: ut, quos victoria populi romani maxime lætari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriæ plurima collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidemque ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Urbem pulcherrimam, Syracusas, quæ quum manu munitissima esset, tum loci natura, terra ac mari claudebatur, quum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriæ, mansuetudinis, continentiæ: quum homines viderent, et quid expugnasset, et quibus pepercisset, et quæ reliquisset. Tantum ille honorem Siciliæ habendum putavit, ut ne hostium quidem urbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res Sicilia provincia semper usi sumus, ut, quidquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum[2] putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet[3], non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusavit? Itaque ille M. Cato sapiens

9. *Pat.* Immutatio hæc temporis pro *patuisset,* tum in Cic. tum in ceteris veteribus sæpius ac vix notanda occurrit.

II. 1. *Exornavit.* Restituens ea, quæ victores Pœni abstulerant. Infra, 35. Hæc quædam præparatio est ad librum de signis.

2. *Conditum.* Græv. et Lall. addunt *jam* e vet. cod. Lamb. Sic « jam conditus », pro Muren. c. 24. Ern. tamen damnat ut languidum. J. V. L. — Sensus est: Tanta est Siculorum erga nos liberalitas, ut, quod apud eos nascitur, nostrum sit, perinde ac si compositum illud in horreis nostris habeamus.

3. *Quod deberet.* De his vide Verr. III, de re frument.

cellam penariam[4] reipublicæ nostræ, nutricem plebis romanæ, Siciliam nominavit. Nos vero experti sumus, Italico[5] maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario[6] illo majorum vetere ac referto fuisse: nam sine ullo sumptu nostro, coriis[7], tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit.

III. Quid illa, quæ forsitan[1] ne sentimus quidem, judices, quanta sunt? quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam, fidelem, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu compendioque dimittit[2], partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. Quod commodum non mediocre populi romani est; tantum civium romanorum[3] numerum, tam prope ab domo, tam bonis fructuosisque rebus detineri. Et quoniam quasi quædam prædia populi romani sunt, vectigalia nostra atque provinciæ: quemadmodum propinquis

4. *Cellam penariam*. Polybius et Strabo Siciliam etiam vocant ταμεῖον τῆς Ῥώμης.

5. *Italico*. Sociali, quod cœptum est A. U. 662, ab universa prope Italia. Flor. III, 18.

6. *Ærario*. Non pro hoc inani, quod nunc habemus. *Ærarium* Romæ fuit triplex: unum, in quod ex tributis et præda bellica redacta pecunia inferebatur. Alterum ex vicesima, quod *sanctius* vocabatur, quia non, nisi difficillimis reip. temporibus, aperiretur. Tertium, in quo pecunia in gallicum bellum eroganda custodiretur, quam in alios usus impendi, exsecrationibus publicis vetitum erat.

7. *Coriis*. Ad conficienda tabernacula. Vid. Verr. I, 38. Conjicit Guil. *coritis*, minus dextre; neque enim utebantur hoc genere telorum Romani.

III. 1. Nonnulli veteres, « quod forsitan ».

2. *Dimittit*. Ex civibus romanis, alii negotiationis causa, frequenter in Siciliam commeant, et inde mercibus onusti redeunt; alii in ea propter utilitatem domicilium collocant. De utrisque vid. inf. 77.

3. *Romanorum*. Abest a codd. Lamb. et Metell. J. V. L. — *Tam prope ab domo*. Illam Italiæ vicinitatem commendat Cicero, quia hac ratione civibus Roma non exhauriretur; quod

vos vestris prædiis maxime delectamini; sic populo romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ. Jam vero hominum ipsorum, judices, ea patientia, virtus, frugalitasque est, ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc, quæ nunc[4] increbruit, videantur accedere. Nihil ceterorum simile Græcorum : nulla desidia, nulla luxuria; contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parcimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt, ut his solis neque publicanus[5], neque[6] negotiator odio sit. Magistratuum autem nostrorum injurias ita multorum tulerunt, ut numquam ante hoc tempus ad aram legum[7], præsidiumque vestrum publico consilio confugerint : tametsi et illum[8] annum pertulerant, qui sic eos afflixerat, ut salvi esse non possent, nisi C. Marcellus quasi aliquo fato venisset, ut bis ex eadem familia salus Siciliæ constitueretur, et postea M. Antonii[9] infinitum illud imperium senserant.

contra in ceteris provinciis, præsertim Asiaticis ita eveniebat, ut postea Julius Cæsar necessario duxerit istas peregrinationes coercere, « ut exhaustæ Urbi frequentia suppeteret ». Sueton. in Jul. 42.

4. *Quæ nunc.* Quæ severa olim, nunc dissoluta usurpatur. Ceterum quæ h. l. de Siculis traduntur, ambitiose magis ac oratorie, quam vere dicta esse videntur. Refragatur ipse sibi Cic. Tusc. Quæst. V, 35; de Fin. bon. et mal. II, 28. Et patet ex ipsis locis, ubi enumerantur res a Verre ablatæ, quanta fuerit eorum luxuria.

5. *Publicanus.* Hoc nomine, et pecuarii et portitores intelliguntur. Erant hi omnes, propter vectigalium rationem, omnibus odio nationibus.

6. *Neque neg.* Veluti aratores, argentarii, quibus liberæ legationes ad negotia obeunda decernuntur.

7. *Aram legum.* Prætoris scilicet tribunal ac subsellia judicum.

8. *Illum annum* 673 quo M. Lepidus Siciliam, quam prætor obtinebat, avare et crudeliter administravit. Huic successit C. Marcellus A. U. 675. Repetundarum reus factus est Lepidus anno 674, accusantibus duobus Metellis Celere et Nepote, qui tamen, victi ejus apud populum gratia, destiterunt.

9. *M. Antonii.* Qui anno 679 imperium nactus faventibus Cotta consule et Cethego in omnes maritimas oras et potestatem proconsulari æquam in omnibus provinciis usque ad quinquagesimum milliarium a mari, Siciliam depopulatus. Vid. Divin. 17.

Sic[10] a majoribus suis acceperant, tanta populi romani in Siculos esse beneficia, ut etiam injurias nostrorum hominum perferendas putarent. In neminem civitates ante hunc testimonium publice[11] dixerunt. Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset. Sed quum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, avaritiam, superbiam, quum omnia sua commoda, jura, beneficia senatus populique romani, unius scelere ac libidine perdidissent: hoc statuerunt, aut istius injurias per vos ulcisci et persequi; aut si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis, urbes ac sedes suas relinquere; quandoquidem agros jam ante istius injuriis exagitati reliquissent.

IV. Hoc consilio a L. Metello legationes universæ petiverunt, ut quam primum isti succederet; hoc animo toties apud patronos[1] de suis miseriis deplorarunt; hoc commoti dolore, postulata consulibus[2], quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt. Fecerunt etiam, ut me, cujus fidem continentiamque[3] cognoverant, prope de vitæ meæ[4] statu dolore ac lacrymis suis deducerent, ut ego istum accusarem; a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat (quamquam in hac causa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis, suscepisse vi-

10. *Sic.* Hotom. placebat, «Scilicet sic»; Ursino, «Sed sic». J. V. L.

11. *Publice.* Recte quidem: quia Lepidus, legibus tantum interrogatus, necdum etiam cœperat accusari. Asc.

IV. 1. *Patronos.* Marcellos, scilicet, Scipiones et Metellos.

2. *Postulata consulibus.* Pompeio et Crasso. Eam Siculis, vel in tantis calamitatibus modestiam affingit, ut apud consules non liberas edere conquestiones audeant, verum postulata tantummodo proferant, quæ ipsius veritatis vi accusationes esse videantur.

3. *Continentiam.* In quæstura quam, Pæduceo prætore, Lilybæi gesserat.

4. *De vitæ meæ statu.* De perpetua mea defendendi et neminem accusandi consuetudine. Adjicit *prope*, quia revera non tam Verris accusator quam Siciliæ patronus est ac defensor. Vid. Div. passim.

deor): postremo homines ex tota provincia nobilissimi, primique, publice privatimque[5] venerunt; gravissima atque honestissima[6] quæque civitas vehementissime suas injurias persequuta est. At quemadmodum, judices, venerunt[7]? Videor enim mihi liberius apud vos jam pro Siculis loqui debere, quam forsitan ipsi velint[8]: saluti enim eorum potius consulam, quam voluntati. Ecquem[9] existimatis umquam, ulla in provincia, reum absentem contra inquisitionem accusatoris, tantis opibus, tanta cupiditate, esse defensum? Quæstores utriusque provinciæ[10], qui isto prætore fuerant, cum fascibus[11] mihi præsto fuerunt[12]. Hi porro[13], qui successerunt, vehementer istius cupidi, liberaliter ex istius cibariis tractati, non minus acres contra me fuerunt. Videte, quid potuerit, qui quatuor in una provincia quæstores, studiosissimos defensores propugnatoresque habuerit; prætorem[14] vero cohortemque totam sic studiosam, ut facile appareret, non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quam Verrem ipsum, qui plenus decesserat, provinciam

5. *Publice privatimque.* Aut legati, aut proprias injurias persequentes.

6. Lambin. *amplissima.* J. V. L.

7. *Quemadmodum venerunt.* I. e. quam forti animo, quam nullis minis deterriti.

8. *Velint.* Metu L. Metelli, prætoris Siciliæ, qui Verri amicissimus est.

9. Melius quam « Et quem », invitis multis. J. V. L.

10. *Utriusque provinciæ.* Sicilia, quamvis unum haberet prætorem, in duas provincias (gall. *départements*) dividi posse videbatur, propter quæstores, quos habuit duos, Syracusanum et Lilybætanum.

11. *Cum fascibus.* Erant quæstoribus sui in provincia lictores, prætexta toga, ceteraque magistratus insignia. Quæstores Verris, quamvis jam sine imperio essent, fasces retinebant, de magistratuum more, donec in Urbem regrederentur.

12. *Præsto fuerunt.* Assidue occurrerunt, ut mihi in Verrem inquirenti essent impedimento.

13. *Hi porro.* Duo quæstores Metelli. — *Cupidi.* Verri faventes. — *Cibariis.* Largitionibus. Metaphora ducta a canibus. Sic Verr. I, 48.

14. *Prætorem.* Metellum, Verris successorem, et ejus adjutores, ministros et comites, quibus minori curæ fuit, quomodo furtis exinanitam Sici-

fuisse. Minari Siculis, si decressent legationes, quæ contra istum dicerent; minari, si qui essent profecti; aliis, si laudarent, benignissime promittere; gravissimos privatarum rerum testes, quibus nos præsentibus denuntiavimus[15], eos vi custodiisque retinere.

V. Quæ quum omnia facta sint, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinam[1], quæ publice legatos, qui istum laudarent, miserit. Ejus autem legationis principem, civitatis[2] nobilissimum, C. Heium, juratum dicere audistis, isti navem onerariam maximam Messanæ esse, publice coactis operis, ædificatam. Idemque Mamertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona sua, verum etiam sacra, deosque penates, a majoribus[3] traditos, ex ædibus suis eripuisse dixit. Præclara laudatio, quum duabus in rebus legatorum una opera[4] consumitur, in laudando atque repetendo. Atque ea ipsa civitas qua ratione illi amica sit, dicetur certo loco : reperietis enim, quæ causæ benivolentiæ sint Mamertinis erga istum, eas ipsas causas satis justas esse damnationis. Alia civitas nulla, judices, publico consilio laudat. Vis illa summi[5] imperii tantum potuit apud perpaucos homines, non

liam recrearent, quæ erat eorum provincia, seu procuratio, quam quomodo expilatorem ejus Verrem judiciis subducerent.

15. *Denuntiavimus*. Quos ad dicendum testimonium citavimus. De hoc verbo vid. J. F. Gron. ad Div. V, 11.

V. 1. *Mamertinam*. Messanam, cujus cives Mamertini dicuntur, quæ urbs Verris furtorum adjutrix ac socia, ei, publica impensa et conductis operariis, maximam navem, nomine Cybeam, ædificaverat ac dono dederat. Verr. IV, 8, 9. Ceterum nota has reorum laudationes, quas sæpius ambitus, aut timor corrumpebat, a Cn. Pompeio fuisse sublatas. Vid. Plutarch. in vit. Pomp. et Val. Max. VI, 2.

2. *Civitatis*. Vocem hanc Gul. quod invenisset in Metellino « civitatis nobilissimum civem C. Heium », arbitrabatur delendam, ceu adulterinam.

3. Ernest. putat, « a majoribus traditos », glossam esse. Frustra. J. V. L.

4. *Una opera*. Quæ una esse debebat, nempe ut Verrem laudarent.

5. *Vis summi imperii*. Quam L. Metellus Siciliæ prætor habet : nemo enim in provincia erat qui, ut in urbe prætor alter aut consules proconsulis,

civitates, ut aut levissimi quidam ex miserrimis desertissimisque oppidis invenirentur, qui injussu populi ac senatus proficiscerentur; aut ii, qui contra istum legati decreti erant, et testimonium publicum ac mandata acceperant, vi ac metu retinerentur. Quod ego in paucis tamen usu venisse non moleste fero, quo reliquæ, tot, et tantæ, et tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet, quum videretis, nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi potuisse, quo minus experirentur, ecquid apud vos querimoniæ valerent antiquissimorum fidelissimorumque sociorum. Nam, quod fortasse non nemo vestrum audierit, istum a Syracusanis publice laudari : id, tametsi priore actione ex Heraclii Syracusani testimonio, cujusmodi esset, cognovistis; tamen vobis alio loco[6], ut se tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonstrabitur. Intelligetis enim, nullis hominibus quemquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, et esse, et fuisse.

VI. At enim istum soli Siculi persequuntur : cives romani, qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt. Primum, si ita esset, tamen vos in hac quæstione de pecuniis repetundis, quæ sociorum causa constituta est, lege judicioque sociali [1], sociorum querimonias audire oporteret. Sed intelligere potuistis priore actione, cives romanos ex Sicilia plurimos, honestissimos, maximis de rebus, et quas ipsi accepissent injurias, et quas scirent aliis esse factas, pro testimonio dicere. Ego hoc, quod intelligo, judices, sic confirmo : videor mihi gratum fecisse Si-

aut prætoris decretis intercederet. — *Populi ac senatus*. Siciliensis.

6. *Alio loco*. Confer Verr. IV, 63.

VI. 1. *Sociali*. In quo de sociorum utilitatibus agitur; lege lata, uti sociis sua repetentibus reddantur.

culis, quod eorum injurias meo labore, inimicitiis [2], periculo sim persequutus: non minus hoc gratum me nostris civibus intelligo fecisse; qui hoc existimant, juris, libertatis, rerum fortunarumque suarum salutem in istius damnatione consistere. Quapropter de istius prætura Siciliensi non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium; si cuiquam ordini, sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum [3] probatus sit; si non horum omnium communis hostis, prædoque fuerit; si cuiquam denique ulla in re umquam temperaverit: ut vos quoque ei temperetis.

Qui simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romæ, et ad urbem [4], antequam proficisceretur, quærere ipse secum, et agitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea provincia maximam [5] uno anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo discere, tametsi non provinciæ [6] rudis erat et tiro; sed in Siciliam paratus ad prædam meditatusque venire cupiebat. O præclare conjectum a vulgo in illam provinciam omen communis famæ atque sermonis! quum ex nomine istius [7], quid in provincia facturus esset, perri-

2. Sic reposuit Ern. e MS pro « inimicitias periculo ». J. V. L.

3. *Sive mercatorum*. Garaton. putat duo verba hic desiderari, « sive negotiatorum »; Cicero enim dum ordines hominum, qui in Sicilia erant, enumerat, negotiatores nullo modo, silentio prætermittere potuit: erant enim in illis plurimi romani equites.

4. *Romæ et ad urbem*. Ex hoc loco conjecturam capere licet dissimilem fuisse prætorum et consulum rationem in sortiendis comparandisve provinciis. Nam consules antequam magistratum inirent, sibi decretas provincias aut sortiebantur, aut suo arbitrio inter se comparabant. Prætores contra qui urbani magistratus erant, eas provincias, in quas cum imperio exirent, eo tempore quo magistratu abibant, sortiri consueverant.

5. *Uno anno*. Nesciebat enim fore, ut sibi, non succedente Arrio, per triennium provincia prorogaretur.

6. *Provinciæ*. Subaud. tractandæ. Quæstor videlicet et legatus in Achaia, Asia, etc. omnes jam furandi vias et artes didicerat.

7. *Ex nomine istius*. Ipsa enim veterea nomina in omen ita converte-

dicule[8] homines augurabantur. Etenim quis dubitare posset, quum istius in quæstura fugam et furtum recognosceret; quum in legatione, oppidorum fanorumque spoliationes cogitaret; quum videret in foro latrocinia præturæ[9] : qualis iste in quarto actu[10] improbitatis futurus esset?

VII. Atque ut intelligatis, eum Romæ quæsisse non modo genera furandi, sed etiam nomina[1], certissimum accipite argumentum, quo facilius de singulari ejus impudentia existimare possitis. Quo die Siciliam tetigit[2] (videte, satisne paratus, ex illo omine urbano[3], ad everrendam provinciam venerit), statim Messana literas Halesam mittit; quas ego istum in Italia scripsisse arbitror : nam, simul atque e navi egressus est, dedit operam, ut Halesinus ad se Dio continuo veniret : se de hereditate velle cognoscere, quæ ejus filio a propinquo homine, Apollodoro Laphirone, venisset. Ea erat, judices, pergrandis pecunia. Hic est Dio, judices, nunc beneficio Q. Metelli civis romanus factus : de quo, multis viris primariis testibus, multorumque tabulis vobis priore actione satisfactum[4] est, H-S undecies numeratum esse, ut eam causam, in

bant, ut ne dux quidem eligeretur nominis ominosi. Sic Liv. XXVIII: « sed illi primum non Arrium Umbrium, semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Subellium tribunum mil. sequuti sunt ».

8. *Perridicule*. Faceta allusione ad istius nomen, dicebant « Verres everres Siciliam », sc. inanem relinques.

9. *Latrocinia præturæ*. Furta in æde Castoris ac pro rostris.

10. *In quarto actu*. Primus Verris actus fuit furtum in quæstura. Secundus, spoliatio fanorum in legatione. Tertius, in prætura urbana latrocinia. Quartum fore Siciliæ expilationem nemo dubitabat, donec in quinto, absoluta tragœdia, Verres damnaretur.

VII. 1. *Nomina*. Eorum quos furaretur. Garat. explicat Verrem quæsiisse non modo quibus in generibus, sed etiam quibus nominibus, furaretur.

2. Alii, *attigit*. J. V. L.

3. *Urbano*. Nempe quod in urbe, seu Romæ dictum hoc fuerat, ut sup. videre est.

4. *Satisfactum*. Omnino est demonstratum. — *Undecies* (circ. 225,500 fr.) Cicero ipse, Verr. I, 10, habet *decies*, quod est 205,000 fr.

qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret; præterea greges nobilissimarum equarum abactos; argenti vestisque stragulæ domi quod fuerit, esse direptum : ita H-S undecies Q. Dionem, quod hereditas ei obvenisset, nullam aliam ob causam, perdidisse. Quid? hæc hereditas quo prætore Dionis filio venerat? Eodem, quo Anniæ, P. Annii senatoris filiæ; eodem, quo M. Liguri senatori, C. Sacerdote prætore. Quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? Non plus quam Liguri, Sacerdote prætore. Quid? ad Verrem quis detulit? Nemo : nisi forte existimatis ei quadruplatores [5] ad fretum [6] præsto fuisse.

VIII. Ad urbem quum esset, audivit, Dioni cuidam Siculo permagnam venisse hereditatem; heredem statuas jussum esse in foro ponere; nisi posuisset [1], Veneri Erycinæ esse multatum [2]. Tametsi positæ essent ex testamento; putabat tamen, quoniam Veneris nomen esset, causam pecuniæ [3] se reperturum. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinæ illam hereditatem : non enim quæstor petiit [4], ut est consuetudo, is, qui Erycinum [5] montem obtinebat; petit Nævius Turpio

5. *Quadruplatores.* Accusatores, sive delatores criminum publicorum.

6. *Ad fretum.* Siculum.

VIII. 1. *Nisi posuisset.* Notandum in jure romano, si quis heredem scriberet, et sibi ab eo monumentum certa pecunia exstrui, seu statuas in suum honorem poni juberet, nullam heredi esse obligationem. Hinc multa sæpe adjiciebatur, *ni posuisset*, uti cuivis templo certa esset solvenda pecunia. Legato vero ad opus publicum relicto, exsequi cogebatur heres, usurasque reipublicæ solvebat, donec perfecisset. L. 7, § de annuis legatis. Ulpian. 5, de oper. publ.

2. *Veneri multatum.* Id est, si statuæ positæ non essent hereditatem totam Veneri esse adjudicandam. Nannius legendum esse *multandum* censebat. Eo autem nomine Veneri multabatur, quod ea apud Siculos magna frequentia coleretur.

3. *Pecuniæ.* Conficiendæ. Sed cod. Metell. *calumniæ*, quod Lamb. Græv. Garaton. Sch. prætulerunt. Vulgatam defendit Ernest.

4. Alii, *petit.* J. V. L.

5. Alii, *Erycum.* J. V. L. — Is erat Q. Cæcilius, quæstor Lilybætanus.

quidam, istius excursor et emissarius[6], homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus[7], C. Sacerdote prætore condemnatus injuriarum[8]. Etenim erat ejusmodi causa, ut ipse prætor, quum quæreret calumniatorem, paullo tamen consideratiorem reperire non posset. Hunc hominem[9] Veneri[10] absolvit, sibi condemnat : maluit videlicet homines peccare, quam deos; se potius a Dione, quod non licebat, quam Venerem, quod non debebatur, auferre. Quid ego hic nunc Sext. Pompeii Chlori testimonium recitem, qui causam egit Dionis, qui omnibus rebus interfuit, hominis honestissimi, tametsi civis romanus virtutis causa jamdiu est, tamen omnium Siculorum primi ac nobilissimi? Quid ipsius Q. Cæcilii Dionis[11], hominis probatissimi ac prudentissimi? Quid L. Vetecillii Liguris, T. Manlii, L. Caleni? quorum omnium testimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum est. Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, jam ante cognosse. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia[12] fuit, melius

6. *Excursor et emissarius*. Translatio est a militia, in qua excursores præmittebantur explorandi tentandique gratia, unde sæpe prædæ ingentes. Verres igitur, ex quibusdam quasi castris certos homines emittebat prædæ causa; hique optime excursores dicuntur.

7. *Deterrimus*. Hotom. et Gulielm. legendum censebant *teterrimus*.

8. *Injuriarum*. Actio illa competit in eum qui aliquem pulsaverit, in alienam domum vi introierit, etc.

9. *Hunc hominem*. Dionem. Adnotat Schutz *hominem* referri videri ad Nævium Turpionem, qui proxime erat « homo teterrimus » appellatus. Seribit igitur, ambiguitatis vitandæ causa, « Iste Dionem v. a. » Feliciter quidem, sed sine MSS. Ceterum sensus per se satis patet.

10. *Veneri absolvit*. Quod ad Venerem attinet, eum absolvit, et indicat illam hereditatem a Dione Veneri non deberi; sed *sibi*, i. e. quod ad suam utilitatem spectat, eum condemnat, sibi adjudicat illam pecuniam, quod erat idem ac si Dionem condemnasset.

11. *Q. Cæcilii Dionis*. Illum hoc ornat prænomine, quod Dio, ut supra est, in civitatem Q. Cæcilii Metelli beneficio adscitus, ejus nomen suo nomini adjunxerat.

12. *In Macedonia*. M. Terentius

hæc cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romæ fuisti? ad quem Dio confugit? qui de Dionis injuriis gravissime per literas cum Verre questus es? Nova tibi hæc sunt, et inopinata? nunc primum hoc aures tuæ crimen accipiunt? Nihil ex Dione [13], nihil ex socru tua, femina primaria, Servilia, vetere Dionis hospita, audisti? Nonne multa mei testes, quæ tu scis, nesciunt? Nonne te mihi testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia, sed legis [14] exceptio? TESTIMONIA M. LUCULLI, CHLORI, DIONIS.

IX. Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui e Chelidonis sinu in provinciam profectus esset, Veneris nomine quæsisse videtur? Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. Sosippus et Epicrates fratres sunt Agyrinenses. Horum pater abhinc duo et xx annos est mortuus: in cujus testamento, quodam loco, si commissum [1] quid esset, multa erat Veneri. Ipso [2] xx anno, quum tot interea prætores, tot quæstores, tot calumniatores in provincia fuissent, hereditas ab his Veneris nomine petita est. Causam [3] Verres cognoscit: pecuniam per Volcatium [4] accipit, fere ad H-S cccc millia, ab duobus fratribus. Multorum testimonia audistis antea. Vicerunt

Lucullus Macedoniæ præfuit, et ex ea triumphavit A. U. 682.

13. Ita codd. Nann. et Metell. melius quam « de Dione, de socru », quod vett. habent editiones. Jam Gruterus mutaverat. J. V. L.

14. *Legis exceptio*. Qua vetabatur accusator rei patronum in testimonium vocare.

IX. 1. *Si commissum*. Si quid heredes fecissent contra, quam testamento cautum esset; multam, pœnæ nomine, Veneri solvere jubebantur.

2. Olim *Ipsos XX annos... petita non est*. Defendit Lamb. J. V. L. — Longum temporis hoc spatium propterea urget Cicero, non ut *præscriptum* ostendat, quum *perpetuæ* essent eæ actiones; sed ut probet hanc actionem ex solius Verris instigatione susceptam esse.

3. *Causam* abest a cod. Metelli. J. V. L.

4. *Volcatium*. Is erat de cohorte prætoria, eques romanus. Comitibus suis Verres, quasi sequestribus uteba-

Agyrinenses fratres ita, ut egentes inanesque discederent.

X. At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit. Quæ est ista defensio? utrum asseveratur[1] in hoc, an tentatur? mihi enim nova res est. Verres calumniatores apponebat; Verres adesse jubebat; Verres cognoscebat; Verres judicabat; pecuniæ maximæ dabantur; qui dabant, causas obtinebant: tu mihi ita defendas? Non est ista Verri numerata pecunia. Adjuvo te: mei quoque testes idem dicunt; Volcatio dicunt sese dedisse. Quæ vis erat[2] in Volcatio tanta, ut H-S cccc millia a duobus hominibus[3] auferret? et quis Volcatio, si sua sponte[4] venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc; experiatur : tecto recipiet nemo. At ego amplius dico, H-S quadringenties[5] accepisse te arguo contra leges: nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum; sed quum ob tua decreta[6], ob imperata, ob judicata, pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cujus manu numerarentur, sed cujus injuria cogerentur. Comites illi tui delecti, manus erant tuæ; præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones erant manus tuæ; ut quisque te maxime cognatione, affinitate[7], necessitudine aliqua attingebat, ita maxime

tur, ut, siquando reus ageretur, liquido jurare posset, pecunias sibi numeratas non fuisse.

X. 1. *Asseveratur*. Utrum serio id dicunt, ut defendant; an experiuntur, si possint ea ratione defendere. Vid. Brut. 85, ubi eodem sensu ponitur *asseverare*. Mire vero contra Hortensium verbum illud *tentatur* prolatum est, ut qui improbos sæpe defendisset.

2. Edd. vett. «Quæ vis erat Volcatio...», id est, quu jure aut quo imperio auferebat?

3. *Hominibus*. Nannii codex habet «nominibus».

4. *Sua sponte*. Proprio suo nomine. — *Libellam*. Unum assem. Vide Rosc. Com. 4.

5. *H-S quadring*. (circ. 82,000 fr.)

6. Cod. Metell. et Lamb. «ob edicta, ob imperia, ob judicata». J. V. L.

7. Delent *cognatione* et *affinitate* codd. Rom. et Brix. edd. Ernest. Sch. etc. Nos post Desjard. servavimus. J. V. L.

manus tua putabatur; cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quam si centum cohortes fugitivorum [8] fuissent, tua manus sine controversia fuit. Quidquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum, sed tua manu numeratum judicari necesse est. Nam, si hanc defensionem probabitis, « Non accepit ipse; » licet omnia de pecuniis repetundis judicia tollatis. Nemo umquam tam reus, tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit uti. Etenim quum Verres utatur; quis erit umquam posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucii [9] innocentiam referatur, si cum isto conferatur? Neque nunc tam mihi isti Verrem defendere videntur, quam in Verre defensionis tentare rationem [10]. Qua de re, judices, vobis magnopere providendum est : pertinet hoc ad summam reipublicæ, et ad existimationem ordinis [11], salutemque sociorum. Si enim innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus.

XI. Primum omnium opera danda est [1], ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ capitique consulant : deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, ut vindicemus [2], missos faciamus, semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. Africani [3] est hoc, hominis liberalissimi

8. Post *fugitivorum*, Ernestio videbatur deesse aut *in Sicilia*, aut *ibi*, aut simile quid. Sine causa. J. V. L.

9. *Q. Mucii.* De Mucio cujus abstinentia in proverbium cesserat, vide Div. 17.

10. *Rationem.* Quæ nempe ad omnes reos pertineat. Odiose hoc in Verris defensores dicitur, quasi qui iisdem, quibus C. Verres, criminibus affines, in eo defendendo experiantur num aliquam sibi, ex similitudine causæ, defensionem comparare possint.

11. *Ordinis.* Lambin. ex Metell. « tanti ordinis ».

XI. 1. *Opera tanta danda est.* Sic multi codd. et edd. pr. J. V. L.

2. *Vindicemus.* Id est, puniamus.

3. *Africani.* Minoris. Nam quum nihil additur post vocem *Africanus*,

(verumtamen ea liberalitas[4] est probanda, quæ sine periculo existimationis est, ut in illo fuit). Quum ab eo quidam vetus assectator, ex[5] numero amicorum, non impetraret, uti se præfectum[6] in Africam duceret, et id ferret moleste : « Noli, inquit, mirari, si tu « a me hoc non impetras. Ego jam pridem ab eo, cui « meam existimationem caram fore arbitror, peto, ut « mecum præfectus proficiscatur, et adhuc impetrare « non possum ». Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salvi et honesti esse volumus, ut eant nobiscum in provinciam, quam hoc illis in beneficii[7] loco deferendum. Sed tu, quum et tuos amicos in provinciam, quasi in prædam, invitabas, et cum illis, ac per eos prædabare, et eos in concione annulis aureis[8] donabas; non statuebas, tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam?

Quum hos sibi quæstus constituisset, magnos atque uberes, ex his causis, quas ipse instituerat in consilio, hoc est, cum sua cohorte, cognoscere : tum in-

de minore semper intelligendom putat Manutius.—*Hoc.* Subaud. factum.

4. *Verumt. ea lib.* Non inhumani, sed ad bene de omnibus merendum promptissimi; itaque illud *verumtamen* ad ejus docendum liberalitatis modum concinne adhibetur.

5. Vulgo *et ex.* Tria verba « ex numero amicorum » glossatori tribuit Ernest. assentitur Schütz. eo quod *assectatores* erant clientes virorum clarorum, plerumque homines tenues, quos non poterat Scipio in amicorum numero habere. Sed et *assectator,* ut verbum *assector,* non semel in bonam partem accipitur; et nomen illud *amici* quod adjicitur, eo magis Africani constantiam in recusando ostendit, et ea probat quæ a Cicerone paullo ante dicuntur, ut *amicos* quandoque *missos faciamus.*

6. *Præfectum.* In cohorte prætoria is erat legatis Inferior, nulli officio peculiari addictus. Sæpius etiam *præfecti* nomen titulus fuit sine re. Vid. Nep. in Att. vit. cap. 6.

7. *Beneficii.* In hanc rationem de Q. Fufidio sic loquitur in epistola ad Brut. 16, « et fuit in Cilicia mecum tribunus militum quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo munus viderer, non dedisse ».

8. *Annulis aureis.* Vid. infr. act. III, 80.

finitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam.

XII. Dubium nemini est, quin omnes omnium pecuniæ[1] positæ sint in eorum potestate, qui judicia dant[2], et eorum[3], qui judicant; quin nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, si, quum hæc a quopiam vestrum petita sint, prætor improbus, cui nemo intercedere[4] possit, det, quem velit, judicem; judex nequam et levis, quod prætor jusserit, judicet. Si vero[5] illud quoque accedet, ut in ea[6] verba prætor judicium det, ut vel L. Octavius Balbus judex, homo et juris et officii peritissimus, non possit aliter judicare; si judicium sit ejusmodi: L. OCTAVIUS JUDEX ESTO: SI PARET[7], FUNDUM CAPENATEM, QUO DE AGITUR, EX JURE QUIRITIUM P. SERVILII ESSE, NEQUE IS FUNDUS Q. CATULO RESTITUETUR: non necesse erit[8] L. Octavio judici cogere P. Servilium

XII. 1. *Pecuniæ.* Fortunæ.

2. *Qui judicia dant.* Prætores, qui judicia constituunt, et formulas per quas judicetur.

3. *Eorum.* Privatorum hominum, qui judices a prætore dabantur.

4. *Intercedere.* In provincia scilicet: nam Romæ, tribuni plebis et alter prætor et consules intercedere poterant.

5. *Si vero.* «Quid vero si illud», vetus cod.

6. *Ut in ea.* Ut eam judicii formulam det, a qua non possit discedere judex vel peritissimus v. g. Octavius Balbus, qui vir integerrimus, judex in Verris causa sedebat. Is est Balbus, quem Cicero in Nat. Deor. inducit pro Stoicis disputantem. Ceterum vidimus jam sæpius judicem a prætoris formula non posse vel tantillum discedere, ita ut ea sit vere omnino constrictus.

7. *Si paret.* Actor fingitur in hoc exemplo Catulus, unus e Verris judicibus, qui, actione rei vindicatoria instituta, petit ut fundus, quem jure optimo possidet Servilius, alter Verris judex, sibi adjudicetur. Formulam dat prætor Verres, qua præcipit judici, si reperiat summo jure Servilio competere hunc fundum, neque Servilius hunc Catulo, qui nullum in eum jus habet, restituere velit; «tum damnetur Servilius», quæ verba tria subintelliguntur.

8. *Non necesse erit.* Nonne secundum formulam cogetur judex, edicere ut P. Servilius Q. Catulo fundum restituat. Cui interlocutoriæ sententiæ si contumax fuerit Servilius, nec rem restituere velit, tum sententia definitiva erit dicenda, eaque condemnan-

Q. Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quem non oporteat? Ejusdemmodi totum jus prætorium, ejusdemmodi omnis res judiciaria fuit in Sicilia per triennium, Verre prætore. Decreta ejusmodi: SI NON [9] ACCIPIT, QUOD TE DEBERE DICIS, ACCUSES; SI PETIT, DUCAS. C. Fuficium duci jussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. Judicia hujusmodi: Qui cives [10] romani erant, si Siculi essent, quum Siculos eorum legibus dari oporteret; qui Siculi, si cives romani essent. Verum, ut totum genus complectamini judiciorum; prius jura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite.

XIII. Siculi hoc jure sunt, ut, quod civis cum cive [1] agat, domi certet suis legibus; quod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii [2] decreto, quod is de decem [3] legatorum

dus idem Servilius *quem damnare* tamen *non oportebat*, utpote rei dominum. Quod tamen facere necesse erit judici, formula a prætore data ita adstricto. Sic nos ex Voorda in Lection. Tullian. interpretamur, apud quem plura vide. Gaius, IV, 39, 44. Vinnius ad I tit. de act. § 31, 3, etc. Aliter interpretatur Manutius: Judex cogetur aut condemnare Q. Catulum, quem condemnare non oporteat ex formula prætoris, id jubentis, non ut Catulus, sed ut Servilius condemnaretur. Alterutrum igitur peccabit Octavius judex, aut Servilium injuste condemnabit, quia formulam sequetur; aut Catulum, contra quem oporteat, quia discedet a formula. Quæ nobis minus felix videtur explicatio, neque cum formulæ sensu consentit.

9. *Si non*. Jubeo a debitore tantum accipere creditorem, non quantum sibi deberi dicit, sed quantum debitor ipse dicat. Quod si nolit summam eam accipere creditor pro plena solutione, accuses eum; si petit plus quam debere dicis, ducas eum in vincula.— Loco *petit*, Lambin. Græv. *petitur*. Nannius, *petitor*. Alii, *patitur*.

10. *Qui cives*. Dabantur judices, qui cives romani erant, si Siculi rei essent, et vice versa; quum contra Siculos a Siculis, Romanos a Romanis judicari lex juberet. Sensus est expeditus, si subintelligantur *rei*.

XIII. 1. Priscian. pag. 766, edit. Putsch. habet *civi*. J. V. L.

2. *P. Rupilii*. Is ex publicano factus consul A. U. 621 in Sicilia cum fugitivis debellavit; et servili confecto bello, Siciliam constituit ac decretum dedit, secundum quod ordinaretur et administraretur. Verr. IV, 50. Vell. Pat. II, 17.

3. *Decem legatorum*. Romanis institutum erat ut, quum in potestatem redegissent provinciam, decem eo mitterentur legati, qui una cum impe-

sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato; senatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, quum alternæ civitates[4] rejectæ sunt. Quod civis romanus a Siculo petit, Siculus judex datur; quod Siculus a cive romano, civis romanus datur: ceterarum rerum[5] selecti judices civium romanorum ex conventu proponi solent. Inter aratores[6] et decumanos, lege Frumentaria, quam Hieronicam appellant, judicia fiunt. Hæc omnia isto prætore non modo perturbata, sed plane et Siculis et civibus romanis erepta sunt: primum suæ leges[7]; quod civis cum cive ageret, aut eum judicem, quem commodum erat, præconem, aruspicem, medicum suum dabat; aut, si legibus erat judicium constitutum, et ad civem suum judicem venerant, libere civi judicare non licebat. Edictum[8] enim hominis cognoscite, quo edicto omnia judicia redege-

ratore, jura constituerent, quibus in posterum provinciam uti vellent. Ad Att. XIII, 4, 5, 6, 30 et 32.

4. *Alternæ civitates*. *Civitates* pro *cives* dicit Cicero. Sensus enim est: Quum petitor judices ex rei civitate, reus contra judices ex actoris civitate datos rejecisset.

5. *Ceterarum rerum*. De quibus disceptant non Siculi, sed inter se cives romani et peregrini. — *Ex conventu*, i. e. ex illa regione ubi conventus agitur et jurisdictio celebratur, ex illis qui negotientur illic et domicilium habeant. — Vulgo hic ordo verborum est: «ex conventu civium romanorum». Transponit J. Fr. Gron. quem sequuti sumus cum J. Gronov. Verburg. Oliv. Lallem. Sch. et J. V. L. quia illud antecedentibus aptius ad structuram et ordinem verborum respondet.

6. *Inter aratores*. Vide ad h. l. Verr. III, 8.

7. *Suæ leges*. Subaud. perturbatæ et ereptæ Siculis sunt. Has duas voces delet Schütz, quasi quæcumque sequuntur, ad leges *Siculorum* violatas pertineant. Sed quum postea «civium romanorum» perturbata jura sit commemoraturus orator, non frustra primo *Siculorum* peculiares leges enumerare videtur. — *Civis cum cive*. In his controversiis quas Siculus cum Siculo habebat.

8. *Edictum*. Ex hoc loco intelligendum datur non licuisse prætoribus, eorum quos judices dederant judicia rescindere. Quum enim iis judicandi potestatem fecissent, ipsimet judicare videbantur. Ceterum de hisce omnibus rebus cf. Excurs. de ordine exercendorum, stante rep. judiciorum, ad calcem hujus voluminis.

rat in suam potestatem : SI QUI PERPERAM JUDICASSET[9], SE COGNITURUM ; QUUM COGNOSSET, ANIMADVERSURUM : idque quum faciebat, nemo dubitabat, quin, quum judex alium de suo judicio putaret[10] judicaturum, seque in eo capitis periculum aditurum, voluntatem spectaret[11] ejus, quem statim de capite suo putaret[12] judicaturum. Selecti e conventu, aut propositi ex negotiatoribus[13] judices nulli : hæc copia, quam dico, judicum, cohors, non Q. Scævolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat; sed C. Verris. Cujusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse ? sicuti videtis edictum[14]. SI QUID PERPERAM JUDICARIT SENATUS[15]. Eum quoque ostendam, si quando sit datus, coactu istius, quod non senserit, judicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi quum nihil intererat istius. Lege Hieronica judicia[16] plurimarum controversiarum, sublata uno nomine omnia : de conventu ac negotiatoribus nulli judices. Quantam potestatem habuerit, videtis : quas res gesserit, cognoscite.

XIV. Heraclius est Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis, et ante hunc prætorem vel pecuniosissimus Syracusanorum; nunc nulla alia calamitate, nisi istius avaritia atque injuria, pauperrimus. Huic hereditas facile ad H-S tricies[1] venit

9. *Judicasset.* Grævius legendum esse putat «judicassit» pro «judicaverit»; quod solemne erat in edictis obsoletiora verba adhibere.

10. Alii, *putet.* J. V. L.

11. Alii, *spectet.* J. V. L.

12. Olim *putet.* J.V. L.

13. *Negotiatoribus.* Equitibus romanis; in conventu autem plebeii poterant esse cives.

14. Ernest. conjicit «sicuti videtis ipsum»; Schütz, «de Siculis v. e.» J.V. L.—Sensus est: Non minus prava ejus cohors, quam ejus edictum erat.

15. *Senatus.* Subaud. cognoscam; et postquam cognovero, animadvertam. Transit Cicero ad id genus actionis, in quo senatus ex aliqua civitate dabatur, qui judicaret.

16. *Judicia.* Subaud. constituta.— *Uno nomine.* Scil. edicto illo de judicio in octuplum, de quo agitur Verr. III, 10 seqq.

XIV. 1. *H-S tricies* (615,000 fr.)

testamento propinqui sui, Heraclii; plena domus cælati argenti optimi, multæque stragulæ vestis, pretiosissimorumque mancipiorum : quibus in rebus istius cupiditates et insanias[2] quis ignorat? Erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam venisse; non solum Heraclium divitem, sed etiam ornatum supellectili, argento, veste, mancipiis futurum. Audit hæc etiam Verres; et primo, illo suo leviore artificio Heraclium aggredi conatur, ut eum roget inspicienda, quæ non reddat. Deinde a quibusdam Syracusanis admonetur : hi autem quidam erant affines[3] istius, quorum[4] iste uxores numquam alienas existimavit, Cleomenes et Æschrio; qui quantum apud istum, et quam turpi de causa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. Hi, ut dico, hominem admonent : rem esse præclaram, refertam[5] omnibus rebus; ipsum autem Heraclium, hominem esse majorem natu, non promptissimum[6]; et eum præter Marcellos, patronum, quem jure suo adire aut appellare possit[7], habere neminem; esse in eo testamento, quo ille heres esset, scriptum, ut statuas in palæstra deberet ponere : faciemus, ut palæstritæ negent ex testamento esse positas; petant hereditatem, quod eam palæstræ commissam[8] esse dicant. Placuit ratio Verri: nam hoc animo providebat, quum tanta hereditas in

2. *Insanias*. Sic legit Ascon. Edd. vett. Vict. Lambin. *insaniam*.

3. *Affines*. Affines sunt aut quorum propinquam aliquis uxorem duxit, aut qui aliorum ipsi propinquam duxerunt. Significat autem Verri cum illorum uxoribus stupri consuetudinem intercessisse. Itaque quasi Verri propinquæ illorum uxores fuissent, istos affines illius appellat. Sic eodem sensu cap. 10 dixit « affinitate ».

4. *Quorum*. Uxores quorum stupri consuetudine Verres ut suam habuit.

5. Beck. addit *domum* e conjectura Lambini. J. V. L.

6. *Non promptissim*. Ingenio minime malum; nec, nisi Marcellos communes Siciliæ totius patronos, ullum ei patronum peculiarem esse, quem privato jure invocare posset. Hoc significat neminem Heraclio esse ad quem clientelæ jure confugiat.

7. Ern. *posset*.

8. *Commissam*. Adjudicatam.

controversiam venisset, judicioque peteretur, fieri non posse, ut sine præda ipse discederet. Approbat consilium : auctor est, ut quam primum agere incipiant, hominemque id ætatis, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur.

XV. Scribitur Heraclio dica [1]. Primo mirantur omnes improbitatem calumniæ : deinde qui istum nossent, partim suspicabantur, partim plane videbant, adjectum [2] esse oculum hereditati. Interea dies advenit, quo die sese ex instituto, ac lege Rupilia, dicas sortiturum Syracusis iste edixerat : paratus ad hanc dicam sortiendam [3] venerat. Tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret diebus xxx sortiri dicam, quibus scripta esset : dies xxx nondum fuerant. Sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium, quem provincia tum maxime exspectabat, successurum. Iste omnibus dicis [4] diem distulit; et eam diem constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri post dies xxx ex lege posset. Posteaquam ea dies venit; iste incipit simulare, se velle sortiri. Heraclius cum advocatis adit, et postulat, ut sibi [5] cum palæstritis, hoc est, cum populo Syracusano, æquo jure disceptare liceat. Adversarii postulant, ut in eam rem judices dentur ex his civitatibus, quæ in id forum convenirent [6]; electi, qui Verri viderentur. Heraclius contra, ut judices e lege Rupilia dentur : ut

1. *Dica*. Actio, a græco δίκη. *Dicas sortiri* est, ordinem causarum sorte constituere. Sic apud Terentium in Phormione : « En umquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam ».

2. *Adjectum*. H. e. Verrem oculis hereditatem ad prædam designasse.

3. *Sortiendam*. Primam educendam.

4. Est a Fabr. et Metell. Antea editi, *judiciis*. J. V. L.

5. *Ut sibi*. Petit ut sibi, Syracusano cum palæstritis, hominibus Syracusanis, ex suis legibus, secundum legem Rupiliam disceptare liceat.

6. *Convenirent*. Quæ in Syracusano foro judicarentur; quæ ex ju-

ab institutis superiorum, ab auctoritate senatus, ab jure omnium Siculorum ne recedatur.

XVI. Quid ego istius in jure dicundo libidinem[1] demonstrem? quis vestrum non ex urbana jurisdictione cognovit? quis umquam, isto prætore, Chelidone invita, lege agere[2] potuit? Non istum, ut non neminem, provincia corrupit: idem fuit, qui Romæ. Quum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, jus esse certum Siculis, inter se quo jure certarent; legem esse Rupiliam, quam P. Rupilius ex S. C.[3] de decem legatorum sententia dedisset; hoc omnes semper in Sicilia consules prætoresque servasse: negavit se judices e lege Rupilia sortiturum; quinque judices, quos commodum ipsi fuit, dedit. Quid hoc homine[4] facias? quod supplicium dignum libidini ejus invenias? Præscriptum tibi quum esset, homo deterrime et impudentissime, quemadmodum inter Siculos judices dares; quum imperatoris populi romani auctoritas, legatorum decem, summorum hominum, dignitas, senatusconsultum intercederet, cujus consulto P. Rupilius de X legatorum sententia leges in Sicilia constituerat; quum omnes, ante te prætorem, Rupilias leges et in ceteris rebus, et in judiciis maxime observassent: tu ausus es pro nihilo præ tua præda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus judicii metus? nullius apud te

risdictione Syracusana penderent. — *Electi.* Et ut eligantur judices qui, etc. — Cod. Metell. *convenerant.* Probat Garaton. Male. Interpungit Ernest. « convenirent. Electi, qui V. v. » quæ major distinctio omnino est frigida.

XVI. 1. Olim *lib. et scelera.* Sed abest a pl. MSS. J. V. L.

2. *Lege agere.* Judicio experiri. Prætor actionem in eos dabat qui in legem aliquam commisissent: hinc lege agere est judicium ex lege postulare.

3. Multi delent « ex S. C. » Male. J. V. L.

4. Alii, « huic homini ». J. V. L. — Vetus est locutio sæpius usurpata. — *Intercederet.* Interveniret.

gravis auctoritas? nullum exemplum, quod sequi velles? Verum, ut institui dicere, quinque judicibus nulla lege, nullo instituto, nulla rejectione[5], nulla sorte, ex libidine istius datis, non qui causam cognoscerent, sed qui, quod imperatum esset, judicarent; eo die nihil actum est; adesse jubentur postridie.

XVII. Heraclius interea, quum omnes insidias a prætore fortunis suis fieri videret, capit consilium de amicorum et propinquorum sententia, non adesse ad judicium: itaque Syracusis illa nocte profugit. Iste postero die mane, quum multo maturius, quam umquam antea, surrexisset; judices citari[1] jubet: ubi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnarent. Illi eum commonefaciunt, ut, si ei videatur, utatur instituto suo[2], nec cogat ante horam decimam[3] de absente secundum præsentem judicare: impetrant. Interea sane perturbatus et ipse, et ejus amici et consiliarii, moleste ferre cœperunt, Heraclium profugisse: putabant absentis damnationem, præsertim tantæ pecuniæ, multo invidiosiorem fore, quam si præsens damnatus esset. Eo accedebat, quod judices e lege Rupilia dati non erant; multo etiam rem turpiorem[4] et iniquiorem visum iri intelligebant. Itaque hoc dum corrigere vult,

5. Al. *religione*, minus aptum, invito Græv. J. V. L. — Nulla permissa judicum recusatione.

XVII. 1. *Judices citari*. Hoc in judiciis præcones munus habebant, ut scilicet judices, testesque et reos convocarent.

2. *Instituto suo*. H. e. non contra ea quæ ipse decrevit, agat.

3. *Ante horam decimam*. Duabus ante noctem horis. Dies totus reo concedi solebat, ad sistendum se coram judice. Vide jus XII tabb. apud Bach. tom. I. — *Secundum*. Propter præsentem.

4. Post «turpiorem» Ern. delevit «fore», quod in libris vett. non est, et ab sententia abhorret. Ex iisdem mox edidit, «quum multis lacrymis eum oraret», pro «multis lacrymis quum eum or.» Item mox, «postero die», pro «postridie». J. V. L.

apertior ejus cupiditas improbitasque facta est. Nam illis quinque judicibus uti sese negat : jubet, id quod initio e lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, et eos, qui dicam scripserant : ait, se judices e lege velle sortiri. Quod ab eo pridie, quum multis lacrymis eum oraret atque obsecraret Heraclius, impetrare non potuerat; id ei postero die venit in mentem, e lege Rupilia sortiri dicas [5] oportere. Educit ex urna tres; iis, ut absentem Heraclium condemnent, imperat : itaque condemnant. Quæ, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? Petatur hereditas ea, quæ nulla [6] debetur, in prædam prætoris? interponatur nomen civitatis? imponatur honestæ civitati turpissima persona [7] calumniæ? Neque hoc solum : sed ita res agatur, ut ne simulatio quidem æquitatis ulla adhibeatur? Nam, per deos immortales, quid interest, utrum prætor imperet, vique cogat aliquem de suis bonis omnibus decedere, an hujusmodi judicium det, quo judicio, indicta causa, fortunis omnibus everti necesse sit?

XVIII. Profecto enim negare non potes, te ex lege Rupilia sortiri judicium [1] debuisse, quum præsertim Heraclius id postularet. Sin illud dices, te Heraclii voluntate ab lege recessisse : ipse te impedies; ipse tua [2] defensione implicabere. Quare enim primum ille ipse adesse noluit, quum ex eo numero judices habe-

5. *Dicas.* Judices sorte eligere. *Dica* h. l. pro *dicaste*, judice.

6. *Nulla debetur. Nulla* pro *non* sumitur; sic et Plautus in Asinaria, « quem in tonstrinam jusseram venire, is nullus venit ». Cf. Ter. Hec. I, 2, 4.

7. *Turp. p.* Desumptum ex fabulis, pro turpissimo negotio civitati mandato. Porro calumniatorum partes hac in re Syracusanis affinxerat, dum hereditatem hanc Verres petentes induceit.

XVIII. 1. Cod. Nann. et ed. Lamb. «judices». Sed judicium pro judicibus, ut supra, cap. 17, « sortiri dicas », id est, δικαστάς. J. V. L.

2. Addidere *tu* Grævius, Desjard.

ret, quos[3] postularat? deinde tu cur post illius fugam judices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, utriusque dederas voluntate? deinde ceteras dicas omnes illo foro[4] M. Postumius quæstor sortitus est: hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus. Ergo, inquiet aliquis, donavit populo Syracusano illam hereditatem. Primum, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis, necesse est: neque enim permissum est, ut impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. Verum ex ista reperietis hereditate ita istum prædatum, ut perpauca occulte fecerit; populum quidem Syracusanum in maximam invidiam sua infamia, alieno præmio[5] pervenisse; paucos Syracusanos, eos, qui se nunc publice laudationis causa venisse dicunt, et tunc participes prædæ fuisse, et nunc non ad istius laudationem, sed ad[6] communem litium æstimationem venisse.

Posteaquam damnatus est absens, non solum illius hereditatis, de qua ambigebatur, quæ erat H-S[7] tricies, sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclii, quæ non minor erat pecunia, palæstræ Syracusanorum, hoc est, Syracusanis, possessio traditur[8]. Quæ

Beckius, Schütz, alii; omittunt cum Grutero plures. J. V. L.

3. Ernest. *quo*. Reposuimus *quos*, multis auctoribus. J. V. L.

4. *Illo foro*. Idem est hic ac conventus (gall. *ressort, étendue de juridiction*). Nota quæstores de mandato prætorum, jure dicendo circumire, ut apud Anglos faciunt « summi judices ».

5. *Alieno præmio*. H. e. palæstritarum; illi enim soli ex hoc Verris flagitio utilitatem percepere, ut qui soli diripiendæ fuerint hereditatis participes.

6. *Ad communem*. Socii isti furtorum Verris ideo nunc venisse videntur, ut causam ipsi suam defendant, et Verre damnato, ipsi litium æstimatarum partem, quæ eis cum Verre communis est, exsolvant. Ipsi enim quod Heraclio, pro sua parte, abstulere, restituere repetundarum lege cogentur. Vide pro Rab. Post.

7. *H-S tricies*. Liber vetus Fabricii habet « H-S CCC ». Sic quoque exhibet ed. Metell.

8. *Possessio traditur*. Prout erat in testamento præceptum; nisi statuæ ponerentur in hereditatis partem ve-

est ista prætura? Eripis hereditatem, quæ venerat a propinquo, venerat testamento, venerat legibus; quæ bona is, qui testamentum fecit, huic Heraclio, ante aliquanto, quam est[9] mortuus, omnia utenda ac possidenda tradiderat; cujus hereditatis, quum ille aliquanto ante te prætorem esset mortuus, controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo.

XIX. Verum esto, eripe hereditatem propinquis, da palæstritis; prædare in bonis alienis, nomine civitatis[1]; everte leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum : num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? Qui simul ac profugit, quam impudenter, quam palam, quam acerbe[2], dii immortales, illa bona direpta sunt! quam illa res calamitosa Heraclio, quæstuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus videbatur? Nam illud quidem statim curatur, ut, quidquid cælati argenti fuit in illis bonis, ad istum deferatur : quidquid Corinthiorum vasorum, stragulæ vestis[3], hæc nemo dubitabat, quin non modo ex illa domo capta et oppressa, verum ex tota provincia ad istum comportari necesse esset. Mancipia, quæ voluit, abduxit; alia divisit. Auctio facta est; in qua cohors istius invicta[4] dominata est. Verum illud est præclarum : Syracusani, qui præ-

nireut palæstritæ; injuste autem patrimonii decreta est possessio.

9. Meæ aures desiderant *esset*, e quo sæpe factum *est;* refertur enim ad *tradiderat*. Hæc Ernest. Sed nimis forte vir doctus tribuit in multis aurium suarum judicio. J. V. L.

XIX. 1. *Nomine civitatis.* Hoc est, prætento palæstritarum nomine.

2. *Quam acerbe.* Græv. *acerbe* pro *acute* positum intelligit; h. e. iis hominibus missis, qui sinus omnes pertentarent, nihilque relinquerent inexpertum.

3. *Stragulæ vestis.* Man. punctum post hæc verba «stragulæ vestis» addit. — *Nemo dubitabat.* Utpote qui Verrem harum rerum studiosissimum, et apertissime rapacem cognoscerent.

4. *Invicta.* Non bellandi virtute, sed furandi rapacitate. Significat eam quid libuerit et quando voluerit pretiu abstulisse.

fuerant his Heraclii bonis, verbo, redigendis[5]; re, dispertiendis, reddebant eorum negotiorum rationem in senatu : dicebant, scyphorum paria complura, hydrias[6] argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa, Verri data esse; dicebant, quantum cuique, ejus jussu, nummorum esset datum. Gemebant Syracusani; sed tamen patiebantur. Repente recitatur, uno nomine H-S CCL[7] millia jussu prætoris data. Fit maximus clamor omnium, non modo optimi cujusque, neque eorum, quibus indignum semper visum erat, bona privati, populi nomine, per summam injuriam erepta; verum etiam ipsi illi auctores injuriæ[8], et ex aliqua particula socii prædæ ac rapinarum, clamare cœperunt, sibi ut haberet hereditatem : tantus in curia clamor factus est, ut populus concurreret.

XX. Res ab omni conventu cognita, celeriter domum nuntiatur[1]. Homo inimicus his, qui recitassent; hostis omnibus, qui acclamassent; exarsit iracundia ac stomacho. Verumtamen fuit tum sui dissimilis : nostis os hominis, nostis audaciam; tamen tum rumore populi, et clamore, et furto manifesto grandis pecuniæ perturbatus est. Ubi se collegit, vocat ad se Syracusanos : quia[2] non posset negare ab illis pecuniam datam, non quæsivit procul alicunde (neque enim probaret), sed proximum, pæne alterum[3] filium,

5. *Redigendis.* In unam summam, quæ reip. numeraretur.—*Rationem in senatu.* Quod autem hi rationem redderent, vel ex consuetudine omnium qui hastæ præfuissent est factum, vel quod res ad palæstram pertinentes ita pro publicis habebantur, ut de iis senatus inquireret.

6. Lambin. Gruter. alii, « hydrias argenteas pretiosas, v. str. multam, m. pr.» J. V. L.

7. *H-S CCL.* H. e. circ. 51,250 fr.

8. *Auctores injuriæ.* Cleomenes et Æschrio.

XX. 1. Herelius, post hoc verbum, e corruptis reliquiis cod. Metelli, « iste mutet », eruit acutissime, « isti Mucio ». Schütz audacter recepit. J. V. L.

2. *Quia.* Metel. *qui.*

3. *Alterum filium.* Generum suum; hominem frugi, nec filii similem quem sæpe impurum ac flagitiosum ostendit.

quem illam pecuniam diceret abstulisse; ostendit se reddere coacturum. Qui posteaquam id audivit, habuit dignitatis, et ætatis, et nobilitatis suæ rationem; verba apud senatum fecit, docuit ad se nihil pertinere; de isto id, quod omnes videbant, neque ille quidem obscure, loquutus est. Itaque illi Syracusani statuam postea statuerunt; et is, ubi primum potuit, istum reliquit, de provinciaque decessit. Et tamen aiunt eum[4] queri solere nonnumquam, se miserum, quod non suis, sed suorum[5] peccatis et criminibus prematur. Triennium provinciam obtinuisti: gener electus adolescens unum annum tecum fuit; sodales, viri fortes, legati tui primo anno te reliquerunt; unus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum tecum fuit: qui si semper una fuisset, tamen summa cura tum tuæ[6], tum multo etiam magis suæ famæ pepercisset. Quid est, quod tu alios accuses? quid est, quamobrem putes te tuam culpam non modo derivare[7] in aliquem, sed communicare cum altero posse? Numerantur illa H-S ducenta quinquaginta[8] Syracusanis: ea quemadmodum ad istum postea per pseudothyrum[9] revertantur, tabulis vobis, et testibus, judices, planum faciam.

XXI. Ex hac iniquitate istius et improbitate, judices, quod præda ex illis bonis ad multos Syracusanos, invito populo senatuque Syracusano, venerat, illa sce-

4. *Eum.* Verrem ironice appellat.

5. *Suorum.* Edd. vett. « plures suorum comitum ».

6. *Tum tuæ.* Nihil commisisset quod tuæ et multo magis famæ suæ officere potuisset.

7. *Derivare.* Totum transferre. *Communicare* partem.

8. *Quinq.* Vetus « H-S ccc quinquaginta »; quem postea numerum constanter exhibet.

9. *Pseudothyrum.* Vox græca; Latinis, latens porta (gall. *porte dérobée*). Quum palam exire a Verre pecuniæ viderentur, latenter postea et per porticum revertebantur. Eadem dicendi figura paullo inf. dicit: « pecuniam, quæ via visa est exire, semita revertisse ».

lera[1] per Theomnastum, et Æschrionem, et Dionysodorum, et Cleomenem invitissima civitate facta sunt, primum ut urbs tota spoliaretur, qua de re alius mihi locus[2] ad dicendum est constitutus; ut omnia signa iste per eos homines, quos nominavi, omne ebur ex ædibus sacris, omnes undique tabulas pictas, deorum denique simulacra, quæ vellet, auferret; deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterium[3] vocant, honestissimo loco, et apud illos clarissimo, ubi illius ipsius M. Marcelli (qui eum Syracusanis locum, quem eripere belli ac victoriæ lege posset, conservavit et reddidit) statua ex ære facta; ibi inauratam isti, et alteram filio statuam posuerint: ut, dum istius hominis memoria maneret, senatus Syracusanus sine lacrymis et gemitu in curia esse non posset. Per eosdem istius injuriarum, furtorum, uxorumque socios, istius imperio Syracusis Marcellea[4] tolluntur maximo gemitu luctuque civitatis: quem illi diem festum quum recentibus beneficiis C. Marcelli[5] debitum reddebant, tum generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, quum eam

XXI. 1. *Illa scelera.* Vetus codex, «etiam illa scelera sunt quæ per Theomnastum».

2. *Alius mihi locus.* Is est liber IV de signis.

3. Βουλευτήριον, senatus. Beck. scribere jubet «buleuterion», J. V. L.

4. *Marcellea.* Erant festi dies in honorem M. Marcelli, Siciliæ primum victoris, dein patroni, a Syracusanis instituti, quos, urbe capta, benignissime habuerat. Hos dies Syracusani, Verris jussu, inviti exemerunt, et in ejus locum *Verrea* reponerent. Ceterum fieri in provinciis solebat, ut, qui magistratus eas bene administrasset, illi festi dies et sua interdum constituerentur. Quo in genere græca abundavit assentatio. Sic Asiani *Mucia* in Q. Mucii Scævolæ, Asiæ prætoris, honorem; iidemque posterius *Lucullia* Luculli gratia, celebraverunt. Plura vide apud Mongault, Comment. Reg. Numism. Acad. I, et Desjard. cujus de hac re optimus exstat Excursus.

5. *C. Marcelli.* Qui Siciliæ præfuit A. U. 675. Unde male vulg. «M. Marcelli». Verba enim illa «recentibus beneficiis» plane indicant, non de illo agi qui Syracusas cepit, sed de C. Marcello, qui prætor post Lepidum

provinciam totam occupasset, Mucia[6] non sustulit. Hostis, et hostis[7] in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit : tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impartire noluisti; per quos illi adepti sunt, ut ceteros dies festos agitare possent. At vero præclarum diem[8] reposuisti, Verrea ut agerent, et ut ad eum diem, quæ sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur[9]. Sed jam in tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. Nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim, quam miserum indignumque sit, istius nomine apud eos diem festum esse, qui sese istius opera funditus exstinctos esse arbitrentur. O Verrea præclara! quoquam[10] [si] accessisti, quo non attuleris tecum istum diem? etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex manibus[11] naturaque tua constituta esse videantur.

XXII. Quam facile serpat injuria, et peccandi consuetudo; quam non facile reprimatur, videte, judices.

non ita multo ante in Sicilia fuerat.

6. *Mucia*. Quæ scilicet Asiani in Q. Mucii Scævolæ, qui abstinenter provinciam rexerat, honorem instituerant.

7. *Et hostis*. Odio in Romanos Hannibal, ut ait Vell. II, 18.

8. Alii, » diem illis reposuisti ». J. V. L.

9. *Locarentur*. Ut quidam homines, pretio conducti, se, quæ opus essent, omnia ad diem daturos, pollicerentur.

10. *Quoquam*. Manca lectio. Cod. Paris. « quo quasi accessisti ». Lamb. « quasi quoquam accessistis ». Hotom. » quonam enim accessisti ». Fortasse scripsit Cicero « quamquam quo accessisti ». Interea sequuti sumus Harles. et Gœrenz. ad Cic. de Legg. Sensus est : Quem locum adiit, quo non secum attulerit *Verrea*, quia omnia everrit diligenter. Sic inf. *eversum* a verbo *everrere*. Quam in vocem sæpius ludit orator.

11. J. Lucan. Hotom. scribendum censent *moribus ;* Schützius paruit. J. V. L.

Bidis oppidum est, tenue sane, non longe a Syracusis. Hujus longe primus civitatis est Epicrates quidam. Huic hereditas H-S quingentorum [1] millium venerat a muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, ut ea etiamsi intestata esset mortua, Epicratem Bidinorum legibus heredem esse oporteret. Recens Syracusana erat illa res, quam ante demonstravi, de Heraclio Syracusano, qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas. Huic quoque Epicrati venerat, ut dixi, hereditas. Cogitare cœperunt ejus inimici, nihilo minus eodem prætore hunc everti bonis posse, quo Heraclius esset eversus. Rem occulte instituunt; ad Verrem per ejus interpretes [2] deferunt: ita causa componitur, ut item palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palæstritæ Syracusani ab Heraclio petissent. Numquam vos prætorem tam palæstricum [3] vidistis: verum ita palæstritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet. Qui statim [4], quum præsensisset, jubet cuidam suorum amicorum numerari H-S LXXX [5]. Res occultari satis non posse [6]. Per quemdam eorum, qui interfuerat [7], fit Epicrates certior. Primo negligere et contemnere cœpit, quod causa

XXII. 1. *H-S quingentorum* (circ. 102,500 fr.)

2. *Interpretes*. Id est, transactores et emissarios qui judicia corrumpebant; ut Act. I, 12, qui aut sequestres aut interpretes judicii corrumpendi solent esse.

3. *Palæstricum*. Manut. « palæstritam ». Palæstritarum studiosum. Jocus. — *Unctior*. Lautior, copiosior. Quod in palæstra, pugnaturi oleo inungebantur, et inde redibat Verres inunctus non oleo, sed pecunia. Sic Hor. Ep. I, 17, 12, « accedes siccus ad unctum ».

4. *Qui statim*. Verres, quum præsensisset Bidinos palæstritas litem in Epicratem esse moturos, jubet ab eis, tamquam judicii pretium, quod secundum eos decernat, sestertium octoginta millia Volcatio amico suo numerari. Sed negotiatio illa inter Verrem et palæstritas, non satis occultari potuit, et certior factus Epicrates hereditati suæ insidias obtendi, aufugit.

5. *H-S LXXX* (16,400 fr.)

6. *Posse*. Omnes vett. edd. « non potest ».

7. *Interfuerat*. MS « interfuerant ».

prorsus, quod dubitari[8] posset, nihil habebat. Deinde, quum de Heraclio cogitaret, et istius libidinem nosset; commodissimum putavit esse de provincia clam abire. Itaque fecit : profectus est Rhegium.

XXIII. Quod ubi auditum est, æstuare illi, qui dederant pecuniam : putare nihil agi posse, absente Epicrate. Nam Heraclius tum[1] affuerat, quum primum dati sunt judices: de hoc, qui, antequam in jus aditum esset, antequam denique mentio controversiæ facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse. Homines Rhegium proficiscuntur, Epicratem conveniunt : demonstrant id, quod ille sciebat, se H-S LXXX dedisse: rogant eum, ut id[2], quod ab ipsis abisset pecuniæ, curet; ab sese[3] caveat, quemadmodum velit; de illa hereditate cum Epicrate neminem esse acturum. Epicrates homines multis verbis a se male acceptos dimisit. Redeunt illi Rhegio Syracusas : queri cum multis, ita ut fit, incipiunt, H-S LXXX nummum frustra dedisse. Res percrebruit : in ore atque sermone omnium cœpit esse. Verres refert illam[4] suam Syracusanam : ait se velle de illis H-S LXXX cognoscere: advocat multos. Dicunt Bidini Volcatio se dedisse; illud non addunt, jussu istius. Volcatium vocat : pecuniam referri imperat. Volcatius animo æquissimo nummos affert, qui nihil amitteret[5]; reddit inspectantibus multis : Bidini nummos auferunt.

8. Alii, « disputari ». J. V. L.

XXIII. 1. *Tum.* Manut. Lamb. et MS Francii « tamen ».

2. Alii, « ut sibi id ». J. V. L.

3. *Ab sese.* Exigat a seipsis cautionem, qualem ipsi commodum erit; paratos esse se, quavis cautione, repromittere neminem nomine hereditatis amplius ab ipso quidquam petiturum.

4. *Refert illam.* Locus ille Lambino et Hotomanno corruptus videtur, et addendum esse *rationem* putant. Male, ut opinor; nam facile intelligas si cantilenam aut fabulam subaudias.

5. *Qui nihil amitteret.* Quippe quæ

Dicet aliquis : Quid ergo in hoc Verrem reprehendis, qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse? Attendite : jam intelligetis hanc pecuniam, quæ via [6] modo visa est exire ab isto, eamdem semita revertisse. Quid [7] enim? debuit [8] prætor, cum consilio re cognita, quum comperisset, suum comitem, juris, decreti, judicii corrumpendi causa, qua in re ipsius prætoris caput existimatioque ageretur, pecuniam accepisse, Bidinos autem contra prætoris famam ac fortunas dedisse, non et in eum [9], qui accepisset, animadvertisse [10], et, in eos, qui dedissent? Tu, qui institueras in eos animadvertere, qui perperam judicassent, quod sæpe per imprudentiam fit; hos pateris impune discedere, qui ob tuum decretum, ob tuum judicium, pecuniam aut dandam, aut accipiendam putarant? Volcatius idem apud te postea fuit, eques romanus, tanta accepta ignominia.

XXIV. Nam quid est turpius ingenuo [1], quid minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere? qui, si eo animo esset,

pecunia non ad eum, sed ad Verrem pervenisset, ita ut hanc restituendo, nihil damni Volcatius sentiret.

6. *Quæ via.* Sic Hot. et Wittenb. Bibl. crit. part. II, pag. 10. Sensus est : Pecunia quæ palam visa est exire ab isto, occulte est ei reddita. Sic supra, cap. 20, « per pseudothyron » dixit. Vulgo inepte : « qua via ... eadem semita ».

7. Alii, « quid enim debuit pr. fecisse ». J. V. L.

8. *Debuit.* Si non collusisset Verres cum Volcatio et Bidinis, debuit in eos animadvertere.

9. Alii, « et non in eum ». Sed Schutz, post Hotom. retraxit *non* ante *debuit.* In eodem orationis tractu, cod. Nannii post « Bidinos autem » repetit « pecuniam ». J. V. L.

10. *Animadvertisse.* Egregie de hac re Cicero ad Quintum Fratr. I, 1 : « Denique hæc opinio sit, non modo iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam, qui aliquid dederint, te inimicum, si cognoveris, futurum. Neque vero quisquam dabit, quum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari ».

XXIV. 1. *Ingenuo.* Hominum conditio apud Rom. triplex : alii erant servi, alii liberi, alii ingenui, qui et nobiles dicti.

quo non modo eques romanus, sed quivis liber debet esse; adspicere te postea non potuisset, inimicus, hostis esset, tanta contumelia accepta; nisi tecum collusisset, et tuæ potius existimationi servisset, quam suæ. Qui quam tibi amicus non modo tum fuerit, quamdiu tecum in provincia fuit, verum etiam nunc sit, quum jam a ceteris amicis sis relictus, et tu intelligis, et nos existimare possumus. An hoc solum argumentum est, nihil isto imprudente factum, quod Volcatius ei non succensuit[2]? quod iste nec in Volcatium, nec in Bidinos animadvertit? Est magnum argumentum : verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit, ut a quibus comperit, quod jure agere cum Epicrate nihil possent, etiamsi adesset, idcirco suum decretum pecunia esse tentatum[3] : his, inquam, ipsis non modo illam hereditatem, quæ Epicrati venerat; sed, ut in Heraclio Syracusano, item in hoc, paullo etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino non erat, bona patria fortunasque ejus Bidinis tradidit. Ostendit enim novo modo, si quis quid ab absente peteret, se auditurum. Adeunt Bidini, petunt hereditatem. Procuratores[4] postulant, ut se ad leges suas rejiciat, aut ex lege Rupilia dicam scribi jubeat. Adversarii non audebant contra dicere : exitus nullus reperiebatur. Insimulant homi-

2. *Succensuit.* Scilicet, ob tantam acceptam contumeliam.

3. *Tentatum.* Periculum illos facere voluisse num pecunia corruptus prætor ad inique decernendum adduceretur.

4. *Procuratores.* Amici Epicratis petunt, ut se Epicratis causam suscipientes ad leges sibi peculiares remittat, aut saltem Epicrati ex Rupilia lege judicium intendat. Tunc impediti Bidini accusant Epicratem aufugisse, ut creditores frustretur et possessionem ex prætoris edicto petunt. Sed bona possideri jubere non potuit prætor, quod aderant procuratores qui actiones contra Epicratem institutas se cum satisdatione excepturos profitentur. De his conf. pro Quintio, ubi fusius explicantur.

nem fraudandi causa discessisse; postulant, ut bona possidere liceat. Debebat Epicrates nullum [5] nummum nemini: amici, si quis quid peteret, judicium se passuros; judicatum solvi satisdaturos esse dicebant.

XXV. Quum omnia consilia [1] frigerent; admonitu istius insimulare cœperunt, Epicratem literas publicas corrupisse: a qua suspicione ille aberat plurimum. Actionem ejus rei postulant. Amici recusare, ne quod novum judicium, ne qua ipsius [2] cognitio, illo absente, de existimatione ejus constitueretur: et simul idem illud postulare non desistebant, ut se ad leges suas rejiceret. Iste amplam occasionem calumniæ nactus, ubi videt esse aliquid, quod amici absentem [3] Epicratem nollent defendere; asseverat se ejus rei in primis actionem esse daturum. Quum omnes perspicerent, ad istum non modo illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, revertisse; sed multo etiam plures eum postea nummos [4] abstulisse: amici Epicratem defendere destiterunt; iste Epicratis [5] bona Bidinos omnia possidere et sibi habere jussit. Ad illa H-S ıↄ millia hereditaria accessit ipsius antiqua H-S quindecies [6] pecunia. Utrum [7] res ab initio ita ducta est? an ad extremum ita perducta est? an ita parva est pecunia? an is homo Verres, ut hæc, quæ dixi, gratis facta esse videantur?

5. Græv. et Ernest. e cod. Nann. « ullum nummum nemini ». Paullo inf. olim erat « judicio secum agi passuros », quod e conjectura ediderat Victorius. Correxit Ernest. ex consuetudine Ciceroniana, ut Verr. III, 28.

XXV. 1. Vulg. « judicia ». J. V. L.

2. Viri docti malunt *istius*, nempe Verris, non sine causa. J. V. L.

3. Grævius profert e codice Nannio, « absente Epicrate ». J. V. L.

4. Posterius « nummos » Ernest. vix credit esse a Cicerone. Cur non credat? J. V. L.

5. *Epicratis*. Quasi latitantis, nec defensi.

6. *H-S quindecies* (307,500 fr.)

7. *Utrum*. Utrum totum illud Epicratis negotium ita exorsus est Verres, ita ad finem perduxit, ita parvam ex

Hic nunc de miseria Siculorum, judices, audite. Et Heraclius ille Syracusanus, et hic Bidinus Epicrates, expulsi bonis omnibus, Romam venerunt: sordidati, maxima barba et capillo, Romæ biennium prope fuerunt. Quum L. Metellus in provinciam profectus est, tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. Metellus simul ac venit Syracusas, utrumque rescidit, et de Epicrate, et de Heraclio. In utriusque bonis nihil erat[8], quod restitui posset; nisi quod moveri loco non poterat.

XXVI. Fecerat hæc egregie primo adventu Metellus, ut omnes istius injurias, quas modo posset, rescinderet, et irritas faceret. Heraclium restitui jusserat: non restituebatur[1]: quisquis erat[2] eductus senator Syracusanus ab Heraclio, duci jubebat: itaque permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuo restitutus est. Alia judicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panormi restituta sunt. Census[3], qui isto prætore sunt habiti, non servaturum se, Metellus ostenderat: decumas, quas iste contra legem Hieronicam vendiderat[4], sese venditurum Hieronica lege, dixerat[5]. Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam istius præturam[6] retexere

eo redegit pecuniam, etc. ut hæc, etc.

8. *Nihil erat.* Res enim mobiles ex edicto venditæ ac per varios locos dispersæ haud facile rursus inveniri et restitui poterant. Apparet inde omnino in provinciis licuisse prætori succedenti, a præcedente prætore rem judicatam rescindere. Conf. Gaius, IV, 105, 106.

XXVI. 1. In cod. veteri apud Hot. «vi restituebatur». Male. J. V. L.

2. *Quisquis erat.* Quisquis senator Syracusanus ab Heraclio in judicium ductus esset, propterea quod bona Heraclii a se possessa non restitueret, eum Metellus duci in vincula jubebat, vel eum Heraclio addicebat. Pro *eductus* Lamb. e cod. Fabr. dedit *editus*. Male.

3. *Census.* Facultatum cujusque erat æstimatio, ex qua onera cuique imponebantur. — *Non servaturum.* Quia inique erant descripti.

4. *Vendiderat.* Locaverat publicanis. Verr. IV, 6.

5. *Dixerat.* Editio Verrinarum prima, *edixerat*. Forte excidit litera ob ultimam præcedentis verbi. J.V. L.

6. *Præturam.* Lamb. «ut non tam suam pr. gerere, quam istius retexere

videretur. Simul atque ego in Siciliam veni, mutatus est. Venerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non alienus a literis[7] : itaque eo iste tabellario semper usus est. Is epistolas complures attulerat : in his unam domo, quæ totum immutarat hominem. Repente cœpit dicere, se omnia Verris causa velle; sibi cum eo amicitiam cognationemque esse. Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis decretisque jugulasset. Erant qui putarent, Letilium legatum a Verre venisse, qui gratiam, amicitiam cognationemque commemoraret. Ex illo tempore a civitatibus laudationes petere; testes non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere cœpit. Quod ego nisi meo adventu illius conatus aliquantulum repressissem, et apud Siculos non Metelli, sed Glabrionis[8] literis, ac lege pugnassem; tam multos huc evocare non potuissem.

XXVII. Verum, quod institui dicere, miserias cognoscite Siculorum. Heraclius ille et Epicrates longe mihi obviam cum suis omnibus processerunt; venienti Syracusas egerunt gratias, flentes; Romam decedere mecum cupierunt. Quod erant mihi oppida complura etiam reliqua, quæ adire vellem, constitui cum hominibus, quo die mihi Messanæ præsto essent. Eo mihi nuntium miserunt, se a prætore retineri. Quibus ego testimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello[1] : cupidissimi veniendi, maximis injuriis affecti,

videretur ». At vulgata ut brevior, sic et aptior est. J. V. L.

7. *A literis*. I. e. ab epistolis, utpote tabellarius. Subfrigidior forsan jocus. — *Epistolas*. Intelligenda h. l. chirographa (gall. *lettres-de-change*), ut infra dicit.

8. *Glabrionis*. Qui Romæ prætor quæstionem repetundarum exercebat, et Ciceroni in Siciliam proficiscenti potestatem quærendi, exscribendi omnia dederat. — *Lege*. Cornelia de repetundis.

XXVII. 1. *Edidi Metello*. Scilicet ut iis potestatem faceret de provincia discedendi.

adhuc non venerunt. Hoc jure sunt socii, ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat.

Jam Heraclii Centuripini, optimi nobilissimique adolescentis, testimonium audistis : a quo[2] H-S c millia per calumniam malitiamque petita sunt. Iste pœnis compromissisque interpositis, H-S ccc extorquenda curavit; quodque judicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod civis Centuripinus inter duos cives judicasset, id irritum jussit esse; eumque judicem falsum judicasse judicavit; in senatu ne esset, locis commodisque publicis uti vetuit; si quis eum pulsasset, edixit, sese judicium injuriarum non daturum; quidquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum, ipsi autem nullius actionem rei sese daturum. Quæ istius auctoritas tantum valuit, ut neque illum pulsaret quisquam, quum prætor in provincia sua verbo permitteret, re hortaretur; neque quisquam ab eo quidquam peteret, quum iste calumniæ licentiam sua auctoritate dedisset[3]: ignominia[4] autem illa gravis tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iste in provincia mansit. Hoc injecto metu judicibus, novo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia, nisi ad nutum istius, judicatam? Utrum id solum videtur esse actum, quod est

2. *A quo*. Heraclius, quum ab eo fraudulenter et injuste sestertium centum millia (20,500 fr.) peterentur, a se deberi negavit. Res ad arbitrum defertur, interpositis, per mutuam inter litigantes stipulationem, sestertium ter centum millibus (61,500 fr.); quam solveret summam, qui arbitri sententiæ non pareret. Eam pecuniam Verres extorquet. Interea dicit sententiam secundum Heraclium arbiter. Erat legitimum hoc judicium, ab arbitro compromissario factum; civis inter cives ex lege Rupilia judicaverat. Verres nihilominus id irritum esse jubet; et quamvis « arbitri sententia nihil ad præturem pertineat, quamvis sententia illa semel prolata tantopere valeat, ut ipse eam mutare non possit », Digest. IV, 8; judicium rescindit.

3. Edd. pr. « possedisset ». Manut. Lambin. Oliv. « præbuisset ». Nos Gruterum sequimur. J. V. L.

4. *Ignominia*. Amissio senatoriæ

tamen actum, ut Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud, in quo præda erat maxima, ut, nomine judiciorum [5], omnia bona atque fortunæ in istius unius essent potestate?

XXVIII. Jam vero in rerum capitalium quæstionibus [1] quid ego unamquamque rem colligam et causam? Ex [2] multis similibus ea sumam, quæ maxime improbitate excellere videbuntur. Sopater quidam fuit Halicyensis, homo domi suæ cum primis locuples atque honestus. Is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem prætorem rei capitalis quum accusatus esset, facile eo judicio est liberatus. Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem, quum is Sacerdoti successisset, ejusdem rei nomen detulerunt. Res Sopatro facilis videbatur, et quod erat innocens, et quod Sacerdotis judicium improbare istum ausurum non arbitrabatur. Citatur reus: causa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore ea, quæ erant antea non solum defensione, verum etiam judicio dissoluta. Causam Sopatri defendebat Q. Minucius, eques romanus in primis splendidus atque honestus, vobisque, judices, non ignotus. Nihil erat in causa, quod metuendum, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea istius libertus, et accensus [3] idem Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis, rerum hujusmodi omnium transactor [4] et administer, ad Sopatrum venit; monet hominem, ne nimis judicio Sacerdotis, et causæ confidat; accusatores inimi-

dignitatis, et locorum publicorum interdictio.

5. *Nomine judiciorum.* Ut per ea, quæ dabat, judicia ipsius ex arbitrio omnium decus ac bona penderent.

XXVIII. 1. *Quæstionibus.* Vide append. de jud. ad calc. vol. parte II.

2. *Ex multis similibus.* Hotom. e codd. laudat, « Ex multis millibus ». J. V. L.

3. *Accensus.* De hac voce vide Verr. 1, 28.

4. *Transactor.* Interpres mercaturæ judiciorum faciendæ.

cosque ejus habere in animo pecuniam prætori dare; prætorem tamen ob salutem[5] malle accipere; et simul malle, si fieri posset, rem judicatam non rescindere. Sopater, quum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset, commotus est sane; neque in præsentia, Timarchidi quid responderet, habuit, nisi, se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum; et simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. Post ad amicos retulit; qui quum ei fuissent auctores redimendæ salutis, ad Timarchidem venit: expositis suis difficultatibus, hominem ad H-S LXXX[6] perducit; eamque ei pecuniam numerat.

XXIX. Posteaquam ad causam dicendam ventum est; tum vero sine metu, sine cura omnes erant, qui Sopatrum defendebant: crimen nullum erat: res judicata: Verres nummos acceperat. Quis posset dubitare[1], quidnam esset futurum? Res illo die non peroratur: dimittitur judicium. Iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait, accusatores ejus multo majorem pecuniam prætori polliceri, quam quantam hic dedisset; proinde, si saperet, videret, quid[2] sibi esset faciendum. Homo, quamquam erat et Siculus, et reus, hoc est, et jure iniquo, et tempore adverso, ferre tamen atque audire diutius Timarchidem non potuit. Facite, inquit, quod vobis[3] libet; daturus non sum

5. Sic Oliv. Lallem. Edd. pr. «absolute». Ernest. «ab salute». Quod eodem modo, verum multo subtilius, interpretatur, quam si *ob salutem* esset.

6. *Ad H-S LXXX* (16,400 fr.) Animadvertendum quam artificiose hanc totam rem enarret orator; in hoc enim peccabat Sopater, quod prætorem corrumpere tentaret. Verum ita rem proponit orator, ut solus nocens videatur Verres, qui primus Sopatrum per Timarchidem de numeranda pecunia tentaverit, et eum ad id damnationis metu adegerit.

XXIX. 1. *Posset.* Franc. «qui possunt dubitare».

2. Quatuor has voces unus et alter codd. non agnoscunt. Brevior lectio Grutero verior videtur. J. V. L.

3. *Vobis.* Abest hæc vox a Metell.

amplius. Idemque hoc amicis ejus et defensoribus videbatur : atque eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quæstione præbebat, tamen in consilio habebat homines honestos e conventu[4] Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant tum, quum esset idem hic Sopater absolutus. Hoc rationis habebant[5], facere eos nullo modo posse, ut eodem crimine, iisdem testibus, Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea absolvissent. Itaque hac una spe ad judicium venitur. Quo posteaquam ventum est, quum in consilium frequentes convenissent iidem, qui solebant, et hac una spe tota defensio Sopatri niteretur, consilii frequentia et dignitate, et quod erant, ut dixi, iidem, qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant : cognoscite hominis apertam, ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem et audaciam. M. Petilium, equitem romanum, quem habebat in consilio, jubet operam dare[6], quod rei privatæ judex esset. Petilius recusabat, quod suos amicos[7], quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret. Iste, homo liberalis, negat se quemquam retinere eorum, qui Petilio vellent adesse. Itaque discedunt omnes : nam ceteri quoque impetrant, ne retineantur; qui se velle dicebant alterutri

4. *E conventu*. Solebant magistratus provinciales in certis quibusdam oppidis *conventus agere* (Verr. V, 11), id est, forum constituere, in quo jurisdictionem exercerent. Scilicet certo die *conveniebant* in forum selecti homines qui prætori adessent, et quibus privata judicia committeret. *Consilium* vero ex selectis in conventu viris constabat, quorum consilio in causis publicis utebatur prætor.

5. *Hoc rationis habebant*. Scilicet ita Sopatri amici ratiocinabantur, nullo modo neque a Verre, neque a ceteris Sopatri adversariis effici posse, ut ab iisdem Sopater damnaretur, qui antea absolverant.

6. *Operam dare*. Jubet eum discedere, et rei cuidam inter privatos componendæ, cujus judex esset, vacare.

7. *Suos amicos*. Nempe amicos, quos Petilius elegerat, ut sibi, istius rei privatæ judici, adessent in consilio.

eorum[8], qui tum illud judicium habebant, adesse. Itaque iste solus cum sua cohorte nequissima relinquitur. Non dubitabat Minucius, qui Sopatrum defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quæsiturus non esset : quum repente jubetur dicere. Respondet[9] : Ad quos? Ad me, inquit, si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo ac Græculo judicem. Idoneus es, inquit; sed pervellem adessent ii, qui affuerant antea, causamque cognorant. Dic, inquit : illi adesse non possunt. Nam hercule, inquit Q. Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio adessem, rogavit. Et simul a subselliis abire cœpit. Iste iratus hominem verbis vehementioribus prosequitur, atque ei gravius etiam minari cœpit, quod in se tantum crimen invidiamque[10] conflaret.

XXX. Minucius, qui Syracusis sic negotiaretur, ut sui juris[1] dignitatisque meminisset, et qui sciret, ita se in provincia rem augere[2] oportere, ut ne quid de libertate deperderet, homini quæ visa sunt, et quæ tempus illud tulit et causa, respondit : causam sese, dimisso atque ablegato consilio, defensurum negavit. Itaque a subselliis discessit; idemque hoc, præter Siculos[3], ceteri Sopatri amici advocatique fecerunt. Iste, quamquam est incredibili importunitate et audacia, tamen subito solus destitutus, pertimuit et conturbatus est. Quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Si dimi-

8. *Alterutri eorum.* Id est, litigatorum, qui rem suam coram Petilio disceptabant. Adesse alicui, proprie est alicujus se profiteri patronum.

9. F. Ursino placuit lectio vet. codicis, « Respondet, abiisse judices. Annon, inquit, tibi idoneus videor, etc. » J. V. L.

10. *Crimen invidiamque.* Quod tam amplam sui criminandi seque in invidiam vocandi omnibus præberet materiam.

XXX. 1. *Ut sui juris.* Ut se civem rom. atque equitem esse meminisset.

2. Edd. pr. et nonnulli codd. *agere*, quod frustra probat Nannius. J. V. L.

3. *Siculos.* Quos Verris metus retinebat.

sisset eo tempore quæstionem, post illis adhibitis[4], quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum videbat: sin autem hominem miserum atque innocentem condemnasset, quum ipse prætor sine consilio, reus autem sine patrono atque advocatis fuisset, judiciumque C. Sacerdotis rescidisset; invidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. Itaque æstuabat dubitatione; versabat se in utramque partem, non solum mente, verum etiam corpore: ut omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo ejus metum cupiditatemque[5] pugnare. Erat hominum conventus maximus, summum silentium, summa exspectatio, quonam esset ejus cupiditas eruptura: crebro demittebat[6] se accensus ad aurem Timarchides. Tum iste[7] aliquando, Age, dic, inquit. Sopatrus implorare hominum atque deum fidem[8], ut cum consilio cognosceret. Tum repente iste testes citari jubet. Dicit unus et alter breviter: nihil interrogatur: præco DIXISSE[9] pronuntiat. Iste, quasi metueret, ne Petilius, privato illo judicio transacto aut dilato, cum ceteris in consilium reverteretur, ita properans de sella exsiluit: hominem innocentem, a C. Sacerdote absolutum, indicta causa, de sententia scribæ, medici, aruspicisque condemnavit.

XXXI. Retinete, retinete hominem[1] in civitate,

4. *Adhibitis*. Vetus habet « adhibitis in consilium ».

5. *Cupiditatemque*. Nannii et Metelli codex, « metum cum cupiditate ».

6. Olim « dimittebat ». Jure optimo recepit Lallem. emendationem Lambini. J. V. L.

7. *Tum iste*. Tandem Verres Sopatrum loqui jubet.

8. *Fidem*. Metell. et Fabric. codex post hoc verbum habent « orare, atque obsecrare », quam Garatonius lectionem defendit.

9. *Dixisse*. Verbum solemne in judiciis, quod per præconem, causa utrimque perorata, pronuntiabatur, ut in consilium judices dimitterentur. Vid. Brisson. Form. V, p. 534.

XXXI. 1. *Retinete hominem*. Illud a Cicerone verbum adhibetur, quoniam qui repetundarum damnatus fuerat, exsilio multari soleret. —

judices : parcite, et conservate, ut sit qui nobiscum res judicet; qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat[2]. Tametsi minus id quidem nobis, minus populo romano laborandum est, qualis istius in senatu sententia futura sit. Quæ enim ejus auctoritas erit? quando iste sententiam dicere audebit, aut poterit? quando autem homo tanta luxuria atque desidia, nisi februario[3] mense, adspirabit in curiam? Verum veniat sane : decernat bellum Cretensibus[4]; liberet[5] Byzantios; regem appellet Ptolemæum[6]; quæ vult Hortensius, omnia dicat et sentiat : minus hæc ad nos, minus ad vitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent.

Illud, illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod iste, ex hoc judicio

Nobiscum. MSS Parisienses, « vobiscum ». J. V. L.

2. Lambin. « dicat » contra libros omnes. J. V. L.

3. *Februario.* Qui totus mensis legationibus exterarum gentium audiendis erat destinatus. Quum autem provinciales legati senatorum sententias sæpius emere cogebantur, tunc venturum Verrem dicit, pretio nimirum adductum, ut venalem sententiam habeat.

4. *Cretensibus.* Cretenses, victo M. Antonio totius oræ maritimæ curatore (Divin. 17. Verr. I, 23), legatos Romam miserunt qui antiqua fœdera revocarent. Illis favebant Pompeius et magna senatus pars; Hortensius contra et Metellus, consules designati, bellum suadebant; quæ valuit sententia. Creta provincia Hortensio obtigit, qui, pacis magis quam belli artibus florens, eam Metello collegæ cessit. Metellus, quamvis se Cretenses Pompeio dedidissent, insulam totam subegit, de ea triumphavit, et *Creticus* cognominatus est. Vid. Flor. III, 7. Liv. Epit. 99. Appian. de reb. Cret. I, p. 99 edit. Schweigh.

5. *Liberet.* Efficiat ut Byzantium non amplius provinciæ forma utatur, sed libera sit, suisque legibus et magistratibus regatur. Byzantios postea Clodius tribunus plebis A. U. 695 lege lata, liberavit. Plinius, Hist. Nat. IV, 1, ut « oppidum liberæ conditionis » memorat.

6. *Ptolemæum.* Pessimus ille rex, cognomine Αὐλητής (Strabo, XVII, 11), regno depulsus ab Alexandrinis, Romam venerat, ibique aperte pecunia efficere studebat ut in regnum reduceretur. Sed magna erat controversia, quod hoc vetarent libri Sibyllini; et qui reducendum censebant, inter se dissentirent, utrum hæc res ad Lentulum an ad Pompeium deferenda esset. Cic. Epist. ad Div. I, 2. Ad Quint. Fratr. II, 2. Appian. de

si aliqua vi se eripuerit, in judicibus[7] sit necesse est; sententiam de capite civis romani ferat; sit in ejus[8] exercitu signifer, qui imperium judiciorum tenere vult. Hoc populus romanus recusat, hoc ferre non potest : clamat, permittitque vobis ; ut, si istis hominibus delectemini, si ex hoc genere splendorem ordini atque ornamentum curiæ constituere velitis, habeatis sane vobis[9] istum senatorem ; istum etiam de vobis judicem, si vultis, habeatis : de se homines[10], si[11] qui extra istum ordinem sunt, quibus ne rejiciundi quidem amplius, quam trium judicum, præclaræ leges Corneliæ[12] faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam sceleratum, tam nefarium, nolunt judicare.

XXXII. Etenim si illud est flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum maximeque nefarium videtur), ob rem judicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam[1] fidem et religionem : quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare; ut ne prædonum[2] quidem prætor in fide retinenda consuetu-

Bell. Civ. Schweigh. 612. Sueton. in Cæs. 54. Dio Cass. 39.

7. *In judicibus.* Quia senator est, et soli senatores tunc judicabant. Sic fiet ut in sua sedeat decuria.

8. *Ejus.* Hortensii, causarum regia. Divin. 7.

9. Ita e codd. edidit Aldus nepos, 1583, et post eum Lambinus, Grævius, Ernest. Alii multi, « vobiscum ». J. V. L.

10. *De se homines.* Hunc vos, senatores, retineatis, si quis ex vobis in judicium vocabitur; sed si quis de populo reus fiet, is certe, quamvis tres tantum judices ex lege ista Cornelia, quæ adeo senatoribus favet, et reis ceteris adversatur, rejicere sibi liceat, in iis ipsis tribus Verrem ut crudelem, etc. rejiciet.

11. Lallem. Beck. delent *si*, testibus MSS. J. V. L. — Nota in seqq. « rejiciundi... trium judicum », græcam omnino phrasim.

12. *Corneliæ.* Vid. Ind. Legum.

XXXII. 1. *Addictam.* Sumpta metaphora de auctionibus, in quibus pluris licitanti res venalis addicitur; sic se Verres plus nummorum numeranti mancipabat.

2. *Præd.* Qui vitam iis non adimere solent, qui pecunia redemerunt.

dinem conservaret? Scelus est accipere ab reo : quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab utroque? Fidem quum proposuisses venalem in provincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam majorem dedit. Concedo : forsitan aliquis aliquando ejusmodi quippiam fecerit. Quum vero fidem ac religionem tuam jam alteri addictam pecunia accepta [3] habueris, post eamdem adversario tradideris majore pecunia; utrumque falles? et trades cui voles? et ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes? Quem mihi tu[4] Bulbum, quem Stalenum? quod umquam hujusmodi monstrum, aut prodigium audivimus, aut vidimus, qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat? honestos homines, qui causam norint, ableget, a consilioque dimittat? ipse solus reum absolutum, a quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat? Hunc hominem judicum numero habebimus? hic alteram decuriam [5] senatoriam judex obtinebit? hic de capite libero judicabit? huic judicialis tabella committetur? quam iste non modo cera [6], verum etiam sanguine, si visum erit, notabit.

XXXIII. Quid enim horum se negat fecisse? illud videlicet unum, quod necesse est, pecuniam accepisse. Quidni iste neget? At eques romanus, qui Sopatrum defendit, qui omnibus ejus consiliis rebusque interfuit, Q. Minucius juratus dicit pecuniam datam; juratus dicit Timarchidem dixisse, majorem ab accusatoribus

3. Aberat « pecunia accepta » a cod. Nannii; idque ei placebat. Sed requirunt verba, quæ statim sequuntur, « majore pecunia ». J. V. L.

4. *Tu Bulbum.* Cod. Metell. « Tubulum », qui quidem prætor pecunias ob rem judicandam accepit. De Fin. II, 16. Sed non apto loco. Bulbus enim et Stalenus una sæpius conjunguntur, ut iniquissimorum judicum nomina (Cluent. 28), qui tamen præ Verre innocentissimi videntur.

5. *Alteram decuriam.* Secundam. Vid. Verr. I, 61.

6. *Cera.* Discolore et infami, qualis Hortensius. Divin. 7.

pecuniam dari: dicent hoc Siculi omnes; dicent omnes Halicyenses; dicet etiam prætextatus Sopatri filius, qui ab isto homine crudelissimo, patre innocentissimo, pecuniaque patria privatus est. Verum, si de pecunia testibus planum facere non possem; illud negare posses, aut nunc negabis, te, consilio tuo dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant, tibique esse solebant, remotis, de re judicata judicasse? teque eum, quem C. Sacerdos, adhibito consilio, causa cognita, absolvisset; eumdem, remoto consilio, causa incognita, condemnasse? Quum hæc confessus eris, quæ in foro palam Syracusis, in ore, atque in oculis provinciæ gesta sunt; negato sane [1], si voles, pecuniam accepisse: reperies, credo, aliquem, qui, quum hæc, quæ palam gesta sunt [2], videat, quærat quid tu occulte egeris [3]; aut qui dubitet, utrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere.

Dixi jam antea, judices, me non omnia istius, quæ in hoc genere essent, enumeraturum; sed electurum ea, quæ maxime excellerent.

XXXIV. Accipite nunc aliud ejus facinus nobile, et multis locis sæpe commemoratum, et ejusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur. Attendite diligenter: invenietis enim, id facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum atque conclusum. Sthenius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis propter summam virtutem [1], summamque

XXXIII. 1. *Negato sane.* Metell. habet «nega totum sane, si voles». Gulielm. vero legebat «negato tum sane, si voles».

2. *Palam gesta sunt.* Dimissos scilicet ac amotos fuisse judices.

3. *Occulte egeris.* Pecuniamne ad judicia corrumpenda acceperis.

XXXIV. 1. *Summam virtutem.* Quum enim Thermitani Mario favissent, et Pompeius illos punire statuisset; Sthenius a se coactos Thermitanos ad sequendas Marii partes respondit, atque adeo de se uno supplicium esse sumendum. Qua fortitudine motus Pompeius et ei et civitati veniam

nobilitatem, nunc, propter suam[2] calamitatem, atque istius insignem injuriam, omnibus notus. Hujus hospitio Verres quum esset usus, et quum apud eum, non modo Thermis sæpenumero fuisset, sed etiam habitasset; domo ejus omnia abstulit, quæ paullo magis animum cujuspiam aut oculos possent commovere. Etenim Sthenius ab adolescentia paullo studiosius hæc compararat[3], supellectilem ex ære elegantiorem, et Deliacam, et Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis : quæ, quum esset in Asia adolescens, studiose, ut dixi, compararat, non tam suæ delectationis causa, quam ad invitationes[4] adventusque nostrorum hominum, amicorum suorum atque hospitum. Quæ posteaquam iste omnia abstulit, alia rogando[5], alia poscendo, alia sumendo; ferebat Sthenius, ut poterat. Angebatur[6] tamen animi dolore necessario[7], quod domum ejus, exornatam atque instructam fere, jam iste reddiderat nudam atque inanem. Verumtamen dolorem suum nemini impertiebat : prætoris injurias tacite, hospitis placide ferendas arbitrabatur. Interea cupiditate iste illa sua nota, atque apud omnes pervulgata[8], quum signa quædam pulcherrima atque antiquissima Thermis in publico posita vidisset, adamavit: a Sthenio petere cœpit, ut ad ea tollenda operam suam profiteretur, seque adjuvaret. Sthenius vero non so-

dedit. Vide Plutarch. in Pomp. et Cic. h. orat. cap. 46.

2. *Suam*. Metell. et vett. edd. « summam ».

3. Alii hic et paullo inf. *comparabat*.

4. *Ad invitationes*. Quam ut iis uteretur, quum invitati ad eum venirent rom. magistratus, seu hospites.

5. *Rogando*. Per preces. *Poscendo*. Partim precibus, partim imperio. *Sumendo*. Vi et imperio.

6. Alii, « tangebatur », minus significanter. Sequimur C. Steph. J. V. L.

7. *Necessario*. Quem non sentire non poterat, quum tot pretiosa artis monumenta a domo raperentur.

8. Multi receperunt « pervagata » e multis codicibus. J. V. L.

lum negavit, sed etiam ostendit, id[9] fieri nullo modo posse, ut signa antiquissima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civitate imperioque populi romani, tollerentur.

XXXV. Etenim, ut simul P. Africani quoque humanitatem et æquitatem cognoscatis, oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant; quod fuerat in primis Siciliæ clarum et ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo romano arbitraretur, bello confecto, socios sua per nostram victoriam recuperare; Siculis omnibus, Carthagine capta, quæ potuit, restituenda curavit. Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant, in ejusdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, quum illa majorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. Erant signa ex ære complura: in his mira pulchritudine ipsa Himera, in muliebrem figuram habitumque formata, ex oppidi nomine et fluminis. Erat etiam Stesichori[1] poetæ statua senilis, incurva, cum libro, summo, ut putant, artificio facta: qui[2] fuit Himeræ, sed et est, et fuit tota[3] Græcia summo propter ingenium honore et nomine. Hæc iste ad insaniam concupierat. Etiam, quod pæne præterii, capella quædam est, ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes[4] harum rerum sumus, intelligere possimus,

9. Herelius pronomen *id* delendum putat. J. V. L.

XXXV. 1. *Stesichori.* Qui poeta circa annum 612 ante Christum florebat. Musam Stesichori *gravem* appellat Horat. Od. IV, 9.

2. Olim « ab eo qui », perperam. Hoc enim ad Stesichorum pertinet.

3. Vulg. « tota in Græcia ». J. V. L.

4. *Qui rudes.* Animadvertendum Ciceronem ubique se omnino harum rerum rudem et contemptorem profiteri, quippe quarum curiosos populus contemneret, et *Græculorum* turpi nomine notaret. Scilicet vetera Romanorum ingenia illud infra suam magnitudinem cadere existimabant, totique in subigendo orbe, illis erant

scite facta et venuste. Hæc et alia Scipio non negligenter abjecerat, ut homo intelligens Verres auferre posset; sed Thermitanis restituerat : non quo ipse hortos; aut suburbanum, aut locum omnino, ubi ea poneret, nullum haberet; sed si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quoscumque ipsius morte venissent : nunc his locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur.

XXXVI. Hæc quum iste posceret, agereturque ea res in senatu : Sthenius vehementissime restitit; multaque, ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemoravit : urbem relinquere Thermitanos esse honestius, quam pati, tolli ex urbe monumenta majorum, spolia hostium, beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi romani atque amicitiæ. Commoti animi sunt omnium : repertus est nemo, quin mori diceret satius esse. Itaque hoc adhuc oppidum Verres invenit prope solum in orbe terrarum, unde nihil ejusmodi rerum de publico per vim, nihil occulte, nihil imperio, nihil gratia, nihil pretio[1] posset auferre. Verumtamen hasce hujus cupiditates exponam alio loco : nunc ad Sthenium revertar.

Itaque iste vehementer Sthenio infensus[2], hospitium ei renuntiat; domo ejus emigrat, atque adeo exit : nam jam ante migrarat. Eum autem inimicissimi

accensi sensibus quos mirum in modum descripsit Virgilius : « Excudent alii..... Tu regere imperio populos, Romane, memento : Hæ tibi erunt artes, etc. » Æn. VI, 648.

XXXVI. 1. *Nihil pretio*. Vetus codex *precario*. Uncis inclusit Ernest. ut plane spuria et aliena, quod Verres non sit emere solitus. Cui recte opposuit Beck. ea quæ Verr. IV, 4 leguntur.

2. *Infensus*. Metell. habet, « iratus iste vehementer Sthenio atque incensus ». — *Migrarat*. I. e. antequam exiret, partem supellectilis exportari jusserat. Multa enim Sthenii jam vasa alio conferenda curaverat. Sic Ernest. Schütz et J. V. L. Possit forsan etiam explicari locus si *migrare* idem quod

Sthenii domum suam statim invitant, ut animum ejus in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid et criminando. Hi autem erant [inimici] Agathinus, homo nobilis, et Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini ejus filiam, de qua iste audierat. Itaque ad generum Agathini migrare maluit. Una nox intercesserat, quum iste Dorotheum sic diligebat, ut diceres, omnia inter eos esse communia[3]: Agathinum ita observabat, ut aliquem affinem[4] ac propinquum: contemnere etiam signum illud Himeræ jam videbatur, quod eum multo magis figura et lineamenta hospitæ delectabant.

XXXVII. Itaque hortari homines cœpit, ut aliquid Sthenio periculi crearent, criminisque confingerent. Dicebant se illi nihil habere, quod dicerent. Tum iste his aperte ostendit et confirmavit, eos in Sthenium, quidquid vellent, simul atque ad se detulissent, probaturos[1]. Ita illi non procrastinant: Sthenium statim educunt[2]; aiunt ab eo literas publicas esse corruptas[3]. Sthenius postulat, ut quum secum sui cives agant de

ad Div. I, 5; Fin. III, 20; Offic. I, 10, id est, *negligere* significet; ita ut intelligamus, Verrem quum jam antea a Sthenio abalienatus esset, quumque eum negligere cœpisset, tunc denique vehementer ei infensum, quod signa auferre volenti restitisset, aperte cum eo inimicitias habuisse. Videant doctiores.

3. *Communia.* Græco proverbio alludit orator, τὰ τῶν φίλων κοινά· et obiter indicat Dorothei quoque uxorem in commune habitam.

4. *Affinem.* Quasi socerum scilicet, quippe cujus cum filia rem habuisset; sic supra *affines* occurrit.

XXXVII. 1. *Probaturos.* Fidem apud se Verrem habituros, vel nullo appellato teste.

2. *Educunt.* In jus vocant. Ut supra cap. 26.

3. *Esse corruptas.* Quod capitale crimen erat, et lege Cornelia morte plectebatur. Sed hoc judicium non capitale primum fuisse hic intelligitur. Quum enim postea Agathinum rogavit uti Sthenium accusaret, negavit ille, se Sthenio adeo inimicum esse, ut in capitis periculum adduceret. Inde apparet pœnam solummodo in pecunia aut corpore fuisse constitutam; nisi forte hoc ex judicis arbitrio penderet. « Non capitalia judicia sunt, ait Paullus in lib. II de publ. judic. ex quibus

literis publicis corruptis, ejusque[4] rei legibus Thermitanorum actio sit; quum senatus populusque romanus Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem[5], agros, legesque suas reddidisset; Publiusque Rupilius postea leges ita Siculis ex senatusconsulto, de decem legatorum sententia, dedisset, ut cives inter se legibus suis agerent; idemque hoc habuerit Verres ipse in edicto: ut[6] de his omnibus causis se ad leges rejiceret. Iste, homo omnium æquissimus, atque a cupiditate[7] remotissimus, se cogniturum esse confirmat: paratum ad causam dicendam venire hora octava[8] jubet. Non erat obscurum, quid homo improbus ac nefarius cogitaret: neque enim ipse satis occultarat; nec mulier[9] tacere poterat. Intellectum est, id istum[10] agere, ut, quum Sthenium, sine ullo argumento, ac sine teste, damnasset, tum homo nefarius de homine nobili, atque id ætatis, suoque hospite, virgis supplicium crudelissime sumeret. Quod quum esset perspicuum; de amicorum hospitumque suorum sententia, Thermis Sthenius Romam profugit. Hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem calamitatemque vitare.

XXXVIII. Iste homo certus et diligens, ad horam octavam præsto est. Sthenium citari jubet: quem

pecuniaria, aut aliqua in corpus coercitio pœnæ est».

4. Alii, «ejusce rei». J. V. L.

5. Alii, «urbes». Correxit e MS Nann. cum Græv. Ernest.

6. *Ut.* Postulat Sthenius, ut, ex omnibus supra enumeratis causis propter has omnes rationes, se ad leges Siculas remittat. Errare h. l. Ernestinm animadvertit Schützius, qui «de omnibus causis» accipit de omni harum accusationum genere. Idem ex Wyttenb. Bibl. Crit. I, 2, 10, *suas* ante *leges* addidit.

7. Alii, «a cupiditate omnium remotissimus». J. V. L.

8. Alii, *nona*. Paullo infra Ernest. quamvis hic *octava* receperit, male reliquit *nonam*.

9. *Nec mulier.* Callidama, Dorothei uxor Sthenio inimici.

10. Alii, *ipsum*. J. V. L.

posteaquam videt non adesse, dolore ardere, atque iracundia furere cœpit; Venerios[1] in domum Sthenii mittere; equites circum agros ejus villasque dimittere. Itaque dum exspectat, quiduam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discessit. Postridie mane descendit; Agathinum ad sese vocat; jubet, eum de literis publicis in absentem Stheninm dicere. Erat ejusmodi causa, ut ille ne sine adversario quidem, apud inimicum judicem, reperire posset, quid diceret. Itaque tantum verbo posuit, Sacerdote prætore, Sthenium literas publicas corrupisse. Vix ille hoc dixerat, quum iste pronuntiat, STHENIUM LITERAS PUBLICAS CORRUPISSE VIDERI[2]. Et hæc præterea addidit homo Venerius, novo modo[3], nullo exemplo, OB EAM REM H-S QUINGENTIES[4] VENERI ERYCINÆ DE STHENII BONIS EXACTURUM: bonaque ejus statim cœpit vendere. Et vendidisset, si tantulum moræ fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur. Ea posteaquam numerata est, contentus hac iniquitate non fuit: palam de sella ac tribunali pronuntiat, SI QUIS ABSENTEM STHENIUM REI CAPITALIS REUM FACERE[5] VELLET, SESE EJUS NOMEN RECEPTURUM: et simul, ut ad causam accederet, nomenque deferret, Agathinum, novum affinem atque

XXXVIII. 1. *Venerios.* Veneria servos. Vide Divin. 17. Sed paullo infra «Venerius homo» Verres vocatur, i. e. Veneri addictus et in Venerem religiosus; ut qui Veneri Erycinæ reum condemnaret.

2. *Corrupisse videri.* Ea erat veterum modestia, ut sententiam sine affirmatione pronuntiarent; et numquam «fecisse aliquem», sed fecisse videri profiterentur.

3. *Novo modo.* Inaudita ad hoc tempus ratione. Ern. placebat *novo more.*

4. *Quingenties* (10,250,000 fr.) Quæ summa immanior est quam ut ab homine privato Verres eam exegisse potuerit: quum præsertim ipse Cicero, Act. I, 18, «H-S quadringenties» (8,200,000 fr.) Verrem abstulisse dixerit. Hotom. conj. legendum «quingenta millia» (102,000 fr.) Sch. scripsit «quindecies» (307,500 fr.)

5. *Reum facere.* Apparet inde superius judicium de literis corruptis, saltem in provinciis, non capitale fuisse.

hospitem, cœpit hortari. Tum ille clare, omnibus audientibus, sese id non esse facturum, neque se usque eo Sthenio esse inimicum, ut eum rei capitalis affinem esse diceret. Hic tum repente Pacilius quidam, homo egens et levis, accedit : ait, si liceret, nomen absentis deferre[6] se velle. Iste vero et licere, et fieri solere, et se recepturum. Itaque defertur[7]. Edicit statim, ut kalendis decembr. adsit Sthenius Syracusis. Hic, qui Romam venisset, satisque feliciter anni jam adverso tempore navigasset, omniaque habuisset æquiora et placabiliora, quam animum prætoris atque hospitis, rem ad amicos suos detulit : quæ, ut erant[8] acerba atque indigna, sic videbantur omnibus.

XXXIX. Itaque in senatu continuo Cn. Lentulus et L. Gellius consules faciunt mentionem, placere statui, si patribus conscriptis videretur, NE ABSENTES HOMINES IN PROVINCIIS REI FIERENT RERUM CAPITALIUM. Causam Sthenii totam, et istius crudelitatem et iniquitatem senatum docent. Aderat in senatu Verres pater istius, et flens unumquemque senatorem rogabat, ut filio suo parceret. Neque tamen multum proficiebat : erat enim summa voluntas[1] senatus. Itaque sententiæ dicebantur, QUUM STHENIUS ABSENS REUS FACTUS ESSET, DE ABSENTE JUDICIUM NULLUM FIERI PLACERE; ET, SI QUOD ESSET FACTUM, ID RATUM ESSE NON PLACERE. Eo die

6. *Nomen absentis deferre.* Quod Romæ, omnino nefas erat; ille enim cujus nomen deferebatur, præsens, apud prætorem interrogabatur, num quidquam contra legem commisisset. Inde nomen ejus in ordinem ac seriem reorum deferebatur.

7. *Defertur.* Quid sit crimen illud capitale, cujus accusatur Sthenius et damnatur, non nominavit orator. Conjicit Hotom. idem esse crimen corruptarum publicarum tabularum, cujus duplex esse potuit actio, capitalis et non capitalis. Sed qua fretus auctoritate illud affirmet, nescio.

8. *Quæ, ut erant.* Lambinus edere maluit, « quæ ut erat... videbatur ».

XXXIX. 1. *S. voluntas.* Locutio antiqua et perelegans; idem est quod libentissimis animis assentiebantur.

transigi[2] nihil potuit, quod et id temporis[3] erat, et ille, pater istius, invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. Postea senex Verres defensores atque hospites omnes Sthenii convenit: rogat eos atque orat, ne oppugnent filium suum; de Sthenio ne laborent: confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei per filium suum noceatur[4]; se homines certos ejus rei causa in Siciliam et terra et mari missurum. Et erat spatium dierum fere triginta ante kalendas decembr. quo die iste, ut Syracusis Sthenius adesset, edixerat. Commoventur amici Sthenii; sperant fore, ut patris literis nuntiisque filius ab incepto furore revocetur. In senatu postea causa non agitur. Veniunt ad istum domestici nuntii, literasque a patre afferunt ante kalendas decembr. quum isti etiam tum de Sthenio integra tota res esset; eodemque ei tempore de eadem re literæ complures a multis ejus amicis ac necessariis afferuntur.

XL. Hic iste, qui præ cupiditate neque officii[1] sui, neque periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuisset umquam, neque in eo, quod monebatur, auctoritatem patris, nec in eo, quod rogabatur, voluntatem[2] anteponendam putavit libidini suæ; mane kalendis decembr. ut edixerat, Sthenium citari

2. *Transigi.* Senatusconsultum perscribi non potuit.

3. *Id temporis.* Advesperascebat. Porro SC. ante ortum, aut post occasum solis factum, ratum non erat. Itaque, si qui SC. quominus fieret, impedire vellent, dicendo tempus consumebant. Licebat enim senatori et qua de re vellet, et quamdiu vellet dicere; quod veteres *diem tollere*, aut *eximere* vocabant.

4. Alii, « noceretur ». Correxit Ern. ut eum antecedentibus conveniret.

XL. 1. *Officii sui.* Qui numquam curavisset quid ipsum se deceret, non modo tamquam proprætorem, sed civem romanum. — *Periculi.* Ne amitteret existimationem, ac serius damnaretur. — *Pietatis.* In patrem. — *Humanitatis.* In amicos.

2. Ernest. addit « amicorum » sine MSS. J. V. L.

jubet. Si abs te istam rem parens tuus, alicujus amici rogatu, benignitate aut ambitione[3] inductus, petisset; gravissima tamen apud te voluntas patris esse debuisset: quum vero abs te tui capitis causa peteret, hominesque certos domo misisset, hique eo tempore ad te venissent, quum tibi in integro tota res esset, ne tum quidem te potuit, si non pietatis, at salutis tuæ ratio ad officium sanitatemque reducere? Citat reum. Non respondet. Citat accusatorem (attendite, quæso, judices: videte[4], quantopere istius amentiæ fortuna ipsa adversata sit; et simul videte, quis Sthenii causam casus adjuverit): citatus accusator, M. Pacilius, nescio quo casu, non respondit, non affuit. Si præsens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur; tamen, quum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret[5]. Etenim, si posset reus, absente accusatore, damnari, non ego[6] a Vibone Veliam parvulo navigio inter fugitivorum, ac prædonum, ac tua tela venissem, quo tempore omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis ob eam causam, ne tu ex reis eximerere, si ego non affuissem ad diem. Quod igitur tibi erat in tuo judicio optatissimum, me, quum citatus essem, non adesse; cur Sthenio non putasti prodesse oportere, quum ejus accusator non affuisset? Itaque fecit, ut exitus prin-

3. *Ambitione*. Studio gratiæ et favoris conciliandi. Sic infra: « Quis dubitabit quin tu hanc invidiam non ambitionis, sed pecuniæ conciliandæ causa susceperis ».

4. *Videte*. Abest in codd. Metell. et Pall. quod placuit Grutero.

5. *Non oporteret*. Tunc enim valet regula: Tacente accusatore, absolvitur reus; et ea Romæ lex erat ut, si accusator a præcone citatus non responderet, reus dimitteretur. Itaque Ascon. in orat. pro Cornel. « Postero die quum citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii ».

6. *Non ego*. De insidiis quæ Ciceroni a Verre terra marique factæ sunt, ne die dicta Romæ esset, vid. Act. I, 2. — *Fugitivorum*. Residuam Spartaci manum intelligit.

cipio simillimus reperiretur : quem absentem reum fecerat, eum, absente accusatore, condemnat.

XLI. Nuntiabatur illi primis illis temporibus[1] id, quod pater quoque ad eum pluribus verbis scripserat, agitatam rem esse in senatu; etiam in concione tribunum plebis de causa Sthenii M. Palicanum[2] esse questum; postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum plebis, quum eorum omnium[3] edicto non liceret quemquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii; quum rem ita exposuissem, quemadmodum nunc apud vos, docuissemque hanc damnationem duci[4] non oportere, tribunos plebis hoc statuisse, idque de omnium sententia pronuntiatum esse, NON VIDERI STHENIUM IMPEDIRI EDICTO, QUO MINUS EI LICERET ROMÆ ESSE. Quum hæc ad istum afferrentur, timuit aliquando, et commotus est; vertit stylum[5] in tabulis suis : quo facto causam omnem evertit suam : nihil enim sibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. Nam si ita defenderet : recipi nomen absentis licet; hoc fieri in provincia nulla lex vetat : mala et improba defensione, verum aliqua tamen uti videretur. Postremo illo desperatissimo perfugio uti posset, se imprudentem fecisse, existimasse id licere : quamquam perditissima[6]

XLI. 1. *Illis temporibus*. Paucis post damnationem diebus, quibus Romam ea res perlata erat, nuntiique Roma in provinciam reversi.

2. *M. Palicanum*. Lolliæ gentis, quo tribuno plebis auctore, tribunitia potestas, a Sulla adempta, per Cn. Pompeium consulem est restituta. Vid. Brut. c. 62; ad Att. I, 1. Val. Max. III, 8, 3.

3. *Omnium*. Non otiosa hic est vox illa; etenim nulla intercessione, ac omnium unanimi consensu, edictum ac sancitum illud fuisse indicat.

4. *Duci*. Haberi tamquam condemnationem.

5. *Vertit stylum*. Delevit quæ antea scripserat. Styli pars altera, qua scribebatur, in acumen desinebat; altera erat plana, et apta ad delendum id, quod scriptum fuerat. Hinc Horat. Sat. I, 10, 72, «sæpe stylum vertas».

6. Addunt *hæc* multi editores, inter quos Lallem. J. V. L.

defensio est, tamen aliquid dici videretur. Tollit ex tabulis id, quod erat, et facit[7], coram delatum esse.

XLII. Hic videte, in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se umquam expediret. Primum ipse in Sicilia sæpe et palam de loco superiore[1] dixerat, et in sermone multis demonstrarat, licere nomen recipere absentis; se exemplo fecisse id, quod fecisset. Hæc eum dictitasse[2], priore actione et Sex. Pompeius Chlorus dixit, de cujus virtute antea commemoravi, et Cn. Pompeius Theodorus, homo et Cn. Pompeii, clarissimi viri, judicio plurimis maximisque in rebus probatissimus, et omnium existimatione ornatissimus, et Posides Matro Solentinus, homo summa nobilitate, existimatione, virtute: et hac actione quam[3] voletis multi dicent, et qui ex isto ipso audierint, viri primarii nostri ordinis, et alii, qui interfuerint, quum absentis nomen reciperetur. Deinde Romæ, quum res esset acta in senatu, omnes istius amici, in his etiam pater ejus hoc defendebat licere fieri; sæpe esse factum; istum, quod fecisset, aliorum exemplo institutoque fecisse. Dicit præterea testimonium tota Sicilia: quæ in communibus postulatis[4] civitatum omnium, consulibus edidit, rogare atque orare patres conscriptos, ut statuerent, ne absentium[5] nomina recipe-

7. *Facit.* Scribendo fingit Sthenium adfuisse judicio.

XLII. 1. *De loco superiore.* Nempe de prætorio tribunali.

2. *Dictitasse.* Est a codd. Fabr. et Metell. et Palatinis; vulgata olim lectio « dictasse ». J. V. L.

3. *Quam.* Tam multi quam voletis.

4. *In communibus postulatis.* Quod petebant civitates, in libello descriptum consulibus, per legatos provinciarum et civitatum, edebatur mense februario ut de iis in senatu ageretur. Sup. 31. Apparet autem ex hoc loco duo postulatorum genera exstitisse; unum communium, quum aliquid communiter ab universis provinciæ civitatibus petebatur; alterum vero propriorum, quæ a singulis civitatibus proprio suo nomine consulibus edebantur.

5. *Ne absentium.* Apparet inde nondum in provinciis illud juris constitutum esse, ne quis absens accusa-

rentur. Qua de re Cn. Lentulum, patronum Siciliæ, clarissimum adolescentem, dicere audistis : Siculos, quum se causam, quæ pro his sibi in senatu agenda esset, docerent, de Sthenii calamitate questos esse; propterque hanc injuriam, quæ Sthenio facta esset, eos statuisse, ut, quod dico, postularetur. Quæ quum ita essent, tantane amentia præditus[6] atque audacia fuisti, ut in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso pervulgata, tabulas publicas[7] corrumpere auderes? At quemadmodum corrupisti? nonne ita, ut, omnibus nobis tacentibus, ipsæ te tuæ tabulæ condemnare possent? Cedo[8], quæso, codicem : circumfer; ostende. Videtisne totum hoc nomen[9], coram ubi facit delatum, esse in litura? Quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? Quid a nobis, judices, exspectatis argumenta hujus criminis? nihil dicimus : tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas atque interlitas esse clamant. Ex istis etiam tu rebus effugere te posse confidis, quum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigiis persequamur, quæ tu in tabulis publicis expressa ac recentia reliquisti? Is mihi etiam Sthenium literas publicas corrupisse, causa incognita, judicavit, qui defendere non potuerit[10], se non ex ipsius Sthenii nomine literas publicas corrupisse?

retur. Sed quamvis ea de re nulla lex esset, a ceteris prætoribus, utpote suadente æquitate, fuerat observatum.

6. Suspectam habet vocem *prædi-tus*, tamquam a scriba ortam, Gulielmius, teste Grutero. J. V. L.

7. *Tabulas publicas.* Prætoris erant tabulæ, quæ, jussu senatus, conficiebantur. Ex iis administratæ provinciæ ratio a prætore reposcebatur; eæ denique in ærario depositæ asservabantur.

8. Restituimus hanc vocem, quam frustra, ut ex ipso Cicerone comprobatum est, Ernest. deleverat.

9. *Hoc nomen.* Hoc caput, hunc locum, ubi scribit Sthenium præsentem fuisse accusatum.

10. Alii, *potuit.* — *Sthenii nomine.* Id est, hoc capite, quod Sthenii delationem continet; ut jam sup. vidimus.

XLIII. Videte porro aliam dementiam; videte, ut, dum expedire sese vult, induat. Cognitorem [1] adscribit Sthenio. Quem? cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? minime [2]. Quid igitur? civem romanum. Cui hoc probari potest? Quum esset Sthenius civitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitiis, quum præterea tota Sicilia multum auctoritate et gratia posset; invenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret? Hoc probabis? an ipse civem romanum maluit? cedo, cui Siculo, quum is reus fieret, civis romanus cognitor factus umquam sit. Omnium prætorum literas, qui ante fuerunt, profer, explica: si unum inveneris, ego hoc tibi, quemadmodum in tabulis scriptum habes, ita gestum esse concedam. At, credo, Sthenius hoc sibi amplum esse putavit, eligere e civium romanorum numero, ex amicorum atque hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. Quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius, C. F., Palatina [3]. Non quæro, quis hic sit Claudius, quam splendidus, quam honestus, quam idoneus, propter cujus auctoritatem et dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, et civem romanum cognitorem daret: nihil horum quæro: fortasse enim Sthenius non splendorem hominis, sed familiaritatem sequutus est. Quid? si omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam

XLIII. 1. *Cognitorem*. Cognitor (*un représentant*) a præsente tantum domino dabatur ut videre est apud Gaium, IV, 83. Ut ergo Verris invidiam delati absentis effugeret, finxerat Sthenium *coram* accusatum sibi *cognitorem* deinde substituisse, a quo defenderetur.

2. *Minime*. Metell. cod. *neminem*. Pro *quid* Lamb. *quem*: recepit Sch.

3. *Palatina*. Ex tribu, quæ Palatinum montem cum Capitolio obtinebat.

hic C. Claudius, tum semper, tum in his ipsis rebus et temporibus fuit? si de literis corruptis contra venit[4]? si contra omni ratione pugnavit? utrum potius pro Sthenio[5] inimicum cognitorem esse factum, an te in Sthenii periculo inimici ejus nomine abusum esse credemus?

XLIV. Ac, ne quis forte dubitet, cujusmodi totum sit negotium; tametsi jamdudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paullulum etiam attendite. Videtis illum subcrispo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut sibi ipse peracutus[1] esse videatur? qui tabulas tenet? qui scribit? qui monet? qui proximus est? Is est C. Claudius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur: nunc obtinet eum locum, ut vix Apronio[2] illi de familiaritate concedere videatur; et[3] qui se non Timarchidis, sed ipsius Verris collegam et socium esse dicebat. Dubitate etiam, si potestis, quin eum iste potissimum ex omni numero delegerit, cui hanc[4] falsi cognitoris improbam personam imponeret, quem et huic inimicissimum, et sibi amicum esse arbitraretur? Hic vos dubitabitis[5], judices, tantam istius audaciam, tantam crudelitatem, tantam injuriam vindicare? dubitabitis exemplum judicum illorum sequi, qui, damnato

4. *Contra venit.* Si acerrimum se adversarium in illa causa præbuit.

5. *Pro Sthenio.* Ut eum adjuvaret. —*In Sthenii periculo.* In Sthenii causa capitali. Multo subtilius interpretatur Ernest. cui *periculum* idem h. l. sonat quod accusationis libellus, seu damnationis elogium. De sensu hoc confer Indicem verborum.

XLIV. 1. *Peracutus.* Contemptim nos intuens, quasi abjectos et stultos, præ se qui sibi ingeniosissimus videtur.

2. *Apronio.* De isto multa leges Verr. III, 9.

3. Malim delere *et*, ut sit, « Apronio illi... qui se, etc. » J. V. L.

4. Abest *hanc*. J. V. L.

5. Alii, « dubitatis », ut paullo infra.

Cn. Dolabella, damnationem Philodami[6] Opuntii resciderunt, quod is non absens reus factus esset, quæ res iniquissima et acerbissima est; sed quum ei legatio Romam a suis civibus esset data? Quod illi judices multo in leviore causa statuerunt, æquitatem sequuti; vos id statuere in gravissima causa, præsertim aliorum auctoritate jam confirmatum, dubitabitis?

XLV. At quem hominem, C. Verres, tanta, tam insigni injuria affecisti? cujus[1] absentis nomen recepisti? quem absentem, non modo sine crimine, et sine teste, verum etiam sine accusatore damnasti? Quem hominem? dii immortales! non dicam amicum tuum, quod apud homines carissimum est; non hospitem, quod sanctissimum est: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro; nihil aliud in eo, quod reprehendi possit, invenio, nisi quod homo frugalissimus atque integerrimus, te, hominem plenum stupri, flagitii, sceleris, domum suam invitavit; nisi quod, qui C. Marii[2], Cn. Pompeii, C. Marcelli, L. Sisennæ, tui defensoris, ceterorumque virorum[3] fortissimorum

6. *Philodami.* Philodamus ille (alius a Philodamo Lampsaceno, Verr. I, 25), apud Dolabellam, Ciliciæ prætorem, fuerat accusatus ac damnatus, non absens, sed quum proficisci Romam pararet, quo a civibus legatus mittebatur. Quum autem Dolabella repetundarum damnatus est, judices Philodami damnationem resciderunt, etsi non absens reus factus erat, tamen propterea quod iniquum videbatur eum, qui mox legationis causa Romam profecturus erat, reum fieri, antequam hanc legationem obiisset et ab ea rediisset. Vide Wyttenb. Bibl. crit. part. II, pag. 12. Legationem liberam hic intelligit, quæ non reipublicæ, sed aut syngraphæ exigendæ, aut hereditatis persequendæ, aut voti solvendi causa dabatur.

XLV. 1. Lambinus ait se in codice MS invenisse ista, « quem hominem absentem de literis corruptis, causa incognita, condemnasti? » J. V. L.

2. *C. Marii.* Septies consulis. — *Cn. Pompeii.* Magni, tum consulis. — *C. Marcelli.* Qui Siciliæ præfuerat, et in causa Verris judex sedebat. — *L. Sisennæ.* Corneliæ gentis, qui in Bruto inter oratores nominatur.

3. *Virorum.* Abest vox illa a cod. Lambini Venetaque. Quam Garaton. laudat prætermissam, et multis, de more, defendit.

hospes fuisset atque esset, ad eum numerum clarissimorum hominum tuum quoque nomen adscripsit. Quare de hospitio violato, et de isto tuo nefario scelere nihil queror : hoc dico, non iis, qui Sthenium norunt, hoc est, nemini eorum, qui in Sicilia fuerunt; nemo enim ignorat, quo hic in civitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate atque existimatione sit; sed, ut illi quoque, qui in ea provincia non fuerunt, intelligere possint, in quo homine tu statueris exemplum ejusmodi, quod tum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem, acerbum omnibus atque intolerandum videretur.

XLVI. Estne Sthenius is, qui omnes honores domi suæ[1] facillime quum adeptus esset, amplissime ac magnificentissime gessit? qui oppidum non maximum, maximis ex pecunia sua locis communibus[2], monumentisque decoravit? cujus de meritis in rempublicam Thermitanorum, Siculosque universos, fuit ænea tabula fixa Thermis in curia, in qua publice erat de hujus beneficiis scriptum et incisum? quæ tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me tamen deportata[3] est, ut omnes hujus honores inter suos, et amplitudinem possent cognoscere. Estne hic, qui apud Cn. Pompeium[4], clarissimum virum, quum accusatus esset, quod, propter C. Marii familiaritatem et hospitium, contra rempublicam[5] sensisse eum inimici et accusa-

XLVI. 1. *Suæ* delendum putabat Gronovius pater, Observ. I, 12; similia vero exempla adduxit filius, in Verr. II, 28; III, 23, etc. J. V. L.

2. *Locis communibus*. Ædificiis publicis, quorum usus est communis.

3. Olim, *reportata*. J. F. Gronov. legendum putat, « nunc a me Romam deportata est ». J. V. L. — Male. Verres frustra tabulam revellit, quæ *tamen* diligentia Ciceronis investigata est.

4. *Cn. Pompeium*. Quum in Sicilia fuit, Carbonem persequens, Marianarum partium ducem. Nam Pompeius pro Sulla, a quo imperator appellatus est, contra Marium pugnavit.

5. *Contra rempublicam*. Contra nobiles et Sullanas partes quæ remp.

tores ejus dicerent, quum magis invidioso crimine, quam vero arcesseretur; ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso judicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statuerit[6]? ita porro laudatus defensusque ab omnibus Siculis, ut idem Pompeius non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se hujus absolutione inire gratiam arbitraretur? Postremo, estne hic, qui et animum in rempublicam habuit ejusmodi, et tantum auctoritate apud suos cives potuit, ut perficeret in Sicilia solus, te prætore, quod non modo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset: ut ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres; quum præsertim essent multa præclara, et tu omnia concupisses? Denique nunc vide, quid inter te, cujus nomine apud Siculos dies festi agitantur, et præclara illa Verrea celebrantur, cui statuæ Romæ stant inauratæ, a communi[7] Siciliæ, quemadmodum inscriptum videmus, datæ: vide, inquam, quid inter te, et hunc Siculum, qui abs te est, patrono Siciliæ, condemnatus, intersit. Hunc civitates ex Sicilia permultæ, testimonio suo, legationibusque ob[8] eam rem missis, publice laudant: te, omnium Siculorum patronum, una Mamertina civitas, socia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat; ita tamen, novo more, ut legati lædant[9], legatio laudet: ceteræ quidem civitates publice literis, legationibus,

obtinebant. De Sthenii constantia, vide supra cap. 39, not. 1.

6. Ernestius, emendandi nimium studiosus, jussit excudi « statueret ». J. V. L.

7. *A communi*. Id est, communitate. Græca locutio, cujus jam exempla habuimus Act. prim. — *Datæ*. Ut patrono Siciliæ. Cf. infr. 61, 63.

8. Sic Lambinus, Gruterus, et qui post eos Tull. edidere. Olim «ad eam rem ». J. V. L.

9. *Lædant*. Accusent. Vide Verr. IV, 2 sqq.

testimoniis accusant, queruntur, arguunt; si tu absolutus sis, funditus eversas se esse arbitrantur.

XLVII. Hoc de homine, ac de hujus bonis, etiam in Erycino[1] monte monumentum tuorum flagitiorum crudelitatisque posuisti : in quo Sthenii Thermitani nomen adscriptum est[2]. Vidi[3] argenteum Cupidinem cum lampade. Quid tandem[4] habuit argumenti aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum præmium poneretur? utrum hoc signum cupiditatis tuæ, an tropæum necessitudinis atque hospitii, an amoris iudicium esse voluisti? Faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solum libido et voluptas, verum etiam ipsius nequitiæ fama delectat, ut multis in locis notas ac vestigia scelerum[5] suorum relinqui velint. Ardebat amore illius hospitæ, propter quam hospitii jura violarat: hoc non solum sciri tum, verum etiam commemorari semper volebat. Itaque ex illa ipsa re, quam, accusante Agathino, gesserat, Veneri potissimum deberi præmium statuit, quæ illam totam accusationem judiciumque conflarat[6]. Putarem

XLVII. 1. Vulg. *Eryco*; P. Mannt. *Erycc*. J. V. L.

2. *Nomen adscriptum est.* Nam scriptum et incisum est, ex Sthenii damnati bonis hoc esse donum Veneri dicatum. Exacta sunt enim a Sthenio H-S quingenta millia. — *Argenteum Cupidinem cum lampade.* Garatonius intelligit, non hic lychnum esse pensilem, ut nonnulli interpretantur, sed facem argenteam in Cupidinis manu positam; quum præsertim verbum illud idem *lampas* in Tibullo occurrat, facis vice positum: « Illius ex oculis, quum vult exurere Divos, Accendit geminas lampadas acer Amor ».

3. Ernest. Sch. *Vide*. Mendo notabili. J. V. L.

4. *Quid tandem.* Quæ causa fuit, quæ ratio, quamobrem in Veneris potissimum templo, Sthenii bona, quasi præmium aliquod Veneri debitum, ponerentur? Posuistine avaritiæ, an tuæ in observanda amicitia fidei; an in Callidamam (suprà cap. 36) amoris monumentum?

5. Lambin. maluit *flagitiorum*, quod etiam amplexus est Schütz. — Istius modi homines depictos invenias apud Theophr. Charact. VI, edit. Coray, pag. 34.

6. *Conflarat.* Ob amorem enim hospitæ Callidamæ, cujus et vir et pater inimici erant Sthenio, recepta erat a Verre, illa de literis corruptis accusatio.

te gratum in deos, si hoc donum Veneri non de Sthenii bonis dedisses, sed de tuis: quod facere debuisti, præsertim quum tibi illo ipso anno a Chelidone venisset hereditas.

Hic ego, si hanc causam non omnium Siculorum rogatu recepissem; si hoc a me muneris non universa provincia poposcisset; si me animus atque amor in rempublicam, existimatioque offensa nostri ordinis ac judiciorum non hoc facere coegisset, atque hæc una causa fuisset, quod amicum atque hospitem meum Sthenium, quem in quæstura mea singulariter dilexissem, de quo optime existimassem, quem in provincia existimationis meæ studiosissimum cupidissimumque cognossem, tam crudeliter, scelerate, nefarieque tractasses: tamen[7] digna causa, cur inimicitias hominis improbissimi susciperem, ut hospitis salutem fortunasque defenderem. Fecerunt hoc multi apud majores nostros: fecit etiam nuper homo clarissimus, Cn. Domitius, qui M. Silanum, consularem virum, accusavit propter Egritomari[8] Transalpini hospitis injurias. Putarem me idoneum, qui exemplum sequerer humanitatis atque officii, proponeremque spem meis hospitibus ac necessariis, quo tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrarentur. Quum vero in communibus injuriis totius provinciæ Sthenii quoque causa contineatur, multique uno tempore a me hospites atque amici publice privatimque defendantur: profecto vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio, non existimet me summi officii ratione impulsum coactumque suscepisse.

7. Grævius et alii, « tamen digna causa esset, cur ». Codd. Fabr. et Metell. « tamen digna causa videretur »; quod Gruter. ab interpretum ingenio profectum putat. J. V. L.

8. *Egritomari*. Vid. Divin. 20.

XLVIII. Atque, ut aliquando de rebus ab isto cognitis, judicatisque, et de judiciis datis [1] dicere desistamus; et, quoniam facta istius in his generibus infinita sunt, nos modum aliquem et finem orationi nostræ criminibusque faciamus : pauca ex aliis generibus sumemus [2].

Audistis ob jus [3] dicundum, Q. Varium [4] dicere, procuratores suos isti centum et triginta millia nummum dedisse : meministis Q. Varii testimonium, remque hanc totam C. Sacerdotis, hominis ornatissimi, testimonio comprobari : scitis, Cn. Sertium, M. Modium, equites romanos, sexcentos præterea cives romanos, multosque Siculos, dixisse, se isti pecuniam ob jus dicundum dedisse. De quo crimine quid ego disputem, quum id totum positum sit in testibus? quid porro argumenter, qua de re dubitare nemo possit? An hoc dubitabit quisquam omnium, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendiderit? quin is ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui [5] M. Octavium Ligurem ob jus dicundum poposcerit? Quod enim iste [6] præterea genus pecuniæ cogendæ præteriit? quod non, ab omnibus aliis præteritum, excogitavit? Ecqua [7] res apud civitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas,

XLVIII. 1. *Judiciis datis.* Judicia dare tum dicebantur prætores, quum judices et judicandi formulam dabant. De hoc provincialium prætorum jure confer ad calcem orationis hujus Excursum de prætore provinciali.

2. Lamb. *sumamus.* J. V. L.

3. *Ob jus.* Ut a Verre impetraret juris sui persequendi facultatem.

4. Alii, *Marium*, vel *Valerium*. J. V. L. — *Centum et tr.* (26,650 fr.)

5. *M. Octavium.* Vide Verr. I, 48.

6. Abest *iste.* Conjicit Gulielm. «Quod enim iste prætor». J. V. L.

7. *Ecqua res.* Nulla res est in Sicilia, quæ expeti possit, ut senatoria dignitas, magistratus, sacerdotium, seu rei alicujus administratio, quam Verres non ad lucrum apposuerit et vendiderit.

aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quæstum, nundinationemque hominum[8] traduxeris?

XLIX. Dicta sunt priore actione et privatim et publice testimonia : legati Centuripini, Halesini, Catinenses, Panormitanique dixerunt, multarum præterea civitatum ; jam vero privatim plurimi : quorum ex testimoniis cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis; neminem, ut leges eorum sunt, suffragiis; neminem, nisi istius imperio, aut literis; atque in[1] his omnibus senatoribus cooptandis, non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera[2] quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret, neque census, neque ætatis, neque cetera Siculorum jura valuisse. Quicumque senator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex quo non liceret; si is pretio apud istum fieret idoneus, ut vinceret[3], factum esse semper : non modo Siculorum nihil in hac re valuisse leges, sed ne ab senatu quidem populoque romano datas[4]. Quas enim leges sociis amicisque dat is, qui habet imperium a populo romano, auctoritatem legum dandarum a senatu; hæ debent et populi romani et senatus existimari.

Halesini pro multis et magnis suis majorumque suorum in rempublicam nostram meritis atque beneficiis, suo jure[5] nuper, L. Licinio, Q. Mucio consulibus, quum haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt. Decrevit senatus

8. *Hominum*. Walkenaer frustra corrigit *honorum*.

XLIX. 1. Abest *in* a nonnullis. Ernestio *cooptandis* fuit suspectum.

2. *Genera*. Ortum.

3. *Fieret idoneus ut vinceret*. Qui præ ceteris obtineret. Vetus et Metelli liber habet : «Si is pretio apud istum idoneus vinceret».

4. *Datas*. Leges Rupilias, ex SC. datas.

5. *Suo jure*. Sua sponte. — *Nuper*.

honorifico senatusconsulto, ut his C. Claudius, Appii filius[6], Pulcher, prætor, de senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis[7], qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit : in quibus multa sanxit de ætate hominum, ne quis minor[8] triginta annis natu; de quæstu[9], quem qui fecisset, ne legeretur; de censu[10], de ceteris rebus. Quæ omnia, ante istum prætorem, et nostrorum magistratuum auctoritate, et Halesinorum summa voluntate valuerunt : ab isto et præco, qui voluit, istum ordinem pretio mercatus est, et pueri annorum senum, septenumque denum, senatorium nomen nundinati sunt; et, quod Halesini, antiquissimi et fidelissimi socii atque amici, Romæ impetrarant, ut apud se ne suffragiis quidem fieri liceret, id pretio, ut fieri posset, effecit.

L. Agrigentini de senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent; in quibus et eadem illa sancta sunt, et hoc amplius : quum Agrigentinorum duo genera sint, unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius prætor ex senatusconsulto de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum; cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero,

Annos abhinc XXIV; quippe L. Licinius Crassus orator, et Q. Mucius Scævola pontifex maximus consules fuerunt anno 658. Caius autem Claudius eodem anno Romæ prætor fuit, qui jam ædilis (A. U. C. 654) fuerat.

6. Lallem. e codd. Paris. « C. filius ». J. V. L.

7. *Marcellis*. Utpote Siciliæ patronis. — *Qui tum erant*. Nempe Romæ. Intelligunt quidam qui tum exstabant, vivebant, quod absurdum videtur.

8. Codd. Nann. et Franc. « ne qui minor », probante Grævio. Hic etiam Garatonius malit *natus* pro *natu*. J. V. L. — *Triginta annis*. Hoc ætatis anno, senatores Romæ legi solere ex hoc loco recte Manut. colligere videtur. Eæ enim leges ad quamdam romani senatus speciem expressæ procul dubio erant.

9. *De quæstu*. Sordido nimirum et illiberali, ut præconis, histrionis, etc. Quæstus rum. senatori aut vetitus, aut certe non honestus. Parad. VI, 1.

10. *De censu*. Romæ senatorem

quam ex vetere Agrigentinorum. Iste, qui omnia jura pretio exæquasset, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset; non modo illa, quæ erant ætatis, ordinis, quæstusque, permiscuit, sed etiam in his duobus generibus, civium novorum veterumque, delectum ordinemque turbavit. Nam, quum esset ex veterum [1] numero quidam senator demortuus, et quum ex utroque genere par numerus reliquus esset; veterem cooptari necesse erat legibus, ut is amplior numerus esset. Quæ quum ita se res haberet; tamen ad istum venerunt emptum locum illum senatorium non solum veteres, sed etiam novi : fit, ut pretio novus vincat, literasque[2] a prætore auferat. Agrigentini ad istum legatos mittunt, qui eum leges doceant, consuetudinemque omnium annorum demonstrent: ut iste intelligeret[3], ei se illum locum vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporteret. Quorum oratione iste, quum pretium jam accepisset, ne tantulum quidem commotus est. Idem fecit Heracleæ: nam eo quoque colonos P. Rupilius[4] deduxit, legesque similes de cooptando senatu, ac de numero veterum ac novorum dedit. Ibi non solum iste, ut apud ceteros, pecuniam accepit, sed etiam genera veterum ac novorum numerumque permiscuit.

oportebat octingenta millia sestertium (circit. 164,000 fr.) in possessionibus habere.

L. 1. Olim editi, *vetere*, quod probat Garatonius, ad Philipp. II, 6. J. V. L.

2. *Literas*. Quibus senator a Verre designaretur, et Agrigentini ipsum in hunc ordinem recipere juberentur.

3. *Ut iste intelligeret*. Ita ut legati Verri intelligendum darent, non modo ab eo venalem propositum et habitum senatorium locum, verum etiam huic traditum cui, propter suam indignitatem, ne licere quidem oporteret de loco illo emendo agere.

4. *P. Rupilius deduxit*. Confecto bello, jura Rupilius cum X legatis Siciliæ indixerat. Colonias eosdem deduxisse, vice triumvirum, conjicit Garatonius; quamquam unius Rupilii consulis, et imperatoris mentio fiat, ad quem ea res potestasque maxime pertinebat.

LI. Nolite exspectare, dum omnes obeam[1] oratione mea civitates: hoc uno complector omnia[2], neminem isto prætore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset.

Hoc idem transfero in magistratus, curationes[3], sacerdotia: quibus in rebus non solum hominum jura, sed etiam deorum religiones immortalium omnes repudiavit. Syracusis lex est de religione[4], quæ in annos singulos Jovis sacerdotem[5] sortito capi jubeat[6]: quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. Quum suffragiis tres ex tribus[7] generibus creati sunt, res revocatur ad sortem. Perfecerat iste imperio, ut pro suffragio Theomnastus[8] familiaris suus in tribus illis renuntiaretur: in sorte, cui imperare non poterat, exspectabant homines, quidnam acturus esset. Homo, id quod erat facillimum, primo vetat sortiri: jubet extra sortem Theomnastum renuntiari. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse; fas denique negant esse. Jubet ille sibi legem recitari: recitatur; in qua scriptum erat, UT, QUOT ESSENT RENUNTIATI, TOT IN HYDRIAM SORTES CONJICERENTUR; CUJUS NOMEN EXISSET, UT IS HABERET ID SACERDOTIUM. Iste, homo ingeniosus[9] et peracutus, Optime, inquit;

LI. 1. *Obeam*. Scilicet, ut singulatim quid unaquaque in civitate fecerit persequar.

2. *Omnia*. Alii, « crimine omnia ». Franc. autem *nomine*. Utrumque glossa.

3. *Curationes*. Procurationes, seu administrationes operum publicorum.

4. *De religione*, Grutero suspectum, quasi de margine in textum irrepserit. J. V. L.

5. *Jovis sacerdotem*. Quem a Timoleonte, anno urbis Romæ 406, post ejectos e tota Sicilia tyrannos, institutum Syracusani Jovis Olympii servum appellabant. Erat annuus, et ex eo anni, uti Romæ ex consulibus, adnotabantur. Adi Diodor. XVI, 70.

6. *Jubeat*. Alii, « jubebat ». J. V. L.

7. *Generibus*. Ordinibus.

8. *Theomnastus*. De homine isto vide Verr. IV, 66.

9. Alii, *negotiosus*. Irridet fatuam illam Verris calliditatem, qua leges non acute, sed stulte impudenterque elusit.

nempe scriptum ita est, « quot renuntiati erunt »: quot ergo, inquit, sunt renuntiati? Responsum, tres. Numquid igitur oportet, nisi tres sortes conjici, unam educi? nihil. Conjici jubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, quum id universis indignum atque nefarium videretur. Ita Jovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur.

LII. Cephalœdi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. Erat ejus honoris cupidus Artemo[1] quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples, et domi nobilis; sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset : ei locus ille atque honos in illum annum ita deberi putabatur, ut ne Climachias quidem contra diceret. Res ad istum defertur, et istius more deciditur. Toreumata sane nota ac pretiosa auferuntur[2]. Herodotus Romæ erat : satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie venisset. Iste, ne aut alio mense, ac fas erat, comitia haberentur, aut Herodoto præsenti honos adimeretur (id quod iste [3] non laborabat, Climachias minime volebat), excogitat (dixi jamdudum; non est homo acutior quisquam, nec fuit), excogitat, inquam, quemadmodum mense illo legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodotus adesse posset. Est consuetudo Siculorum, ceterorumque Græcorum, quod suos dies men-

LII. 1. Sic multi codd. Alii, *Arthenio*. P. Manut. *Athenio*. J. V. L. — *Toreumata*. Ea sunt vasa, si vim græcæ originis spectes, torno facta, plerumque autem ita sculpta, ut figuræ emineant.

2. *Pretiosa auferuntur*. Nempe ex ædibus Artemonis ad Verrem deportantur; quæ solita erat prætoris istius conciliandi et emendi consuetudo.

3. *Id quod iste*. Verres facile vel alio mense, ac mos erat, comitia habuisset, aut Herodoto præsenti honorem ademisset, nisi Climachias obstitisset, qui minime volebat contra morem ac leges sacerdos creari, etsi Verres ejus moris rationem non habebat.

sesque congruere volunt cum solis lunæque ratione, ut nonnumquam, si quid discrepet, eximant[4] unum aliquem diem, aut summum, biduum ex mense; quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant : item nonnumquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo. Quæ iste quum cognovisset, novus astrologus, qui non[5] tam cæli rationem, quam cælati argenti duceret, eximi jubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem; hoc modo, ut, quo die, verbi causa, esse oporteret idus januarias, eo die kalendas martias proscriberet[6]. Itaque fit, omnibus recusantibus et plorantibus[7]. Dies is erat legitimus comitiis habendis. Eo modo sacerdos Climachias renuntiatus est. Herodotus quum Roma revertitur, diebus[8], ut ipse putabat, quindecim ante comitia, offendit eum mensem, qui consequitur mensem comitialem, comitiis jam abhinc triginta diebus habitis. Tunc Cephalœditani decreverunt intercalarium XLV dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur. Hoc si Romæ[9] fieri posset, certe aliqua ra-

4. *Eximant.* Græci tres in partes, seu δεκάδας, mensem totum annum, qui lunaris erat, dividebant; quarum prima et secunda decem diebus singulæ constabant; tertia autem, die uno aut ad summum altero nunc longior, nunc brevior erat, prout luna serius aut celerius appareret. Exemptos autem dies ἐξαιρεσίμους, intercalatos ἐμβολίμους vocabant. Verres autem immani licentia XLV dies exemit, significavitque v. g. eo die fore kal. mart. quo die esse oporteret idus jan. De his vid. Jul. Pontedera, Antiq. Lat. et Græc. enarrat, p. 322. Jos. Scalig. Petav. etc. et Indic.

5. *Qui non.* Qui minus siderum quam colligendi argenti rationem haberet. Festive ludit orator in ambiguo.

6. Cod. Nann. « proscribere juberet ». J. V. L.

7. Vett. edd. « implorantibus ». Unde Nannius conjicit, « deos hominesque implorantibus ». Nimia, opinor, audacia. J. V. L.

8. *Diebus.* Herodotus redierat v. g. die XIV febr. quindecim diebus ante kal. mart. Quum autem Verres XLV dies exemisset, XIV febr. jam erat Cephalœditanis XXXI Martii, et comitia abhinc triginta diebus erant habita.

9. *Hoc si Romæ fieri posset, certe,* etc. Deinde tamen hoc Romæ, sed alia de causa, factum est. Quum negligentia

tione expugnasset iste, ut dies XLV[10] inter binos ludos tollerentur, per quos solos judicium fieri posset.

LIII. Jam vero censores[1], quemadmodum in Sicilia isto prætore creati sint[2], operæ pretium est cognoscere. Ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc causam, quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis æstimationis[3] habendæ summæque faciundæ censori permittitur. Itaque eum populus, cui maxime[4] fidem suarum rerum habeat, maxima cura deligit; et propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione contenditur. In ea re iste nihil obscure facere voluit, non in sortitione[5] fallere, neque dies de fastis eximere; nihil sane vafre, nec malitiose facere conatus est: sed, ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex omnibus civitatibus tolleret, quæ res evertendæ reipublicæ solent esse, ostendit, sese in omnibus civitatibus censores esse facturum. Tanto mercatu prætoris indicto, concurritur undique ad istum

pontificum, quibus intercalandi potestas erat, æquinoctium vernum Ciceronis ætate pæne in æstatem incideret, J. Cæsar adhibito Sosigene astronomo, confusa omnia redegit.

10. *Dies XLV.* Elate. Nam revera septem tantum et triginta dies erant vacui binos inter ludos, Circenses et Victoriæ, per quos dies solos judicium fieri posset. De Verris in hanc rem machinamentis vide Act. I, 10.

LIII. 1. *Censores.* Illi a provincialibus creabantur, bini in singulas civitates. Eorum munus erat censum ordinare, et quid quisque, ex suo censu, pendere in privatam civitatum administrationem deberet, æstimare. In Sicilia apparet cxxx creatos fuisse, cap. 55.

2. Sic Ernest. Vulgatam tamen lectionem, *sunt*, defendit Gœrenz. ad Cic. de Finib. IV, 24. J.V. L.

3. *Æstimationis.* Æstimandi cujusque bona, et constituendi summam quæ a quoque est tributi nomine conferenda.

4. *Cui maxime.* Quem judicat dignissimum cujus fidei suorum bonorum æstimationem, et adeo bona ipsa committat. — Alii, « qui maximam f. s. r. habebat ». J. V. L.

5. *Non in sortitione.* Ut fecerat Syracusis. — *Neque dies.* Ut Cephalœdi fecerat.

Syracusas. Flagrabat domus tota prætoria studio hominum et cupiditate : nec mirum, omnibus comitiis tot civitatum unam in domum revocatis, tantaque ambitione provinciæ totius in uno cubiculo inclusa. Exquisitis palam pretiis, et licitationibus factis[6], describebat censores binos in singulas civitates Timarchides. Is suo labore, suisque accessionibus[7], hujus negotii atque operis molestia consequebatur, ut ad istum, sine ulla sollicitudine, summa pecunia referretur. Jam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis : verumtamen priore actione, quam varie, quam improbe prædatus esset, multorum ex testimoniis cognovistis.

LIV. Sed ne miremini, qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit, exponam vobis breviter, quid hominis sit : ut et istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo præsertim numero ac loco, et calamitatem provinciæ cognoscatis. In mulierum corruptelis, et in omni ejusmodi luxuria atque nequitia, mirandum in modum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines singularemque nequitiam natum atqué aptum fuisse ; investigare, adire, appellare, corrumpere, quidvis facere in ejusmodi rebus, quamvis callide, quamvis audacter, quamvis impudenter : eumdem mira quædam excogitasse[1] genera furandi : nam ipsum Verrem[2], tantum avaritia semper

6. *Licitationibus factis.* Auctis scil. subinde pretiis, ab iis qui præturas mercabantur. — *Describebat*, partiebatur.

7. Nannio magis placebat *accensionibus.* Ignotum verbum. J. V. L.— Sensus est : Timarchides homines adeundo, appellando, molestias omnes sibi uni insumendo consequebatur, ut ad Verrem, sine ulla molestia, pecunia rediret.

LIV. 1. Vulg. *excogitare.* Omnes probant Ernest. emendationem, quod ad antecedentia refertur.

2. *Ipsum Verrem.* Nam Verres immani tantum et ad prædam biante avaritia notus, nihil in furtis ingeniose excogitare poterat, utpote hebes

hiante atque imminenti fuisse, ingenio, et cogitatione nulla; ut, quidquid sua sponte faciebat, item ut vos Romæ cognovistis, eripere potius, quam fallere videretur. Hæc vero hujus erat ars et malitia miranda, quod acutissime tota provincia, quid cuique accidisset[3], quid cuique esset necesse, indagare et odorari solebat; omnium adversarios[4], omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare; ex utraque parte causas, voluntates perspicere, facultates et copias; quibus opus esset, metum afferre; quibus expediret, spem ostendere. Accusatorum et quadruplatorum quidquid erat, habebat in potestate; quod cuique negotii conflare volebat, nullo labore[5] faciebat; istius omnia decreta, imperia, literas peritissime et callidissime venditabat. At non solum erat administer istius cupiditatum; verum etiam ipse sui meminerat æque. Non solum nummos, si qui isti exciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit; sed etiam voluptatum flagitiorumque istius ipse reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem[6], qui nullum oppidum cepit; sed Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse; in Timarchidi[7] potestate sociorum populi romani antiquissimorum atque amicissimorum libe-

et obtusus. —Sumpta a corvis aut vulturibus translatio, qui cadaveribus, ore faucibusque apertis inhiant.

3. *Quid cuique accidisset.* Triga horum verborum, teste Grutero, primum accedit Ciceroni e codd. Fabr. et Metell. J. V. L.

4. *Omnium adversarios.* Ex iisdem libris hæc duo verba ortum habent. J. V. L.

5. *N. labore.* Ut qui quadruplatores, ipsumque prætorem penes se haberet.

6. *Athenionem.* Fugitivorum et Drepanitanorum qui a Romanis defecerant ducem in Sicilia, qui se regem appellari voluit, fuitque revera, sed paucorum dierum; nam a M'. Aquillio in acie interfectus est anno 654. Vide Flor. III, 19. Appian. Mithridat. et Diodor. fragm.

7. Alii, *Timarchidis.* Sed Priscian. h. l. legerat *Timarchidi.*

ros, matresfamilias, bona, fortunasque omnes fuisse. Is igitur, ut dico, Timarchides in omnes civitates, accepto pretio, censores dimisit : comitia, isto prætore, censorum, ne simulandi quidem causa, fuerunt.

LV. Jam hoc impudentissime : palam (licebat enim videlicet legibus) singulis censoribus denarii[1] trecenti ad statuam prætoris imperati sunt. Censores CXXX facti sunt : pecuniam illam[2] ob censuram contra leges clam dederunt; hæc denarium XXXIX millia palam salvis legibus contulerunt in statuam. Primum quo tantam pecuniam? Deinde quamobrem censores ad statuam tibi conferebant? Ordo aliquis[3] censorum est collegium? genus aliquod hominum? nam aut publice civitates istos honores habent; aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii. Censores quidem qui magis, quam ædiles? Ob beneficium? Ergo hoc fatebere, abs te hæc petita esse (nam empta[4] non audebis dicere); te eos magistratus hominibus, beneficii, non reipublicæ causa, permi-

LV. 1. *Denarii trecenti* (221 fr. 10 c.) Ut habet *Letronne*. Inf. autem « denarium XXXIX millia » (31,980 fr.) constant.

2. *Illam* refertur ad narrationem, cap. 53, de exquisitis pro prætura pretiis. — Lallem. e codd. Parisiens. *aliam*. Minus recte.

3. *Ordo aliquis*. Non civium peculiaris ordo, censores sunt; utpote ex omnibus ordinibus collecti. Atqui aut civitates publica impensa istos honores statuarum tribuunt; aut privatim hominum classes (gall. *des communautés, des corps*), ut aratores, etc. Si publice, non debebat a censoribus nominatim altera exigi pecunia : si privatim, non debebat etiam, siquidem censura non est sejunctus ordo ab aliis ordinibus. Cur ergo magis censores conferant quam ædiles? An conferebant *ob beneficium*, i. e. ob censuram, quam abs te ea conditione acceperant, ut conferrent. Si hoc fateris, etiam fatebere hæc denarium tot millia abs te petita fuisse; empta (censura nimirum) melius diceres. Garatonius vero locum illum sic distinguendum putabat: Ordo aliquis censorum est? collegium? genus aliquod hominum? Sed ita laborat structura. Præterea Cicero quærere non poterat, an collegium esset censorum. Ut enim collegia dicuntur consulum, prætorum, etc. quidni etiam censoribus?

4. *Empta*. Habent *erepta* Gruter.

sisse? Hoc autem quum tute fatebere, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos provinciæ istius invidiam atque offensionem, non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniæ conciliandæ causa susceperis? Itaque illi censores fecerunt idem, quod in nostra republica solent ii, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam [5] rei familiaris explerent. Sic census habitus est, te prætore, ut eo censu nullius civitatis respublica posset administrari: nam locupletissimi [6] cujusque census extenuarant, tenuissimi auxerant. Itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, ut, etiamsi homines tacerent, res ipsa illum censum repudiaret: id quod intelligi facillime re ipsa potest.

LVI. Nam L. Metellus, qui, posteaquam ego inquirendi causa in Siciliam veni, repente Letilii adventu, istius non modo amicus, verum etiam cognatus factus est; is, quod videbat istius [1] censum stare nullo modo posse, eum censum observari jussit, qui viro fortissimo atque innocentissimo Sex. Peducæo prætore habitus esset. Erant enim tum censores legibus facti, delecti a suis civitatibus: quibus, si quid commisissent, pœnæ legibus erant constitutæ. Te autem prætore, qui

Ernest. sensu non commodo. Nos cum Græv. Beck. Sch. et J. V. L. ed. 1473 sequimur.

5. *Illam lacunam.* Ut scilicet eo in magistratu pecuniam omnem retraherent, quam Verri ob munus illud emendum dare fuerant coacti. Sic optime Sen. de Benef. I, ait, provincias spoliari, et nummarium tribunal, audita utrimque licitatione, alteri addici non mirum; quando quæ emeris vendere gentium jus est.

6. *Locupletissimi.* Censores illi, qui a Verre munus emerant, accepta a locupletibus pecunia, iis minora, pauperibus majora tributa imperabant. Græv. loco *auxerant* recepit *hauserant* e MSS duobus, quod antithetum dissolvit.

LVI. 1. *Istius censum stare.* Codd. Metell. et Fabr. « istius censum stari »; unde Gulielm. Verisimil. I, 7, conjicit legendum, « istius in censu stari ». J. V. L.

censor aut legem metueret[2], qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat; aut animadversionem tuam, quum id, quod abs te emerat, vendidisset? Teneat jam sane meos testes Metellus; cogat alios laudare, sicut in multis conatus est : modo hæc faciat, quæ facit. Quis enim umquam tanta a quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quinto quoque anno Sicilia tota censetur : erat censa prætore Peducæo. Quintus annus quum te prætore incidisset, censa denuo est. Postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat : censores dicit de integro sibi creari placere : interea Peducæanum censum observari jubet. Hoc si tuus inimicus tibi fecisset, tamen etsi[3] animo æquo provincia tulisset, inimici judicium grave[4] videretur : fecit amicus recens, et cognatus voluntarius[5]. Aliter enim, si provinciam[6] retinere, si salvus ipse in provincia vellet esse, facere non potuit.

LVII. Exspectas etiam, quid hi judicent? Si tibi magistratum abrogasset[1], minore ignominia te affecisset, quam quum ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit atque irrita jussit esse. Neque in hac re sola fuit ejusmodi; sed, antequam ego in Siciliam veni, in maximis rebus ac plurimis. Nam et Heraclio Syracusano tuos

2. Alii, *metuerit;* alii, *metuerat.* — *Qui* pro *quis* sumitur, ut sæpe.

3. Olim, *tamen si;* codd. al. *tametsi.* Mureti codd. sequimur. J. V. L.

4. *Judicium grave.* Ingens tibi præjudicium fieri videretur.

5. *Cognatus voluntarius.* Repente enim cœpit dicere, se omnia Verris causa velle, sibique cum eo amicitiam esse et cognationem.

6. *Si provinciam.* Excusare primum Metellum videtur, sed reipsa accusat, quod ita sit mutatus quasi ipsi summa vis adhibita fuisset. Ferrat. intelligebat si provinciam non penitus everti, suamque agendi rationem reprehensione carere vellet. Garat. vero hæc ad quemdam seditionis metum pertinere conj. Frustra. Cic. hanc suam sententiam pluribus jam non semel verbis explicuit; nempe omnino deserturos provinciam agricolas, nisi aliter regeretur.

LVII. 1. *Abrogasset.* Ademisset, curasset ut a te auferretur; abrogare enim magistratum alicui, est legem ferre, ut suus ei tollatur magistratus.

illos[2] palæstritas bona restituere jussit, et Epicrati Bidinos, et pupillo[3] Drepanitano A. Claudium; et, nisi mature Letilius in Siciliam venisset cum literis, minus xxx diebus Metellus totam triennii præturam tuam rescidisset.

Et, quoniam de ea pecunia, quam tibi ad statuam censores contulerunt, dixi; non mihi prætermittendum videtur ne illud quidem genus pecuniæ conciliatæ, quam tu a civitatibus statuarum nomine coegisti. Video enim ejus pecuniæ summam esse pergrandem, ad H-S cxx millia[4] : tantum conficitur ex testimoniis ac literis civitatum. Et iste hoc concedit, nec potest aliter dicere. Quare cujusmodi putamus esse illa, quæ negat, quum hæc tam improba sint, quæ fatetur? Quid enim vis constitui? consumptam esse omnem istam pecuniam in statuis? Fac ita esse: tamen hoc ferendum nullo modo est, tantam ab sociis pecuniam auferri, ut omnibus in angiportis prædonis improbissimi statuæ ponantur, qua vix[5] tuto transiri posse videatur.

LVIII. Verum ubi tandem, aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumpta est? Consumetur, in-

2. *Tuos illos.* Amicissimos scilicet, quibuscum Heraclii et Epicratis bona partitus es.

3. *Pupillo.* Sosippi, qui frater erat Epicratis, filio. Quem bonis spoliarat omnibus A. Claudius, Apollonius, homo dignissimus Verris moribus. Vid. Verr. IV, 17.

4. *CXX millia* (24,600 fr.) Quæ summa non *pergrandis* videtur; nisi a singulis civitatibus exacta dicatur, cui rei refragari et latini sermonis ratio et sequentia videntur. Reposuit Man. « ccc millia », quod non sufficit; quum infra Verres hanc omnino summam a solis Centuripinis abstulisse statuarum nomine arguatur. Legi voluit Lallem. « centies vicies », qui numerus omnem fidem ac modum excedit. Quum enim Cicero sæpius dicat Verrem « quadringenties sestertium » ex Sicilia contra leges abstulisse, quis credere possit pecuniam a civitatibus statuarum nomine ablatam, plus quam quartam illius summæ partem effecisse. Conjicit Garaton. « sestertium vicies » (410,000 fr.), quem numerum per xx in codd. expressum paullatim in « cxx millia » abiisse arbitratur. Recepit Schütz. hic et paullo post.

5. *Qua vix.* Quasi Verris statuæ spoliandi vim et ipsæ habeant.

quies. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium[1]: si hoc intervallo non consumpserit, tum denique nomen ejus de repetundis pecuniis statuarum nomine deferamus. Reus est maximis plurimisque criminibus in judicium vocatus. H-S cxx millia ex hoc uno genere capta videmus. Si condemnatus eris, non opinor, id ages, ut ista pecunia quinquennio[2] consumatur in statuis; sin absolutus eris, quis erit tam amens, qui te, ex tot tantisque criminibus elapsum, post quinquennium statuarum nomine arcessat? Ita si neque adhuc consumpta ista pecunia est, et est perspicuum non consumptum iri; licet jam intelligamus, inventam esse rationem, quare et iste H-S cxx millia uno genere conciliarit et ceperit, et ceteri, si a vobis hoc erit comprobatum[3], quam volent magnas hoc nomine pecunias capere possint: ut jam videamur non a pecuniis capiundis homines absterrere[4], sed, quum genera quædam pecuniarum capiundarum comprobarimus, honesta nomina turpissimis rebus imponere. Etenim, si C. Verres H-S cxx millia populum, verbi gratia, Centuripinum poposcisset, eamque ab his pecuniam abstulisset; non, opinor, esset dubium, quin eum, si tum id planum fieret, condemnari necesse esset. Quid, si eumdem populum H-S ccc millia poposcit, eaque coegit atque abstulit? num idcirco absolvetur, quod adscriptum est, eam pecuniam datam statuarum

LVIII. 1. *Quinquennium*. Censuerat senatus, ut pecunia tantum certa ac definita prætoris in statuas a provincialibus erogaretur; lataque lex erat ut illæ intra *quinquennii* spatium collocarentur; quo præterito, si positæ non essent, licebat eum qui pecuniam statuarum nomine abstulerat, repetundarum accusare.

2. *Quinquennio*. Intra quinquennium, quod tempus lege definitum est, ut modo ostendimus.

3. *Comprobatum*. Nisi vos magno exemplo non impune nocentibus futurum ostenderitis.

4. *Homines absterrere*. Quum in tot magistratus illud nunc cadat crimen, ut vix castigari posse videatur.

nomine? Non, opinor : nisi forte[5] id agimus, non ut magistratibus nostris moram accipiundi, sed ut sociis causam dandi afferre videamur. Quod si quem statuæ magnopere delectant, et si quis earum honore et gloria ducitur; is hæc tamen constituat necesse est; primum, averti pecuniam domum non placere; deinde, ipsarum statuarum modum quemdam esse oportere; deinde illud, certe ab invitis exigi non oportere.

LIX. Ac de avertenda pecunia, quæro abs te, utrum ipsæ civitates solitæ sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima conditione locare, an aliquem curatorem præficere, qui[1] statuis faciundis præesset, an tibi, an cui tu imperasses, annumerare pecuniam? Nam si per eos statuæ fiebant, a quibus tibi iste honos habebatur; audio[2] : sin Timarchidi pecunia numerabatur; desine, quæso, simulare, te, quum in manifesto furto tuo teneare, gloriæ studiosum ac monumentorum fuisse.

Quid vero? modum statuarum haberi nullum placet? atqui habeatur necesse est. Etenim sic considerate. Syracusana civitas (ut eam potissimum nominem) dedit ipsi[3] statuam: est honos. Et patri : bella hæc pietatis et quæstuosa simulatio. Et filio : ferri hoc potest; hunc

5. *Nisi forte.* Nisi nos non tam magistratuum cupiditati obstamus, quam ei causas extorquendi afferimus. Loco *afferre* vulgo erat *auferre*, quem Ern. ferri posse existimabat, si verba *morem* (pro *moram*) et *causam* sedes permutarent. Recte Hotom. conjecit legendum esse *afferre*, quod postea in cod. Metell. repertum plerique editores comprobaverunt. Manutio tamen placuit «morem accipiendi...causam dandi auferre», hoc sensu: Si absolvitis Verrem, non auferetis magistratibus accipiendi morem, sed sociis causam dandi.

LIX. 1. Verba hæc, «qui...præesset», Herelius non sine jure quodam insititia judicavit. J. V. L.

2. *Audio.* Bene est : nihil possum dicere.

3. Lectio F. Ursino probata, præsertim e cap. 67 : «C. Verris ipsius, et patris, et filii». Alteram vero, *isti*, alii magis probant. J. V. L.—Nempe alia est h. l. ratio, ubi Verris nomen non additur.

enim puerum[4] non oderant. Verum quoties, et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? Ut in foro statuerent, abstulisti : ut in curia, coegisti : ut pecuniam conferrent in eas statuas, quæ Romæ ponerentur, imperasti : ut iidem[5] darent homines aratorum nomine; dederunt : ut iidem pro parte in commune Siciliæ conferrent; etiam id contulerunt. Una civitas quum tot nominibus pecuniam contulerit, idemque hoc civitates ceteræ fecerint; non res ipsa vos admonet, ut putetis, modum aliquem huic cupiditati constitui oportere? Quod si hoc voluntate sua nulla civitas fecit; si omnes imperio, metu, vi[6], malo adductæ, tibi pecuniam statuarum nomine contulerunt : per deos immortales, num cui dubium esse poterit, quin, etiamsi quis statuerit, accipere ad statuas licere, idem tamen statuat, eripere certe non licere? Primum igitur in hanc rem testem totam Siciliam citabo : quæ mihi una voce statuarum nomine magnam pecuniam per vim coactam esse demonstrat. Nam legationes omnium civitatum in postulatis[7] communibus, quæ fere omnia ex tuis injuriis nata sunt, etiam hoc ediderunt, UT STATUAS NE CUI, NISI QUUM IS DE PROVINCIA DECESSISSET, POLLICERENTUR[8].

4. *Hunc enim puerum.* Acerbe in puerum tamquam blandum et pergratiosum Syracusanis, et in Syracusanos ipsos dictum; quos, quia legationem Verris laudandi gratia miserant, multis locis non leviter lacessit.

5. *Ut iidem.* Illos coegisti ut quasi ex aratorum ordine darent, et iterum, quamvis jam dedissent, ut cum ceteris Siciliæ populis conferrent. Cf. c. 55.

6. *Metu, vi.* Quamquam Verres nihil pœnarum statuarum nomine proposuerat, at probe noverant Siculi, non impune ipsis fore, si recusarent, nec prætori calumniæ causas defuturas. Itaque quum sponte facere viderentur, tamen vi, metu maloque adducti faciebant.

7. *In postulatis.* De his cf. cap. 42.

8. Schütz. corrigit e sequentibus, « liceret polliceri ». Infra enim sic sese habet postulatum de statuis, « Postulant... ut ipsis ne liceat ». Et paullo post, « mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri ». J. V. L.

LX. Tot prætores in Sicilia fuerunt; toties apud majores nostros Siculi senatum adierunt; toties hac memoria: tamen hujusce novi postulati genus[1] atque principium tua prætura attulit. Quid enim tam novum, non solum re, sed genere ipso postulandi? Nam cetera, quæ sunt in iisdem postulatis de injuriis tuis, sunt nova, sed tamen non novo modo postulantur. Rogant et orant Siculi patres conscriptos, ut nostri magistratus posthac decumas lege Hieronica vendant. Tu primus contra vendideras: audio[2]. Ne, in cellam quod imperatur, æstiment. Hoc quoque propter tuos ternos denarios[3] nunc primum postulatur: sed genus istud postulandi non est novum. Ne absentis nomen recipiatur: ex Sthenii calamitate et tua natum est injuria. Cetera non colligam: sunt omnia Siculorum postulata ejusmodi, ut crimina collecta in unum te reum esse videantur; quæ tamen omnia novas injurias habent, sed postulationum formulas usitatas[4]. Hoc postulatum de statuis ridiculum esse videatur ei, qui rem sententiamque non perspiciat[5]. Postulant enim, non, uti ne cogantur statuere: quid igitur? ut ipsis ne liceat. Quid est hoc? petis[6] a me, quod in tua potestate est, ut id tibi facere non liceat? pete potius, ne quis te invitum polliceri aut facere cogat. Nihil

LX. 1. *Genus*. Nempe quod inauditus ille postulandi modus, non, ut ne cogantur statuas collocare, sed ut ipsis non liceat: ut infra disertissime explicat orator.

2. *Audio*. Nunc intelligo: illud non miror postulatum.

3. *Tuos ternos denarios*. Quos in modios singulos exegisti. Vid. Div. 10.

4. *Formulas usitatas*. Ut præter formulam nihil simile habeant postulationum, neque aliud quidquam sint nisi criminationes.

5. Priscian. pag. 1147, «respiciat». J. V. L.

6. *Petis*. Quid tu, Sicule, a me postulas, ut te lex facere vetet, quod a te uno pendet, etc. Sed hac ratione nihil profecerimus, respondet Siculus; nos a se coactos negabunt prætores, ac si nostras fortunas vis servare, hanc nobis impone necessitatem ut, etc.

egero [7], inquit; negabunt enim omnes se coegisse : si me salvum esse vis, mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri. Ex tua prætura primum nata est hæc postulatio : qua quum utuntur, hoc significant, atque adeo aperte ostendunt, sese ad statuas tuas pecuniam, metu ac malo coactos, invitissimos contulisse. Quid, si hoc non dicant? tibi non necesse sit ipsi id confiteri? Vide, et perspice, qua defensione sis usurus : nam intelliges [8], hoc tibi de statuis confitendum esse.

LXI. Mihi enim renuntiatur, ita constitui a tuis patronis, hominibus ingeniosis [1], causam tuam, et ita eos abs te institui et doceri : ut quisque ex provincia Sicilia gravior homo atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarii viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere : « Inimicus est propterea, quod arator est. » Itaque uno genere [2], opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in [3] decumis iste vehementior. Ergo aratores, inimici omnes [4], omnes adversarii sunt : nemo eorum est, quin perisse te cu-

Vehementissima dialogismi forma, a nostris sacris oratoribus, præsertimque a *Massillone* feliciter sæpius usurpata.

7. *Nihil egero*. Nihil profecero.— Sic optime codd. Ursin. et Paris. Olim, « Nihil ergo ». J. V. L.

8. *Nam intelliges*. Habent edd. Oliv. Oxon. Lallem. « jam intelliges ». J. V. L.

LXI. 1. *Tuis patronis*. Hortensio, Curione, et Sisenna, et aliis, quos per oppositionem vocat ingeniosos. Nihil enim acuti habet illa, quam excogitaverant, defensio.

2. *Uno genere*. Hoc uno respondendi modo, cogitatis ab accusatione aratores removere. Hoc enim sensu est *circumscribere*, Mil. 33. Philipp. XIII, 9.

3. *In decumis*. Exigendis. Ex hoc aratorum odio laudem et gratiam populi rom. sibi comparaturum sperabat Verres, quod pluris, quam ceteri decumas vendidisset et remp. adeo ditasset. At egregie hanc ejus defensionem refutat Cicero Verr. III, de re frumentaria.

4. Sic edidimus, post Lallem. et

piat. Omnino præclare te habes[5], quum is ordo atque id genus hominum, quod optimum atque honestissimum est, a quo uno[6] et summa reipublicæ et illa provincia maxime continetur, tibi est inimicissimum. Verum esto : alio loco de aratorum animo et injuriis videro; nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos : nempe ita dicis, propter decumas. Concedo; non quæro, jure an injuria sint inimici. Quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ volunt, quæ populi romani oculos animosque maxime offendunt, propter ædem[7] Vulcani? Nam inscriptum esse video, « quamdam ex his statuam aratores de« disse ». Si honoris[8] causa statuam dederunt, inimici non sunt : credamus testibus : tum enim honori tuo, nunc jam religioni suæ consulunt. Sin autem metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in provincia pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coegisse. Utrum tibi commodum est, elige.

LXII. Equidem libenter hoc jam crimen de statuis

eum sequutos, e duobus codd. Paris. Volgo « inimici omnes, adversarii sunt ». At Gruterus jam repeti vocem maluerat. Lambinus dedit, « inimici omnes et adversarii sunt ». Languidius. J. V. L. — Garatonius conjicit vocem illam *sunt* adjectam fuisse : nec optime.

5. *Omnino præclare te habes*. Præclare tecum agitur, habes quo te oblectes. Ironice.

6. *A quo uno*. A quo pendet et tota reip. salus, quippe qui aratores Romam alant; et Siciliæ fortuna, quæ ex hoc frumentorum commercio efflorescat.

7. *Propter ædem*. Ad Vulcani templum, quod supra comitium erat, in foro. In eam tribuni plebem advocare et concionem habere consueverant. Fuerat a Romulo extra Urbem condita, quo senatus curiæ loco uteretur; verum ampliato pomœrio celeberrimum postea urbis locum occupavit.

8. *Si honoris*. Si isti aratores honoris causa, tibi statuam dederunt, inimici tibi non sunt. Ergo iis testibus est credendum, si testimonium contra te dicunt. Tum enim, quum tibi statuas collocabant, honori tuo consuluerunt; nunc quum te accusant, religioni suæ in testimonio dicendo consulunt. Lambin. et Sch. habent *consulent*, quod omnino necesse non est.

relinquam, ut mihi tu illud concedas, quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuam honoris tui causa, voluntate sua, contulisse. Da mihi hoc : jam tibi maximam partem defensionis præcideris. Non enim poteris, aratores tibi iratos esse [1] atque inimicos, dicere. O causam singularem ! o defensionem miseram ac perditam ! nolle hoc [2] accipere reum ab accusatore, et eum reum, qui prætor in Sicilia fuerit, aratores ei statuam sua voluntate statuisse ; aratores de eo bene existimare, amicos esse, salvum esse cupere ! Metuit, ne hoc vos existimetis : obruitur enim aratorum testimoniis. Utar eo, quod datur [3] : certe hoc ita vobis judicandum [4] est, eos, qui isti inimicissimi sunt, ut ipse existimari vult, ad istius honores atque monumenta pecuniam non voluntate sua contulisse. Atque ut hoc totum facillime intelligi possit, quem voles eorum testium, quos produxero, qui ex Sicilia testes sint, sive togatum [5] velis, sive Siculum, rogato, et eum, qui tibi inimicissimus esse videbitur, qui se spoliatum a te dicet [6] ; ecquid suo nomine in tuam statuam contulerit : neminem reperies, qui neget : etenim omnes dederunt. Quemquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem inimicissimum tibi esse oporteat, qui abs te gravissimas injurias acceperit, pecuniam statuæ no-

LXII. 1. *Tibi iratos esse.* Liber Metell. *tibi honestis*, unde fingit Gulielm. *hosteis.*

2. *Nolle hoc.* O desperatam litem, in qua reus ea rejicit quæ ei ab accusatore conceduntur ?

3. *Quod datur.* Quod a Verre mihi conceditur, aratores metu coactos Verri statuam posuisse. Hoc enim concedit, quum illud accipere negat. Nam alterutrum verum sit necesse est, aut sua sponte, aratores, aut vi coactos pecuniam ad statuam contulisse.

4. *Vobis judicandum.* Illud sane vobis decernendum patet, ejus inimicos pecuniam invitos contulisse. — *Qui ex Sicilia testes sint.* Sch. delet ut glossema. J. V. L.

5. *Togatum.* Cives romanos in Sicilia rem frumentariam aut pecuniariam exercentes, quos paullo infra *aratores* ac *negotiatores* appellat.

6. Vulg. *dicis.* J. V. L.

mine dederit, vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate? Et hujus ego pecuniæ, judices, quæ permagna est, impudentissimeque coacta ab invitis, non habui rationem[7], neque habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus, qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybæi negotiantur, esset coactum : quoniam intelligitis, ipsius quoque confessione, ab invitissimis coactam esse.

LXIII. Venio nunc ad civitates Siciliæ : de quibus facillime judicium fieri voluntatis potest. An etiam Siculi inviti contulerunt? non est probabile. Etenim sic C. Verrem præturam in Sicilia gessisse constat, ut, quum utrisque satisfacere non posset, et Siculis, et togatis, officii potius in socios, quam ambitionis in cives rationem duxerit. Itaque eum non solum PATRONUM istius insulæ, sed etiam SOTERA[1] inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum SOTER, qui salutem dedit. Hujus nomine etiam dies festi agitantur, pulchra illa Verrea, non quasi Marcellea, sed pro Marcelleis : quæ illi istius jussu sustulerunt. Hujus fornix[2] in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat : ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit. Hujus statuæ omnibus locis[3] :

7. *Non habui rationem.* Non ad calculos redegi quot nummos ille vi rapuerit.

LXIII. 1. *Sotera.* Egregium hoc *soteris*, s. salvatoris (quod vocabulum Ciceronis ævo in usu non erat) cognomen diis ac regibus impositum fuisse nummi docent. Vide Spanheim. de numm. dissert. VII. — De *Verreis* vid. sup. 21.

2. *Hujus fornix.* Erectus Verri stat triumphalis arcus, in cujus summa parte eminet filius nudo corpore : quam nuditatem vituperat Cicero, nempe a Romanorum gravitate morum abhorrentem ; et apud quos artifices corpora velabant. At Græci non item, ut observat Plin. XXXIV, 5, et ut demonstrant statuæ illæ pulcherrimæ ac vere divinæ quibus tempus pepercit. Facete hic orator, in verba *nudus* et *nudatum* ludit.

3. Olim addebant *erectæ*. Gruterus, testibus MSS, glossam abstulit. J. V. L.

quæ hoc demonstrare videntur, propemodum non minus multas statuas istum posuisse Syracusis, quam abstulisse. Huic etiam Romæ videmus in basi statuarum, maximis literis incisum, A COMMUNI SICILIÆ datas. Quamobrem? qui hoc probari potest cuiquam, tantos honores habitos esse ab invitis?

LXIV. Hic tibi etiam multo magis, quam ante[1] in aratoribus, videndum et considerandum est, quid velis: magna res est. Utrum tibi Siculos publice privatimque amicos, an inimicos existimari vis? si inimicos, quid te[2] futurum est? quo confugies? ubi nitere? Modo aratorum honestissimorum hominum ac locupletissimorum, et Siculorum, et civium romanorum maximum[3] numerum abs te abalienasti: nunc de siculis civitatibus quid ages? Dices, tibi Siculos esse amicos? qui poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt[4], ut in eum publice testimonium dicerent, quum præsertim ex ea provincia condemnati[5] sint complures, qui ibi prætores fuerunt, duo soli absoluti; huc conveniunt[6] cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis: qui, si te publice[7] laudarent, tamen id more potius suo, quam merito tuo, facere viderentur. Hi quum de tuis factis publice conquerantur, nonne hoc indicant, tantas esse inju-

LXIV. 1. Grævius e cod. Nann. « paullo ante ». J. V. L.

2. *Quid te.* Quid de te; veteri, quam sæpius observavimus, locutione.

3. Abest *maximum*. J. V. L.

4. Sic Ernest. post Gruterum. Oliv. aliique multi, *fecerant*. J. V. L.

5. *Condemnati.* Nempe a privatis provincialibus, sed non totius Siciliæ consensu fuerant accusati; qui vero fuerint duo illi absoluti prætores, non liquet.

6. *Huc conveniunt.* Nonnulli codices, « hi nunc veniunt »; quod libens acceperim. Garatonius protulit ex uno manuscripto, « nunc contra te veniunt ». Rectius quoque vulgato. J. V. L.

7. Ernest. delet *publice*. J. V. L.— Ceterum quamvis in Franc. absit, non video cur ceterorum omnium codicum auctoritati contradicatur, nec ea servetur vox, quæ novam vim ante dictis addit.

rias, ut multo maluerint de suo more[8] decedere, quam de tuis moribus non dicere? Confitendum est igitur tibi necessario, Siculos inimicos esse, qui quidem et in te gravissima postulata consulibus ediderint[9], et me, ut hanc causam, salutisque suæ defensionem susciperem, obsecrarint; qui quum a prætore prohiberentur, a quatuor quæstoribus[10] impedirentur, omnium minas, atque omnia pericula, pro salute sua, levia duxerint; qui priore actione ita testimonia graviter vehementerque dixerint, ut Artemonem Centuripinum legatum, et publice[11] testem, Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. Etenim ille[12] quum propter virtutem et fidem cum Androne, homine honestissimo et certissimo, tum etiam propter eloquentiam, legatus a suis civibus electus est, ut posset multas istius et varias injurias quam apertissime vobis planissimeque explicare.

LXV. Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani[1], Ennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netinenses, Segestani. Numerare omnes non est necesse: scitis, quam multi et quam multa priore actione dixerint: nunc et illi, et reliqui dicent. Omnes denique hoc in hac causa intelligent, hoc animo esse Siculos, ut, si in istum animadversum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas, et ex Sicilia decedendum, atque adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persua-

8. *De suo more.* Lenitatis et patientiæ in tolerandis romanorum magistratuum injuriis oblivisci. Vid. sup. 3.

9. Sic Gruterus e codd. Fabr. et Metelli. Antea « ediderunt, obsecrarunt, duxerunt, etc. » J. V. L.

10. *A quatuor quæstoribus.* A duobus Verris, duobus Metelli quæstoribus. Vid. sup. 4.

11. *Publice.* Suæ civitatis nomine.

12. A vulg. abest *ille.* — *Cum Androne* refertur eum *electus est.*

LXV. 1. *Tyndaritani.* Tyndaris a Castore et Polluce, qui Tyndarei filii, condita. Unde Sil. Ital. XIV, 207: « Geminoque Lacone Tyndaris attollens sese ». De ceteris urbibus conf. Ind. Geogr. — *Hoc.* Schützius delet *hoc*,

debis ad honores[2] atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate sua contulisse? credo, qui te in tua civitate incolumem esse nollent, hi monumenta tuæ[3] formæ ac nominis in suis civitatibus esse cupiebant. Res declaravit[4], ut cupierint: jamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, utrum statuas voluerint tibi statuere, an coacti sint. De quo homine hoc auditum est umquam, quod tibi accidit, ut ejus in provincia statuæ, in locis publicis positæ, partim etiam in ædibus sacris, per vim, per universam multitudinem dejicerentur? Tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia, Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc umquam audivimus? Novum est, judices; in Siculis quidem, et in omnibus[5] Græcis, monstri simile: non crederem hoc de statuis, nisi jacentes revulsasque vidissem; propterea quod apud omnes Græcos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujusmodi, nonnulla religione deorum consecrari[6] arbitrentur. Itaque quum Rhodii bellum illud[7] prope soli superius cum Mithridate rege gesserint, omnesque

suadente Herelio. Probamus. J. V. L.

2. Sch. recepit *honorem* e cod. Hotomanni, duce Lambino. J. V. L.

3. *Tuæ formæ.* Quæ tui vultus lineamenta, tuumque nomen servarent.

4. Cod. Metelli, *declarabit.* J. V. L.

5. Gulielm. emendabat *hominibus*, quod valde verisimile esse Grut. et Ernest. putant; Sch. negat. J. V. L.

6. *Consecrari.* Ex illa Græcorum opinione manavit consuetudo ad statuas, tamquam ad asylum confugiendi. T. Liv. XXIII, 10.

7. *Bellum illud.* Bellum cum Mithridate exarsit anno 665; ter instauratum quum fuisset, ipsius Mithridatis morte finitum est A. U. 690. — *Superius* autem habita temporis ratione, primum illud est cujus auctor fuit M. Aquillius, et cui finis a L. Sulla est impositus. Hoc autem *prope soli* sustinuerunt Rhodii, attritis multa clade Cassio, Aquillio, Oppio, etc. romanis ducibus. Ipsi autem in romana fide perstantes, Mithridatem non uno navali prælio victum, a suæ urbis oppugnatione decedere coegerunt.

ejus copias, acerrimumque[8] impetum mœnibus, litoribus, classibusque suis exceperint, quum et regis inimici præter ceteros essent; statuam ejus, quæ erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco, ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt[9]. Forsitan vix convenire videretur, quem ipsum hominem cuperent evertere, ejus effigiem simulacrumque servare; sed tamen videbam, apud eos quum essem, et religionem esse quamdam in his rebus, a majoribus traditam, et hoc disputare[10]: cum statua se ejus habuisse temporis rationem, quo posita esset; cum homine vero, quo gereret bellum, atque hostis esset.

LXVI. Videtis igitur, consuetudinem religionemque Græcorum, quæ monumenta hostium in bello ipso soleat defendere[1], eam summa in pace prætoris populi romani statuis præsidio non fuisse. Taurominitani, quorum est civitas fœderata[2], homines quietissimi, qui maxime ab injuriis nostrorum magistratuum remotissimi[3] consuerant esse, præsidio fœderis; hi tamen istius evertere statuam non dubitaverunt. Qua ablata, basin tamen in foro manere voluerunt: quod gravius in istum fore putabant, si scirent homines,

8. Olim, « acerrim. ejus impet. a mœnibus », quæ additamenta MSS rejiciunt. J. V. L.

9. *Attigerunt.* Alterum Rhodiorum religionis in re eadem exemplum suggerit Vitruv. II, 8.

10. Herelius corrigit *disputari.* — *Cum statua.* Quod ad statuam attinet, illi se pepercisse, quod, quo tempore fuit exstructa, is erat amicus Rhodiorum: sed quod ad hominem pertineret, se spectare tempus, quo hostis ex amico factus esset.

LXVI. 1. *Defendere.* Tamen iidem ipsi Rhodii, Chalcide capta, Philippi regis Macedonum statuas dejecerunt ac truncarunt. De his et de Atheniensibus olim erectas statuas evertentibus conf. T. Liv. XXXI, 23, 44. Appian. in Mithrid.

2. *Fœderata.* Duæ tantum in Sicilia fœdere cum Romanis junctæ erant civitates, Tauromininm et Messana, quæ ideo decumas non vendebant. Vide Verr. III, 6.

3. *Maxime ... remotissimi.* Sic Græv. Ernest. e MSS. Vulgo *remoti.* Hujus locutionis exempla habes ad Att. XII, 38, T. Liv. XLI, 23, etc. Frustra corrigere tentavit J. F. Gronovius.

statuam ejus a Taurominitanis esse dejectam, quam si nullam unquam positam arbitrarentur. Tyndaritani dejecerunt in foro; et eadem de causa equum inanem reliquerunt. Leontinis, misera in civitate atque inani, tamen istius, in gymnasio, statua dejecta est. Nam quid ego de Syracusanis loquar, quod non est proprium Syracusanorum, sed et illorum commune[4], et conventus illius, ac prope totius provinciæ? quanta illuc multitudo, quanta vis hominum convenisse dicebatur tum, quum statuæ sunt illius dejectæ atque eversæ? at quo loco? celeberrimo[5] ac religiosissimo: ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. Quod nisi Metellus hoc tam graviter egisset[6], atque illam rem imperio edictoque prohibuisset; vestigium statuarum istius in tota Sicilia nullum esset relictum.

Atque ego hoc non vereor, ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur. Omnia ista ante facta sunt, non modo, quam ego Siciliam, verum etiam quam iste Italiam attingeret[7]: dum ego in Sicilia sum, nulla statua dejecta est. Posteaquam illinc discessi, quæ sunt gesta, cognoscite.

LXVII. Centuripinorum senatus decrevit, populusque jussit, ut, quæ statuæ C. Verris ipsius, et patris, et filii, essent, eas quæstores demoliendas locarent; dumque ea demolitio fieret, senatores ne xxx minus

4. *Commune*. Quam ultionem cum illis communicavit et civium romanorum conventus, et tota provincia.

5. *Celeberrimo*. Quo notior esset Verris infamia. — *Religiosissimo*. Ut dejiciendæ, nisi maximam ob causam, statuæ non viderentur. De Serapidis templo vid. Creuzer. Dionys. pag. 184 sqq. Male alii quidam dant *Jovem*.

6. *Egisset*. Tam severe sese in hac re habuisset.

7. *Italiam attingeret*. Quum iste ex provincia sua decederet. Dedit Ern. ex edd. vett. Non improbandum *attigit*. J. V. L.

adessent. Videte gravitatem civitatis et dignitatem: neque eas in urbe sua statuas esse voluerant, quas inviti, per vim atque imperium, dedissent; neque ejus hominis, in quem ipsi, cum gravissimo testimonio [1], publice, quod numquam antea, Romam mandata legatosque misissent: et id gravius esse putaverunt, si publico consilio, quam si per vim multitudinis factum videretur. Quum hoc consilio statuas Centuripini publice sustulissent, audit Metellus: graviter fert: evocat ad se Centuripinum magistratum, et decemprimos [2]: nisi restituissent statuas, vehementer iis minatur. Illi ad senatum renuntiant. Statuæ, quæ istius causæ nihil prodessent, reponuntur: decreta [3] Centuripinorum, quæ de statuis erant facta, non tolluntur. Hic ego [4] aliud alii concedo: Metello, homini sapienti, prorsus non possum ignoscere, si quid stulte facit. Quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore, si ejus statuæ essent dejectæ, quod sæpe vento [5], aut aliquo casu fieri solet? non erat in hoc [6] neque crimen ullum, neque reprehensio. Ex quo igitur crimen atque accusatio nascitur? ex hominum judicio et voluntate.

LXVIII. Ego, si Metellus statuas reponere Centuripinos non coegisset, hæc dicerem: Videte, judices, quantum et quem acerbum dolorem sociorum atque

LXVII. 1. *Gravissimo testimonio.* Cum mandato ut gravissimum testimonium in eum diceretur. — *Publice* in Schütz. abest.

2. *Decemprimos.* De his vid. Rosc. Amer. 9.

3. Totum istud, « decreta ... non tolluntur », Tullio adjecit Gruterus e MSS. J. V. L.

4. *Hic ego.* In hoc ego loco, quamvis multa multis ignoscam, non possum stultam agendi rationem Metello ignoscere.

5. *Quod sæpe vento.* Livium vide XL, 2, narrantem, quasnam statuarum strages ediderit, « atrox cum vento tempestas coorta ». Conf. etiam Plin. de Tarentino Jovis colosso, Hist. Nat. XXXIV, 7.

6. *Non erat in hoc.* Ex hac statuarum dejectione nulla in Verrem oriebatur accusatio.

amicorum animis inusserint istius injuriæ; quum Centuripinorum amicissima et fidelissima civitas, quæ tantis officiis cum populo romano conjuncta est, ut non solum rempublicam nostram, sed etiam in quovis homine privato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit, ea publico consilio atque auctoritate judicarit, C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere. Recitarem decreta Centuripinorum : laudarem illam civitatem; id quod verissime possem : commemorarem, decem millia[1] civium Centuripinorum, fortissimorum fidelissimorumque sociorum, eos omnes statuisse, MONUMENTUM ISTIUS IN SUA CIVITATE NULLUM ESSE OPORTERE. Hæc tum dicerem, si statuas Metellus non reposuisset. Velim quærere nunc ex ipso Metello, quidnam sua vi[2] et auctoritate mihi ex hac oratione præciderit : eadem opinor omnia convenire. Neque enim, si maxime statuæ dejectæ essent, eas ego vobis possem jacentes ostendere[3]; hoc uno uterer : civitatem tam gravem statuas judicasse C. Verris demoliendas. Hoc mihi Metellus non eripuit : hoc etiam addidit, ut quererer, si mihi videretur, tam iniquo jure sociis atque amicis imperari, ut iis ne in suis quidem beneficiis libero judicio uti liceret; ut vos rogarem[4], ut conjecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, quum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. Sed ego Metello

LXVIII. 1. *Decem millia.* Quot cives Centuripini sunt.

2. *Sua vi.* Ista sua violentia et prætoria auctoritate qua statuas a Centuripinis aut eversas, aut evertendas reponi decrevit.

3. *Ostendere.* Quum illæ essent in Sicilia, vos vero Romæ.

4. *Vos rogarem.* Non modo Metellus meliorem Verris causam non fecit, sed etiam sibi ipse nocuit, quum nunc vos ex isto Metelli, in re tam parvi momenti, studio ac favore, conjicere possitis, quid contra me fecerit, quum vere et aperte nocere potuerit.

non irascor, neque ei suam purgationem eripio, qua ille apud omnes utitur, ut nihil malitiose [5], neque consulto fecisse videatur.

LXIX. Jam igitur est ita perspicuum, ut negare non possis, nullam tibi statuam voluntate cujusquam datam; nullam pecuniam statuarum nomine, nisi vi expressam et coactam. Quo quidem in crimine non illud solum intelligi volo, te ad statuas H-S cxx [1] millia coegisse; sed multo etiam illud magis, quod simul demonstratum est [2], quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum sit et fuerit. In quo quæ vestra defensio futura sit, conjectura assequi non queo. Oderunt [3] Siculi: togatorum enim causa multa feci. At hi quidem acerrimi inimicissimique sunt. Inimicos habeo cives romanos, quod sociorum commoda ac jura defendi. At socii in hostium numero se abs te habitos queruntur. Aratores inimici sunt propter decumas. Quid? qui agros immunes liberosque arant, cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicyenses? Quod genus hominum [4], quem numerum, quem ordinem proferre possis, qui te non oderit, sive civium romanorum, sive Siculorum? ut, etiamsi causam, cur te oderint, non possim dicere, tamen illud dicendum putem: quem omnes mortales oderint, eum quoque vobis odio esse oportere. An hoc dicere audebis; utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, aut quo modo existiment,

5. *Malitiose.* Juvandi Verris et ejus criminis extenuandi causa. Ironice hæc in Metellum quasi aliud agens detorquet ita ut omnino Verris fautorem ostendat.

LXIX. 1. *H-S CXX.* De summæ hujus disputatione vid. sup. 57.

2. *Demonstratum est.* Vulg. « demonstrandum est ». Male : nam illud ipsum jam ostenderat.

3. *Oderunt.* Subintell. dices forsan. — *Cives rom.* In Sicilia negotiantes.

4. *Quod genus hominum.* Servosne, an libertos, an ingenuos, etc.

ad rem id non pertinere? Neque tu hoc dicere audebis; neque, si cupias, licebit. Eripiunt enim tibi istam orationem contemnendorum[5] Siculorum atque aratorum, statuæ illæ equestres, quas tu paullo ante, quam ad urbem venires, poni inscribique jussisti, ut omnium inimicorum animos[6] accusatorumque tardares. Quis enim tibi molestus esset, aut quis appellare auderet, quum videret statuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, a communi Siciliæ? Quod est aliud in illa provincia genus humanum[7]? nullum. Ergo ab universa provincia, generatimque a singulis ejus partibus non solum diligitur, sed etiam ornatur: quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negotiatorum, Siculorumque omnium testimonia, quum eorum nominibus in statuarum inscriptione positis omnem te speraris invidiam atque infamiam tuam posse exstinguere? An, quorum auctoritate[8] tu statuas cohonestare tuas conatus es, eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non potero?

Nisi forte, quod apud publicanos gratiosus fuisti, in[9] ea re spes te aliqua consolatur. Quæ gratia ne quid tibi prodesse posset, ego mea diligentia perfeci:

5. *Contemnendorum ... aratorum.* Suspicatus est Gruter. pannum esse Tullii purpuræ assutum. Cui adsentitur Desjard. et Schütz. qui quatuor hæc verba delet. Defendit recte Ern. qui genus hoc exquisitum loquendi *orationem contemnendorum*, id est, quasi contemnendi sint, etc. negat ejusmodi esse ut pro glossa haberi possit.

6. *Animos.* Alii, *amicos*, J. V. L.

7. Melius forte Lambinus, « hominum ». J. V. L. — Recepit Schütz.

8. Conjicit Ernest. vocabula *auctoritate* et *dignitate* permutata, quum illi magis conveniat *comprobare*, huic *cohonestare*. Frustra. *Auctoritas* ad eos qui decernendi Verri honoris fuerant auctores; *dignitas* ad testes refertur. Sensus est: Non ego dignis ac locupletibus iis testibus uti potero, quorum nomine, pondere et auctoritate usus es, ut statuis tuis aliquod decus adderes?

9. Cur *in ea re?* imo *ea re*, propterea. Ernest.

ut etiam obesse deberet, tu tua sapientia curasti. Etenim rem totam, judices, breviter cognoscite.

LXX. In scriptura[1] Siciliæ pro magistro[2] est quidam L. Carpinatius, qui et sui quæstus causa, et fortasse quod sociorum interesse arbitrabatur, bene[3] penitus in istius familiaritatem sese dedit. Is quum prætorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo umquam discederet; in eam jàm venerat familiaritatem[4] consuetudinemque in vendendis istius decretis et judiciis, transigendisque negotiis, ut prope alter Timarchides numeraretur. Hoc erat etiam capitalior, quod idem pecuniam iis, qui ab isto aliquid mercabantur, fœnori dabat. Ea autem fœneratio erat hujusmodi, judices, ut etiam hic quæstus huic cederet[5]. Nam, quas pecunias iis ferebat[6] expensas, quibuscum contrahebat; aut scribæ istius, aut Timarchidi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas. Idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fœnerabatur.

Hic primo Carpinatius, antequam in istius tantam

LXX. 1. *Scriptura.* Illud vectigal ex agris publicis pendebatur, quos privatim locabant homines, ut pecuariam facerent, i. e. in eos numerosos pecorum greges, quæstus sui causa, immitterent. Dicebatur *scriptura*, quia pastores oportebat ut numerum pecudom quos in agros publicos immitterent, ad publicanum profiterentur; quem numerum publicanus in tabulis suis describebat; unde vectigalis ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur.

2. *Pro magistro.* Publicani, seu romani equites, qui reipublicæ vectigalia redimebant, *magistrum* aliquem *societatis* eligebant, qui omnia societatis negotia Romæ administrabat. Magister vero ille in provinciam, cujus vectigalia conduxerat societas, vicarium mittebat, cui *pro magistro* nomen erat.

3. *Bene* delet Schützius. — *Omnia fora.* Id est, omnes urbes, seu conventus, in quibus prætor forum agebat sive jus dicebat.

4. Abest *familiaritatem* a codice Metelli, et satis recte abest. J. V. L.

5. *Huic cederet.* Ad Verrem rediret. Qui sensus magis cum sqq. congruere videtur, quam si, cum gallico interprete, intelligas, « priori quæstu esset major ».

6. *Iis ferebat.* Quas se mutuo dedisse pecunias scribebat, illas se a Verris scriba, aut Timarchide, aut ipso Verre accepisse in tabulis referebat.

familiaritatem pervenisset, aliquoties ad socios[7] literas de istius injuriis miserat. Canuleius vero, qui in portu Syracusis[8] operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat[9], ea quæ sine portorio[10] Syracusis erant exportata : portum autem et scripturam[11] eadem societas habebat. Ita factum est, ut essent permulta, quæ ex societatis literis dicere in istum ac proferre possemus. Verum accidit, ut Carpinatius, qui jam cum isto summa consuetudine, præterea re ac ratione conjunctus esset, crebras postea literas ad socios de istius summis officiis in rem communem beneficiisque mitteret. Etenim quum iste omnia, quæcumque Carpinatius postulabat, facere ac decernere solebat; tum ille etiam plura scribebat ad socios, ut, si posset, quæ antea scripserat[12], ea plane exstingueret. Ad extremum vero, quum iste jam decedebat, ejusmodi literas ad eos misit, ut huic frequentes obviam prodirent, gratiasque agerent; facturos se, si quid imperasset, studiose pollicerentur. Itaque socii fecerunt, vetere instituto publicanorum : non quod[13] istum ullo honore dignum arbitrarentur, sed quod sua interesse putabant, se memores gratosque existimari,

7. *Ad socios.* Id est, publicanorum societatem.

8. *Operas dabat. Operas dare* societati dicebatur is, qui vectigalium erat exactor, gall. *un commis.* Hujusmodi homines Cicero *servos* societatis appellat, inf. 77. Scilicet quum Romæ certo pretio a censoribus vectigalia, quæ pro exportandis rebus a provincialibus pendebantur, societates redimerent, socium aliquem in singulis provinciæ urbibus habebant, qui ea exigeret. Sic Valer. Maxim. VI, 9, 8 : « P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas publicanis dedit », ad quem locum doctorum animadversiones adi.

9. Vulg. « perscripserat ea, quæ ». J. V. L.

10. *Sine portorio.* Non soluto eo vectigali, quod pro trajectione rerum trans aquam, debebatur. — Portum h. l. gall. *la douane.*

11. *Scripturas.* Rectius, ut videtur, habet *scripturam* prima editione Lambinus; sed exinde mutavit. J. V. L.

12. *Quæ antea scripserat.* De Verris injuriis in societatem.

13. Scribunt *quo* Ernest. Schütz. alii. J. V. L.

gratias isti egerunt: Carpinatium sæpe ad se de ejus officiis literas misisse dixerunt.

LXXI. Iste quum respondisset, se ea libenter fecisse, operasque Carpinatii magnopere laudasset; dat amico suo cuidam negotium, qui tum magister erat ejus societatis, ut diligenter caveret atque prospiceret, ne quid esset in literis sociorum, quod contra suum caput atque existimationem valere posset. Itaque ille [1], multitudine sociorum remota, decumanos convocat: rem defert. Statuunt illi atque decernunt, ut eæ literæ, quibus existimatio C. Verris læderetur, removerentur, operaque daretur, ne ea res C. Verri fraudi esse posset. Si ostendo, hoc decrevisse decumanos; si planum facio, hoc decreto remotas esse literas: quid exspectatis amplius? possumne rem magis judicatam afferre, magis reum condemnatum in judicium adducere? At quorum judicio condemnatum? nempe eorum [2], quos ii, qui severiora judicia desiderant, arbitrantur res judicare oportere, publicanorum judicio; quos videlicet nunc populus judices poscit; de quibus, ut eos judices habeamus, legem ab homine [3] non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo, promulgatam videmus. Decumani, hoc est, principes et quasi senatores pu-

LXXI. 1. *Ille.* Magister ille societatis, remota publicanorum multitudine, tantum decumanos, i. e. societatis principes et quasi senatores, ut ait Cicero, convocat. Apparet inde hanc societatem etiam *decumas* habuisse; aut generatim publicanorum principes ad quos societatis reddenda ratio pertinebat, hoc nomine appellatos fuisse. Quod certius esse videtur. Cf. ad calc. orat. h. Exc. II de Vectig.

2. *Nempe eorum.* Equitum rom. quorum ex ordine erant publicani.

3. *Ab homine.* Nempe hoc ipso anno 683 C. Aurelius Cotta prætor legem tulit ut judicia inter senatores, equestrem ordinem, et tribunos ærarii communicarentur. Quod eum non infensum Patribus fecisse demonstrat orator, quippe qui patricius, sola judiciorum infamia ad id adductus sit ut legem promulgaret.

blicanorum, removendas de medio literas censuerunt. Habeo ex iis, qui affuerunt[4], quos producam [quibus hoc committam], homines honestissimos ac locupletissimos, istos ipsos principes equestris ordinis: quorum splendore vel maxime istius, qui legem promulgavit, oratio et causa nititur. Venient in medium; dicent, quid statuerint. Profecto, si recte homines novi, non mentientur. Literas enim communes de medio removere potuerunt: fidem suam et religionem removere non possunt. Ergo equites romani, qui te[5] suo judicio condemnarunt, horum judicio[6] condemnari noluerunt. Vos nunc, utrum illorum judicium, an voluntatem sequi malitis, considerate.

LXXII. At vide, quid te amicorum tuorum studium, quid tuum consilium, quid[1] sociorum voluntas adjuvet. Dicam paullo promptius: neque enim jam vereor, ne quis hoc me magis accusatorie, quam libere dixisse arbitretur. Si istas literas non decreto decumanorum magistri removissent; tantum possem in te dicere, quantum in literis invenissem. Nunc, decreto isto facto, literisque remotis, tantum mihi licet dicere, quantum possum[2]; tantum judici suspicari, quantum velit. Dico, te maximum pondus auri, argenti, eboris,

4. *Qui affuerunt*. Quum de literis delendis decretum est.—*Causa nititur*. Quia nemo est qui tales viros, tanto splendore ac decore, judicandi honore non dignos habeat.

5. *Qui te*. Etsi illi equites Verrem condemnandum esse judicaverunt, noluerunt enim condemnari, s. eum, quantum in se fuit, absolvendum curaverunt, propterea quod sua interesse putabant, se gratos erga Verrem existimari. Vos vero, judices, videte an sequi malitis eorum *voluntatem*, quæ apparet in literarum remotione, in qua cupiditas dominata est; an *judicium*, quo Verrem nocentem et damnandum esse cognoverunt. Facile h. l. videas hærere Ciceronem, quod equitum rom. offensionem vereatur; et ipse in seq. c. illud non obscure innuit.

6. *Judicio*. Addit *te* Lambinus.

LXXII. 1. *Sociorum*. Publicanorum. — *Promptius*. Liberius..

2. Ernest, mallet *possim*, quia sequitur *velit*. At *possum* definite dicitur, *velit* infinite. Sch.

purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam[3] supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam, Syracusis exportasse; his pro rebus, quod portorium non esset datum, literas ad socios misisse L. Canuleium, qui in portu operas daret.

Satisne magnum hoc crimen videtur? nullum, opinor, majus. Quid defendet Hortensius? postulabit, ut literas Canuleii proferam? crimen hujusmodi, nisi literis confirmetur, inane esse dicet? Clamabo, literas remotas esse de medio; decreto sociorum erepta mihi esse istius indicia ac monumenta furtorum. Aut hoc contendat numquam esse factum, aut omnia tela excipiat necesse est. Negas esse factum? placet mihi ista defensio : descendo[4] : æqua enim conditio, æquum certamen proponitur. Producam testes, et producam plures eodem tempore : quoniam[5] tum, quum actum est, una fuerunt, nunc quoque una sint, quum interrogabuntur; obligentur non solum jurisjurandi atque existimationis periculo, sed etiam communi[6] inter se conscientia. Si planum fit, hoc ita, quemadmodum dico, esse factum; num poteris dicere, Hortensi, nihil in istis fuisse literis, quod Verrem læderet? non modo id non dices, sed ne illud quidem tibi dicere licebit, tantum, quantum ego dicam, non fuisse. Ergo hoc

3. *Deliacam*. Mensas, lectulos ex ære Deliaco maximam, post Corinthia, famam habuisse constat ex Plin. lib. XXXIV, cap. 4. Cf. etiam Rosc. Am. cap. 46.

4. *Descendo*. Subintell. in campum, in certamen.

5. *Quoniam*. Plures simul citabo testes, ut, quia una fuerunt quum remotæ sunt literæ, nunc quoque una sint et obligentur, etc. — Loco *una sint*, quod ex cod. Metell. recepit Ernest. vulgo est *una sunt*.

6. *Communi*. Quia inter se norunt id quod actum est; et nemo ex iis, præsente altero, qui rem æqualiter tenet, mentiri audebit aut dissimulare. Alter igitur alterius conscientia ita impeditus erit, ut ab omni tum simulatione, tum dissimulatione revocetur, ne scil. mendacii ab aliis ejusdem rei consciis coarguatur.

vestro[7] consilio et gratia perfecistis, ut, quemadmodum paullo ante dixi, et mihi summa facultas ad accusandum daretur, et judicibus libera potestas ad credendum[8].

LXXIII. Quod quum ita sit, nihil fingam tamen: meminero, me non sumpsisse, quem accusarem[1], sed recepisse, quos defenderem; vos ex me causam non a me prolatam, sed ad me delatam, audire oportere; me Siculis satis esse facturum, si, quæ cognovi in Sicilia, quæ accepi ab ipsis, diligenter exposuero; populo romano, si nullius vim, nullius potentiam pertimuero; vobis, si facultatem vere atque honeste judicandi fide et diligentia mea fecero; mihimet, si ne minimum quidem de eo curriculo vitæ, quod mihi semper propositum fuit, decessero. Quapropter nihil est, quod metuas, ne quid in te confingam; etiam quod lætere, habes: multa enim, quæ scio abs te esse commissa, quod aut nimium turpia, aut parum credibilia sunt, prætermittam. Tantum agam de hoc toto nomine societatis. Ut jam scire possitis[2]; quæram, decretumne sit. Quum id invenero; quæram, remotæne sint literæ. Quum id[3] quoque constabit, vos jam, me tacito, intelligetis; si illi, qui hoc istius causa decreverunt, equites romani, nunc iidem in eum judices essent,

7. *Vestro*. Ad Verrem et ejus patronos refertur.—*Gratia*. Qua removendas literas impetrastis.

8. *Ad credendum*. In margine Lamb. affertur lectio ex MS, «ad cernendum», unde aliquis conjicit «ad decernendum». Vulgata tamen lectio vera est, et ad superiora refertur.

LXXIII. 1. *Quem accusarem*. Sæpius jam vidimus maxime curæ Tullio fuisse, ne accusatorum numero adscriberetur; illorum quidem, qui plurimi in Urbe male audiebant, invidiosumque in primis hoc nomen apud omnes fecerant. Conf. Rosc. Amer. cap. 2, et etiam Quintil. XII, 9.

2. Vulg. *possis*. Sed edd. pr. et codd. «eam si possit». Unde hæc eruitur nostra lectio. J. V. L.

3. *Quum id*. Postquam remotas literas vobis plane ostendero, tunc, vel me tacente, hoc intelligetis: nempe ab ipsis equitibus, si judicarent, damnatus fuisset Verres, quippe

istum sine dubio condemnarent, de quo literas eas, quæ istius furta indicarent, et ad se missas, et suo decreto remotas scirent esse. Quem igitur ab iis equitibus romanis, qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt, condemnari necesse esset; is a vobis, judices, ulla vi[4] aut ratione absolvi potest?

Ac, ne forte ea, quæ remota de medio, atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdite latuisse videantur, ut hac diligentia[5], quam ego a me exspectari maxime puto, nihil horum investigari, nihil assequi potuerit: quæ consilio aliquo aut ratione inveniri potuerunt, inventa sunt, judices: manifestis in rebus hominem jam teneri videbitis. Nam quod in publicanorum causis vel plurimum ætatis meæ versor, vehementerque illum ordinem observo[6], satis commode mihi videor eorum consuetudinem usu tractandoque cognosse.

LXXIV. Itaque ut hoc comperi, remotas esse literas societatis; habui rationem annorum, per quos iste in Sicilia fuisset. Deinde quæsivi, quod erat inventu facillimum, qui per eosdem annos magistri istius societatis fuissent. Sciebam enim hanc magistrorum, qui

qui per se ipsi scirent Verris furta, etc. Nota post *intelligetis* plenam esse phrasim; quod nisi esset, constructio *condemnaturos* postularet. Conf. sup. 71, sub fin.

4. *Ulla vi*. Nempe si judices contra leges, auctoritates, testimonia, improbum absolvant, id certe per vim faciunt, ac legibus vim inferunt. Itaque frustra emendandum censuit Ernest. « ulla via »; et frustra Schütz. hunc contra Beckium defendit.

5. Gronovius, Obs. I, 2: « hæc diligentia... nihil hor. investigare... » Habet quidem « investigare » unus e codd. reg. J. V. L. — Quod ni recipiatur, tunc passive erit *assequi*, quod durius videtur. Nihil enim ad rem faciunt deponentium participia, quæ sæpius hoc sensu usurpantur.

6. *Observo*. Cicero ipse ad Att. VI, 2, sibi applaudit de amore ac benivolentia qua ipsum publicani complectebantur, et quod eorum esset patronus. Inde est quod illis sæpius parcit.

tabulas haberent, consuetudinem esse, ut, quum tabulas novo magistro traderent, exempla literarum ipsi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium, equitem romanum, virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maxime quærendus erat, primum veni. Sane homini præter opinionem improviso incidi. Scrutatus sum[1], quæ potui, et quæsivi omnia. Inveni duos solos libellos, ab L. Canuleio missos sociis ex portu Syracusis: in quibus erat ratio scripta mensium complurium, rerum exportatarum istius nomine sine portorio. Itaque obsignavi statim. Erant hæc ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum literis reperire cupiebam; verum tantum[2] inveni, judices, quod apud vos quasi exempli causâ proferre possem. Sed tamen, quidquid erit in his libellis, quantulumcumque videbitur esse, hoc quidem certe manifestum erit: de ceteris ex hoc conjecturam facere debebitis. Recita mihi, quæso, hunc primum libellum; deinde illum alterum. Libelli Canuleii. Jam non quæro, unde cccc amphoras mellis habueris, unde tantam Melitensem vestem[3], unde quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra; non, inquam, jam quæro, unde hæc habueris: sed quo tibi tantum opus fuerit, id quæro. Mitto de melle: sed tantumne Melitensium? quasi etiam amicorum[4] uxores: tantum

LXXIV. 1. *Scrutatus sum*. Accusatoribus, prætoris lege atque imperio, potestas dabatur omnia, quæ apud quemque ad accusationem instruendam pertinentia reperirent, scrutandi ac obsignandi, et Romam deferendi, ne quid removeri posset. Sed lege excipiebantur tabulæ publicanorum, quominus Romam deportarentur.

2. *Tantum*. Paucos inveni libellos, at satis multos tamen ut judicaretis quot et quanta invenissem furtorum Verris argumenta, si plures ejusmodi tabulas reperissem.

3. Lambin. Grut. alii, « unde tantum Melitensium, unde quinquaginta ». J. V. L.

4. *Amicorum*. Patronorum, quos inde in invidiam adducit, quasi hæc eis aut eorum uxoribus donata fuerint.

lectorum? quasi etiam omnium istorum villas ornaturus esses.

LXXV. Quum hæc paucorum mensium[1] ratio in his libellis sit, facite, ut vobis triennii totius veniat in mentem. Sic contendo; ex his parvis libellis apud unum magistrum societatis repertis, vos jam conjectura assequi posse, cujusmodi prædo iste in illa provincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit; quantam pecuniam non solum numeratam, verum etiam hujusmodi in rebus positam, confecerit[2]. Quæ vobis alio loco planius explicabuntur: nunc hoc attendite. His exportationibus, quæ recitatæ sunt, scribit H-S[3] LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. Pauculis igitur mensibus, ut hi pusilli et contempti libelli indicant, furta prætoris, quæ essent H-S duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt. Cogitate nunc, quum illa sit hæc insula, quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis: quid Agrigento, quid Lilybæo, quid Panormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis: quid vero Messana; quem iste sibi locum maxime tutum arbitrabatur; ubi animo semper soluto liberoque erat, quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligentius servanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. His inventis libellis, ceteri[4] remoti et diligentius sunt reconditi: nos tamen, ut omnes

LXXV. 1. *Mensium*. Nannii codex, Beck. ac Schützius habent « paucorum mensum », quod sæpius contractum in veteribus libris videas.

2. *Confecerit*. Collegerit, acquisiverit.

3. *H-S LX*. Ratio postulat ut *LX millia* (12,300 fr.) scribatur. Nam quum Verres exportasset merces quæ essent *duodecies* centenum millium sestertium (256,000 fr.); vicesima pars quæ portorii nomine erat solvenda, est LX millia. De vicesima hac cf. Exc. II de Vectig. ad calc. h. orat.

4. *Ceteri remoti*. A publicanis nimirum, qui Verris causæ favebant.

intelligant, hoc nos sine cupiditate[5] agere, his ipsis libellis contenti sumus.

LXXVI. Nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi, quas removere honeste nullo modo potuerunt, et ad amicum tuum Carpinatium revertemur. Inspiciebamus Syracusis a Carpinatio confectas tabulas societatis, quæ significabant[1], multis nominibus eos homines versuram a Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. Erit vobis luce clarius, judices, quum eos ipsos produxero, qui dederunt : intelligetis enim, illa tempora, per quæ, quum essent in periculo, pretio sese redemerunt, cum societatis tabulis non solum consulibus[2], verum etiam mensibus, convenire.

Quum hæc maxime cognosceremus, et jam in manibus tabulas haberemus; repente adspicimus lituras ejusmodi, quasi quædam vulnera[3] tabellarum recentia. Statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos animumque transtulimus. Erant acceptæ pecuniæ a C. VERRUTIO, C. F.[4], sic tamen, ut, usque ad alterum R, literæ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura[5]. Alterum, tertium, quartum, per-

5. *Sine cupiditate.* Non accusatorio odio, sine ira aut dolore.

LXXVI. 1. *Quæ significabant.* In quibus ostendebatur eos, qui pecuniam Verri dedissent, eam mutuam sub usuris non semel a Carpinatio sumpsisse. Hoc est enim « versuram facere ». De Carpinatio conf. sup. 71.

2. *Consulibus.* I. e. anno ipso. Anni enim per consules numerabantur; neque anno tantum, sed quo clarius res pateat, *mensibus* etiam convenire.

3. *Quædam vulnera.* Scil. abrasæ priori scripturæ, posterior imponebatur. Sic afflicti erant MSS illi codices, quos παλιμψήστους vocamus, et unde tam miras opes hisce temporibus eruit curiosa feliciter doctorum prudentia.

4. Gruterus revocavit « C. F. » e MSS. Antea deerant. J.V. L.

5. *In litura.* Nam antea scriptum fuerat « a C. Verre acceptas fuisse pecunias, quæ datæ erant »; sed deinde, ne res ea isti noceret, sic correctum erat, ut scriberetur « Verrutio ». Prioris igitur nominis ultima syllaba *re* detrita, repositum fuerat *rutio;* ita tamen ut legeretur « C. Ver » integris sane literis, et altera pars nominis, i. e. *rutio*, seu cauda Verris, tamquam in luto, jaceret in litura. Cf. inf. 78.

multa erant ejusdemmodi nomina. Quum manifesta res[6], tum flagitiosa tabularum atque insignis turpitudo teneretur; quærere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius, quicum tantæ pecuniæ rationem haberet. Hærere homo, versari, rubere. Quod lege excipiuntur tabulæ publicanorum, quo minus Romam deportentur; ut res quam maxime clara ac testata esse posset, in jus ad Metellum Carpinatium voco, tabulasque societatis in forum defero. Fit maximus concursus hominum; et, quod erat Carpinatii nota cum isto prætore societas ac fœneratio, summe exspectabant omnes, quidnam in tabulis contineretur.

LXXVII. Rem ad Metellum defero, me tabulas perspexisse sociorum, in his tabulis magnam rationem C. Verrutii permultis nominibus esse, meque hoc perspicere ex consulum mensiumque[1] ratione, hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque post decessionem quidquam cum Carpinatio rationis habuisse. Postulo, mihi respondeat, qui sit iste Verrutius; mercator[2], an negotiator, an arator, an pecuarius[3]; in Sicilia sit, an jam decesserit. Clamare omnes ex conventu, neminem umquam in Sicilia[4] fuisse Verrutium. Ego instare, ut mihi responderet, quis esset, ubi esset, unde esset: cur servus[5] societatis,

6. *Manifesta res.* Wytteob. Bibl. crit. I, 2, 12, emendat: « manifesta re tam fl. » Schütz. recepit. Beck. particulam *tum* uncinis inclusit. Desjard. et Hotom. putant loco *tum* reponendum *quum*, quod felicius videtur.

LXXVII. 1. Alii e codd. ut supra, *mensum* pro *mensium*. J. V. L.

2. *Mercator, an negot.* Nempe mercatores sedem habebant Romæ, ubi erat collegium mercatorum; negotiatores vero plerumque in provincia domicilium collocabant.

3. *Pecuarius.* Is est qui quæstus sui causa pascua publica redemit, in quæ mittat pecora et armenta. Est etiam publicanorum genus: inde est quod supra pecuariorum ordinem citavit cap. 6.

4. Sic Lallem. e cod. Metell. et Paris. Vulgo « ex Sicilia ». J. V. L.

5. *Cur servus.* Cur scriba ille pu-

qui tabulas confecerit, semper in Verrutii nomine, certo ex loco, mendosus esset. Atque hæc postulabam, non quo illum cogi putarem oportere, ut ea mihi responderet invitus; sed ut omnibus istius [6] furta, illius flagitium, utriusque audacia perspicua esse posset. Itaque illum in jure [7] metu conscientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix vivum relinquo: tabulas in foro, summa hominum frequentia, exscribo: adhibentur in exscribendo de conventu viri primarii; literæ lituræque omnes assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. Hæc omnia summa cura et diligentia recognita et collata, et ab hominibus honestissimis obsignata sunt. Si Carpinatius tum mihi respondere noluit; responde mihi nunc tu, Verres, quem esse hunc tuum pæne gentilem [8] Verrutium putes. Fieri non potest, ut, quem video, te prætore, in Sicilia fuisse, et quem ex ipsa ratione [9] intelligo locupletem fuisse, eum tu in tua provincia non cognoris. Atque adeo, ne hoc aut longius, aut obscurius esse possit, procedite [10] in medium, explicate descriptionem imaginemque tabularum: ut omnes mortales istius avaritiæ non jam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint.

LXXVIII. Videtis Verrutium? videtis primas literas

blicanorum, qui has tabulas confecisset, semper in hoc nomine et «certo ex loco», id est, post primam syllabam nominis peccasset.

6. *Istius.* Verris. *Illius.* Carpinatii.

7. *In jure.* Ante prætoris tribunal.

8. *Gentilem.* Propter nominis similitudinem.

9. *Ex ipsa ratione.* Nempe ex ea negotiorum serie quæ cum Carpinatio habuit. — *Non cognoris.* Ingeniose in Verrem: quum iste omnes in Sicilia locupletes curiose investigaret, et etiam tum Romæ, «jam quæsisset non modo furandi genera, sed etiam nomina», ut sup. 6.

10. *Procedite.* Scribas alloquitur.— *Explicate.* Aperite librum, seu tabulas, quas in foro Syracusis exscripsi.— *Cubilia.* Metaphora a feris desumpta, ad Verris nomen alludit Cicero, necnon et initio sequentis capitis.

integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tamquam in luto, demersam esse in litura? Sic habent se tabulæ, judices, ut videtis. Quid exspectatis? quid quæritis amplius? tu ipse, Verres, quid sedes? quid moraris? nam aut exhibeas nobis Verrutium, necesse est; aut te esse Verrutium fateare.

Laudantur [1] oratores veteres, Crassi illi et Antonii, quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorum causas defendere solebant. Nimirum illi non ingenio solum his patronis, sed fortuna etiam præstiterunt. Nemo enim tunc ita peccabat, ut defensioni locum non relinqueret: nemo ita vivebat, ut nulla ejus vitæ pars summæ turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccatu [2] tenebatur, ut, quum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si negaret. Nunc vero quid faciat Hortensius [3]? avaritiæne [4] crimina frugalitatis laudibus deprecetur? At hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendit. An ab hac ejus infamia, nequitia [5], vestros animos in aliam partem, fortitudinis commemoratione, traducat? At homo inertior, ignavior, magis vir [6] inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non potest. At mores commodi [7]. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At hæc

LXXVIII, 1. *Laudantur*. Ita codd. Male Ern. Schütz, « laudabantur... solerent ». J. V. L.

2. *Peccatu*. Sic Tiro ipse scripserat, teste Gellio, XIII, 19. J. V. L.

3. *Faciat Hortensius*. Cujus conditio Crassi et Antonii fortunæ tam dissimilis est in eo, quem defendit, cliente. Quid faciat? qua ratione Verrem defensurus est, cujus vitæ pars nulla summæ turpitudinis est expers.

4. *Avaritiæ*. An cupiditatis labem frugalitatis laude excusare tentabit?

5. Forsan legendum « ab hac ejus infami nequitia », adnotante Gulielmio; Hotomannus, contra ceteros libros, edidit « infamia nequitiæ ». J. V. L.

6. *Magis vir*. Notum illud in Cæsarem Curionis dictum: « eum esse omnium mulierum virum, et omnium virorum mulierem ».

7. *Mores commodi*. At enim si muliere ignavior, atque impurior est

sine cujusquam malo. Quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior unquam fuit? In hoc homine, atque in ejusmodi causa quid facerent omnes Crassi et Antonii? Tantum, opinor[8], Hortensi, ad hanc causam non accederent, ne in alterius impudentia sui pudoris existimationem amitterent. Liberi[9] enim ad causas solutique veniebant, neque committebant, ut, si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

Verres, poteris forsan, mores ejus mites et ad omnis humanitatis speciem compositos laudare.

8. *Tantum, opinor.* Tantum abest ut defenderent causam huic similem, ut contra ne id quidem tentarent; ne hominem aperte improbum defendendo ipsi impudentes viderentur.

9. *Liberi enim.* Non accepta mercede illigabantur, neque id committebant, quod commisit Hortensius, qui, si defendit Verrem, impudens est; si deserit, quum multa ab eo acceperit, ingratus existimabitur. Acceperat Hortensius autem præter cetera, sphingem æneam magnæ pecuniæ. Unde Ciceronis in eum jocus est. Nam quum illi testem in judicio Verris roganti dixisset Hortensius: non intelligo hæc ænigmata; atqui debes, inquit, quum sphingem domi habeas. Conf. Quintil. VI, 3. Plin. XXXIV, 8. Plutarch. in Cic. 10, et *Sallier* in dissertat. de Q. Hortensio, *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-lettres*, t. IX.

EXCURSUS

DE PRÆTORE PROVINCIALI.

Prætura Romæ, ut supra vidimus (ad calcem Verr. I), in jurisdictionibus, seu quæstionibus exercendis transacta, postero anno in provincias, quas obtinuerant, prætores proficiscebantur, ornatas decreto senatus, cujus fuit ornamenta provinciarum dare, atque adimere; augere, atque minuere pro arbitrio. In his autem ornamentis fuit latitudo provinciæ; magnitudo exercitus; stipendium in milites; viaticum et alimenta in legatos, tribunos militum, præfectos, reliquosque prætoris ministros, majoresve, aut minores, qui omnes uno cohortis prætoriæ nomine comprehendebantur; vasa, vehicula, tabernacula, muli, vestes et annulus, quem de publico datum etiam fuisse scribit Zonaras. Hoc omne, vasarii nomine, prætori de publico dabatur; atque illud erat, «ornare provinciam». Meminit Cicero in Verr. lib. IV, cap. 5. «Alexander Severus, inquit Capitolinus, exemplo veterum argento et necessariis magistratus quos in provinciam mittebat, instruebat; ita, ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena; phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos binos».

Prætorem in provinciam exeuntem adjutores et ministri magno numero sequebantur : quos omnes cohortis prætoriæ nomine mox complexi sumus.

Cohors prætoria duplex fuit; altera militaris, constans peditum manu, et equitum turma, ad tutelam imperatoris; altera domestica ex iis quos ministros imperii sui, et adjutores negotiorum publicorum prætori dabat ipsa respublica.

Sunt qui velint cohortem prætoriam militarem peditibus solum constitisse; eamque ab initio ipso rerum romanarum institutam fuisse. Sane ejus mentio jam a temporibus P. Postumii dictatoris occurrit apud Livium, his verbis: « Cohorti suæ, quam delectam manum præsidii causa circa se habebat, dat signum. Cohors dictatoris tum primum prælium iniit ». Liv. II, 20. His verbis, « Cohors dictatoris, etc. » docemur 1° cohortem illam jam ante Postumii tempora fuisse institutam; 2° eam non, nisi quum necessitas cogeret, pugnasse; atque ante Postumium numquam prælium iniisse. Nihilominus istud prætoriæ cohortis institutum Festus refert ad P. Scipionem Africanum: « Prætoria cohors est dicta, inquit, quod a prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab ipso in bello non discederet, et cetero militiæ munere vacaret, et sesquiplex stipendium acciperet ». Uter igitur audiendus? Liviusne, an Festus? Neutrum erroris argues, si Lipsium audieris: « Jam quidem, inquit, a Postumii temporibus fuit cohors prætoria, sed raro usurpata: fuit e voluntariis fortasse, aut in unius pugnæ eventum captis. At Scipio, ut ordinaria esset, ut munerum militiæ vacationem, et stipendium amplius haberet, instituit; ac proinde ejus auctor a Festo habitus est ». Lips. de Milit. II, 4. Porro institutum illud idem Lipsius referendum putat ad Africanum minorem, seu Numantinum, 1° quia silet de illo Polybius; quod argumento est, illud ævo majoris Africani in usu non fuisse; 2° auctoritate ductus Appiani, qui Ibericorum pag. 516, scribit « Numantinum clientes et amicos ex Urbe eduxisse ad quingentos, quos in turmam unam redactos vocabat φίλων ἴλην, i. e. cohortem amicorum ». Cohortes prætoriæ Marii, Petreii, Antonii, Sallustio et Plutarcho memorantur. Cæsar nullam videtur habuisse. Ducibus olim singulæ, postea duci uni plures cohortes additæ sunt. Prætoriani milites, gall. *la garde prétorienne*, exemplo prætorianæ cohortis ad principum tutelam insti-

tuti sunt: in novem cohortes ab Augusto divisi, quarum numerum, qui sequuti sunt Augustum, principes auxerunt. Selecti omnes hi fuerunt milites, et robore, et gente, ut ex sola fere Italia assumpti.

Altera fuit cohors prætoria, quæ propius ad hoc quod tractamus argumentum pertinet, et quam domesticam prætoris appellavimus. Dicta est prætoria, quod a prætore, ut illa militaris, nusquam discederet; domestica, quod aut ex domesticis esset convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus. Cic. ad Quint. Epist. I, 1: « Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, etc. »

Cohors prætoria domestica complexa est adjutores, ministros, comitesque omnes præsidum, quos, quum usus ratioque provinciæ, tum dignitas ipsa magistratuum, ac reipublicæ postulavit.

Adjutores fuerunt, legati, tribuni militum, centuriones, præfecti, decuriones, aliique militarium operum; assessores, consiliarii, quos jurisperitos secum ducebant, quorum consilio secundum jura causas definirent: scribæ, accensi, præcones, lictores, interpretes, tabellarii, aruspices, cubicularii, medici, et qui quotidianæ vitæ prope socii fuerunt, inter ministros referendi sunt. Contubernales, et ipsi in comitatu prætoris numerabantur, sed neque adjutores erant, neque ministri.

Jam vero singula hæc aut officia, aut ministeria sigillatim explicanda sunt.

Legati magistratibus in omni provinciali, ac bellico munere adjutores dabantur, ut vicariam eis operam præstarent. Legatos permissu senatus a prætoribus fuisse adscitos, aut certe lege aliqua extra ordinem delectos dico. Ad primum, Cicero testis adducitur in Vatin. cap. 15; ad alterum idem Cicero, lib. I in Verr. cap. 15.

Legatorum numerus qui minimus, trium fuit. Verumtamen

in statuendo numero habita ratio fuisse videtur provinciæ, et belli, et ipsius denique hominis; si quidem Pompeio lege Gabinia quindecim datos fuisse constat. Quoniam autem præsides legatis potestatis, atque imperii sui partem communicabant, unde eos Cicero appellat « ministros muneris provincialis », in Vatin. cap. 15 : hinc factum est, ut et ipsi legati lictoribus, ac fascibus uterentur, maxime quum fiduciariam operam præstarent, pro prætore relicti, aut missi quopiam a prætore.

Tribuni militum solis peditibus præfuerunt : sic dicti sunt, auctore Varrone, quod initio terni essent in legione, i. e. quum ipsa tribus peditum millibus constabat. Ut autem numerus peditum in legione auctus est, sic tribunorum crevit etiam numerus; ita ut a tribus ad quatuor, et inde ad sex pervenerint, quum nempe ex senis millibus peditum cœpit confici legio. Mille ergo pedites ducebat tribunus : et quum Horat. Sat. I, 6, 48, dicit, sibi legionem romanam paruisse tribuno, intelligendus est, quasi dixerit, partem sextam legionis, hoc est, mille homines sibi paruisse; quum, Bruto duce, pugnavit ad Philippos.

Tribuni militum, primis temporibus, omnes ab imperatoribus legebantur. Post autem, anno Urbis 393 institutum ut pars eorum populi suffragiis crearetur; partem imperatores solito de more facerent. Testis Livius, lib. VII, c. 5. Hinc est, quod Asconius tribunorum militarium genera distinguit duo: primum, eorum qui in exercitu creati, Rufuli dicebantur, seu Rutuli, a quodam Rutilio Rufo, qui legem tulerat, qua eis cavebatur multis modis: (Festus) alterum eorum, qui comitiati appellabantur, quia Romæ a populo comitiis designabantur. Mansit ille mos legendi, et creandi tribunos militum ad usque novissima tempora reipublicæ.

Centuriones in legione erant sexaginta; centurioni pedites centum parebant.

Præfecti et decuriones equestribus copiis sociorum præ-

fuerunt. Illi alas, hi turmarum decurias ducebant. Erant præterea præfecturæ in exercitu aliæ multæ: præfecti castrorum; præfecti evocatorum; præfecti fabrum apud auctores celebrantur. Atque has quidem omnes ab imperatore delatas fuisse existimo. Declarat Corn. Nepos, in Att. c. 6, quum scribit Atticum multorum consulum, prætorumque præfecturas delatas sic accepisse, ut neminem in provincia sequeretur. Et Cicero, lib.V ad Att. epist. ult. « Scaptius ad me in castra venit..... præfecturam petivit. Negavi me cuiquam negotianti dare ».

Usum præfecturarum alium etiam indicat Manutius, quum ad hunc locum Ciceronis addit jurisdictionem : et epist. 1 lib. VI, ad hæc verba, « quid dicam de illius præfectis? jus, inquit, in provincia dicentibus ». Jurisdictionem ergo præfectis nonnumquam, ut legatis et quæstoribus suis, in provincia deferebat prætor. At istud puto certius, præfecturas intelligi his locis apud Ciceronem eas, quæ darentur negotiatoribus, ut equitum, quos ducerent, terrore, pecunias quas sub usuris apud provinciales collocaverant, facilius extorquerent: atque eam esse mentem Ciceronis existimo. Ait enim eadem epistola ultima libri quinti, « Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios [quibus pecunias crediderat] coerceret; et eumdem habuerat præfectum : vexabat Salaminios : ego equites ex Cypro decedere jussi ». An ista possunt ulla ratione pertinere ad jurisdictionem?

Hactenus prætorum adjutores. Venio nunc ad ministros, qui quid fuerint ipsi ferme nomine suo declarant.

Apparitores communi nomine dicebantur omnes magistratuum ministri, quia magistratibus apparere, et semper eorum imperio præsto esse debebant. Hæc ministeria libertis fere suis quisque magistratus more majorum mandavit: atque ita porro liberti, sive libertini, erant plerique ex ministris, uti accensi, præcones, etc. non autem scribæ : non quod apparitorum de numero non fuerint, sed quod

eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis constitisse animadvertimus, inquit Sigon. de Antiquit. jur. civ. Rom. lib. II, cap. 15. Refellit Sigonium Horatius, Sat. I, 5, 66; nisi dixeris Sarmentum scribam privatum dominæ fuisse. Aliud enim erat, scriba privati esse, ut Tiro fuit Ciceronis; aliud, in scribarum ordinem referri. Utut sit, ego non credo libertinos a scribarum ordine fuisse dejectos, quibus ordo senatorius etiam quandoque patuit.

Scribas Festus definit « librarios, qui rationes publicas scribunt in tabulis ». Illorum ergo munus fuit, ut rationes publicas in tabulas referrent : leges et acta in commentarios redigerent. Hinc « scriptum facere » apud Liv. IX, 46, est, scribæ munus exercere.

Quum scribæ multi essent in civitate, factum est, ordinis sui servandi gratia, ut in decurias describerentur. Decuriæ dicebantur collegia, in quibus librarii, scribæ, lictores, viatores, nomenclatores, accensi magistratuum romanorum censebantur. Fuerunt ergo decuriæ scribarum prætoriorum, ædilitiorum, quæstoriorum, prout a prætoribus, ædilibus, quæstoribusve essent lecti; uti L. ille Petillius, quem scribam Q. Petillius quæstor in decuriam legerat (Livius, XL, 29); aut prout magistratibus essent additi ministri. Hinc memoratur apud Gruterum et Reinesium « scriba ædilium; ædilium curulium; pontificum; scriba quæstorius; prætorius; publicus ». Ex senatusconsulto anni 743 curatoribus aquarum publicarum et insignia quasi magistratibus conceduntur, et scribæ librarii attribuuntur.

De scribarum ordinis dignitate docti multa disputant. Qui eum ordinem honestum esse volunt, auctorem habent Ciceronem, qui lib. III in Verr. cap. 79, sic ait : « Ordo scribarum est honestus; quis negat?..... Est vero honestus quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committuntur ». Qui vilem eum fuisse contendunt, his Nepotis verbis id probare conantur : « Itaque eum habuit ad manum scribæ loco, quod multo apud

Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur». Cornel. Nep. in Eum. cap. 1. In hoc Nepotis loco notanda duo occurrunt: 1° Graii illi, apud quos honorificentius fuisse ait scribarum munus, quam apud Romanos, non sane fuerunt Athenienses. Declarant scriptores, quorum adducunt testimonia Sam. Petitus ad leges Attic. pag. 257, 258, et Spanhem. de Numism. dissert. 9, pag. 704. Sed Græcos illos fuisse existimo, qui in Asia Minore ad oram maris Ægæi incolebant: quippe Actor. Apostol. XIX, 35, memoratur scriba sedans turbas; quod indicio est non levem ejus auctoritatem fuisse apud populum Ephesium. 2° Mercenarios scribas Romæ fuisse, atque ideo pro vilibus habendos esse ait Nepos, quod mercedem acciperent de publico; sed non video cur viliores ob id existimandi sint, quam majores illi magistratuum adjutores, et magistratus ipsi provinciales, quorum in sumptum erogabatur pecunia de publico. Sive enim scribæ pecunia numeretur in sumptus proprios, sive quæstori attribuatur in sumptus alterius, puta legati, leve est discrimen: legatus juxta ac scriba mercedem operæ suæ de publico accipere uterque dicendus est, hic per se, ille per alium. Non igitur admodum gravis est Nepotis contra scribarum dignitatem auctoritas. Magis me moveret Livius, dum, lib. IX, cap. 46, narrat Cn. Flavium, ædilem factum, repudiatum fuisse, quod scriba esset; neque nomen ejus acceptum fuisse prius, quam jurasset «se scriptum non facturum»; si non viderem senatum indignatione exarsisse, non tam quod Flavius esset patre libertino, humili fortuna ortus, quam quod Flavium dixerat ædilem forensis factio, et quod is fastos promulgaverat. Plin. lib. XXXIII, cap. 6. Illud opinionem eam in qua sumus, scribarum ordinem et honestum et honorificum fuisse, præterea confirmat, quod aditus scribis ad majores honores non fuerit interclusus; Cicereii, qui Scipionis Africani majoris scriba fuerat, exemplum ostendit,

apud Val. Maxim. III, 5, 1, et IV, 5, 3. Quin et Cicero in libris de Offic. quemdam memorat, qui quum in Sullæ dictatura scriba fuisset, post, in Cæsaris, prætor urbanus fuit.

Ergo scribarum ordo ex se honestus Romæ fuit, et honorificus: at quia plerique libertini et servi locum illum pecunia emebant, ut notat Cicero Verrina tertia, quod per se munus honorificum fuit, per sordes dedecoratum est. Itaque Cicero duo scribarum genera diserte distinguit, ibid. cap. 79: unum eorum, qui illo ordine digni sunt, patrumfamilias, virorum bonorum, atque honestorum: alterum eorum qui nummulis corrogatis de nepotum donis, ac de scenicorum corollariis decuriam emebant.

Suos quisque magistratus tum in Urbe, tum in provinciis habuit scribas. Hi sortiebantur inter se ad ærarium procurationis suæ partes, quas sustinerent ad tempus: nempe qui scriba esset consulis; qui, tribuni plebis, etc. Cic. Catil. IV, cap. 7.

Qui magistratibus in Urbe apparebant scribæ, eos leges quodammodo in manibus habuisse, et magistratibus jus suggessisse ostendit Cicero, de Legg. lib. III, cap. 18. Quod ipsum etiam testatur Plutarch. in Cat. min. his verbis : « Cato, quum quæsturam inisset, ministros et scribas coercuit, qui publicas tabulas, legesque tractantes, quum adolescentes nacti essent, quibus magistratibus apparerent, quod ii propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant magistratus ».

Accensus, quod fuit alterum ministrorum genus, ab acciendo dictus, erat magistratibus præter lictores attributus, qui et acciret ad prætorem, qui jus eum poscerent, et qui molestis interpellatoribus, et diutius quam oporteret loquentibus, silentium imponeret. Libertis suis hoc muneris vulgo magistratus dabant. Testis Cicero ad Q. Fratr. Epist. I, 1, 10. Neque vero quum dixit, in Verr. lib. I, cap. 28: « Homo ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Ne-

roni fuit, P. Tettius», alium ordinem, quam libertinorum, intellexit, ut ad hunc locum observavimus, in quibus, ut in servis, frugalitas commendatur.

Antequam horologia Romæ essent, accensorum hoc etiam officium fuit, ut clamarent esse horam tertiam, meridiem, et nonam. Varro de Ling. Lat. lib. V.

Præconum in civitate usus fuit varius, et multiplex: in auctionibus, ut ad hastam starent, et pretia oblata nuntiarent: in concionibus, ut audientiam facerent: in comitiis magistratuum, ut tribus ad suffragia ineunda citarent; et eos, qui designati erant, renuntiarent: in judiciis et quæstionibus, ut judices, reos, accusatores, defensores, testes citarent: in suppliciis, ut causam damnationis dicerent: in funeribus, ut ad exsequias evocarent.

Liberos fuisse præcones exemplo sit Nævius ille, cui «quum natura nihil melius quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, vocem in quæstum contulit, etc.» Quibus tamen verbis eum libertini filium fuisse Cicero mihi tacite videtur indicare, pro Quint. cap. 3.

Præcones a consulibus ex civibus romanis legebantur: eorum multæ erant decuriæ.

Lictores Festus dictos putat, quod fasces virgarum ligatos ferrent: male: a ligandis reis nomen habuerunt. Illorum origo a Romulo; exemplum ab Etruscis fuit, Liv. I, cap. 8. Fuerunt liberi. Eligebantur plerumque ex ima Quiritium plebe. Idem, II, 55. Sed togæ jus illis fuit; atque ideo cives fuerunt. In Pison. cap. 23.

Lictoribus usi sunt dictatores, consules, prætores, et quicumque magistratus potestatem, et imperium habuerunt. Nam viatoribus tantum utebantur ii, quorum sola potestas erat, sine imperio. Lictoribus viginti quatuor dictator: duodecim, consul penes quem erant fasces; alter vero duobus: sex, prætor utebatur.

Lictorum munus erat triplex. Ibant ante magistratum non gregatim, aut temere, sed singuli, ordine, ita ut lineam

ducerent: et qui magistratui proximus esset, proximus appellaretur. Cic. in Verr. V, cap. 54. Populum summovebant venienti magistratui. Sontes virgis cædebant, et securi feriebant. Cic. ibid. Liv. lib. I.

Interpretes adhibebantur ad interpretandam prætori populorum externorum orationem, aut ad prætoris decreta gentibus exteris explicanda. Fuere ex apparitorum et libertinorum numero.

Tabellarii erant, qui epistolas ultro citroque ferrent. Hieron. ad Niceam, lib. I, epist. 1: «Ante chartæ, et membranarum usum, inquit, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutua epistolarum alloquia missitabant; unde et portitores earum tabellarios, et scriptores, a libris arborum, librarios vocavere».

Aruspices extorum scientiam tenebant. Exta inspiciebant, et quid portenderent, imperatori referebant. Ostenta, prodigia interpretabantur.

Contubernalium nomine significantur nobiles adolescentes, qui rei militaris percipiendæ et provinciæ cognoscendæ gratia, magistratus in provinciam sequebantur; ut militaribus sermonibus, et interdum consiliis interessent, et usu rerum peritiores evaderent. Nam contubernium est vocabulum castrense, usurpari solitum de militibus decem sub uno papilione, seu tentorio degentibus. Inde factum ut adolescentes illi, propterea quod familiariter cum magistratibus vixerunt, neque ab eorum lateribus discesserunt, in eorum agere contubernio, et contubernales esse dicerentur. Sic M. Cælius, ille quem Cicero defendit, in Africa Q. Pompeio; sic L. Gellius C. Carboni; sic L. Torquatus Ciceroni consuli contubernalis fuit.

His omnibus, quos hactenus recensui, ministris aut adjutoribus, adjungendi sunt jurisperiti, quorum consilio; servi publici, quorum etiam ministerio magistratus provinciales uterentur. Illos ex Urbe secum ducebant. Hi perpetui erant in provincia. Ejusmodi fuerunt Venerii illi, de quibus

frequens est mentio in Verrinis : et Bruttiani, sive e Bruttio acciti homines quos magistratibus in provincias euntibus in servorum vicem parere et præministrare dicit A. Gellius, quem adi lib. X, cap. 3.

Hic erat provincialis prætoris comitatus : hi simul omnes cohortem prætoriam domesticam conficiebant.

Quæstorem inter prætoris ministros non recensui, quia ejus ratio longe alia fuit, atque ceterorum. Hic enim a populo potestatem a prætoria separatam accepit; neque apud prætorem asseclæ, sed filii locum obtinuit. Divinat. c. 19. Ad Div. XIII, 10.

In singulas provincias singuli quæstores; at in Siciliam duo mittebantur. Legebantur eo modo, quo præsides; et provincias in sortem conjiciebant. Quæstorum procuratio fuit duplex : urbana, eorum qui ærario populi romani præessent; provincialis, eorum, qui cum consulibus, aut cum prætoribus in provincias irent. Quod ita institutum declarat Cicero non uno loco.

Si quando quæstor in provincia moreretur, in demortui locum prætor proquæstorem adsciscebat. Sic C. Malleolo quæstore Dolabellæ occiso, Verres a Dolabella statim proquæstor esse jussus est. In Verr. lib. I, cap. 14. Quæstorum provincialium munus hoc erat, ut pecuniam prætori ex ærario a senatu attributam, a tribunis ærarii acciperent, quam in stipendium et frumentum legatorum, ac totius prætoriæ cohortis insumerent. Totius præterea rei frumentariæ administrationem a prætore sibi commissam habuerunt. Cic. Verr. I, c. 14 et 38. Frumentum Romam mittendum curabant. Pro Planc. c. 26. Prædam ab hostibus captam vendebant; pecuniam inde redactam in publicas tabulas referebant. Liv. lib. IV, c. 53. Jurisdictionem, absente prætore, in provincia sua exercebant. Divinat. c. 17.

Eorum insignia erant, toga prætexta; scribæ ad conficiendas tabulas publicas; lictores, ad majestatem tuendam magistratus. In Verr. lib. II, c. 4.

Quæstorium dicebatur tabernaculum seu domus quæstoris, ut prætorium, domus prætoris.

Expositis iis quæ ad præsides, et eorum ministros pertinent, restat ut eorum in provinciam profectionem, et quonam modo ibi se gesserint exponamus.

In provinciam profecturi magistratus in Capitolium prius ascendebant, ubi solennia pro republica vota nuncupabant; atque inde paludamento, lictoribus, insignibusque imperii ceteris assumptis, recta ad portam Urbis ibant; et amicis eos, officii causa, aliquanto viæ spatio prosequentibus, ac bene ominantibus, iter ingrediebantur : aut si quid negotii in Urbe haberent, ad Urbem per aliquot dies, aut menses manebant, quod in ea cum imperio esse non possent. Cæsar de B. Civ. lib. I, c. 6. Festus voc. *Prætor.*

Moris fuit ut decessorem suum præses de adventu suo in provinciam certiorem faceret; scilicet ut cum eo congrediens de statu posset provinciæ cognoscere. Cic. ad Div. III, epist. 6. Ulpian. Dig. lib. I, tit. 16, l. 4, § 4.

Prætoris in provinciam adventus magnis provincialium studiis, laudibus, feriatis diebus, aliisque publici gaudii significationibus celebrabatur. Ei lætissimo agmine procedebatur obviam; flores spargebantur; incendebantur odores; aulæis parietes contegebantur; epulæ, ludi, et cetera id genus, apparabantur; hostiæ quandoque immolabantur. Sallust. Hist. II, 7. Val. Max. IX, 1, 5. Nihil denique quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque communium, qua prætor iturus erat, aut potius ad projectissimam adulationem, saltem extremis reipublicæ temporibus, excogitari poterat, relinquebatur. Hirtius de Bell. Gall. c. 51. Sic provincia inaniter et effuse de illorum adventu exsultabat, quorum sæpe tyrannicam dominationem mox erat expertura, ac Romæ plerumque frustra conquestura.

Quo die prætor in provinciam accedebat, eodem provincialis muneris, imperiique initium capiebat. Lex Cornelia Syllæ dictatoris concedebat ei, cui succedebatur, ut per

triginta dies post successoris adventum in provincia morari posset.

Præsidis officium provinciale in duas partes fuit, ut diximus, distributum : potestatem, et imperium. Potestas, fuit facultas cognoscendi; imperium, exercitui imperandi, bellumque gerendi. Æstatem fere rei militari; hiemem prætoriæ cognitioni, quæ in jurisdictione potissimum est versata, dicabant.

Quoniam autem horum officiorum neutrum tueri, nisi variis itineribus per provinciam faciendis, potuerunt, de iis pauca præmittenda sunt.

Primis temporibus iter ita facere præsides romani per provinciam solebant, quod jam a nobis observatum est, ut sociis nulli oneri, neque sumptui essent; quippe qui hospites etiam privatim haberent, ad quos plerumque diverterent. Postea vero, gliscente libidine, sociis usque adeo incommodi esse cœperunt, ut eorum multorum adventus parum ab hostili impressione differret. Quocirca multis legibus eorum constringenda libido fuit.

Primus Cato, quum Sardiniam obtineret anno 555, sumptus, quos in cultum prætorum socii facere soliti erant, circumcidit, aut sustulit : atque huic malo nihilominus in dies ingravescenti remedia alia subinde allata sunt, donec lex Julia, quam Cæsar tulit in primo consulatu, præter cetera, quid a sociis dari oporteret, præcepit : nempe tectum, ligna, sal, fœnum, et cetera ejusmodi, quæ, repente adveniente prætore, commode parari ab ipsius comitatu non poterant. Instituti ministri, qui, quæ lege continebantur, præberent, græco vocabulo parochi nominabantur. Horat. Sat. I, 5, 46. Cic. ad Att. lib. XIII, epist. 2. Sed de his jam diximus.

Lepidam Verris itinerum descriptionem habes libro quinto Accusationis.

Itinerum ratione perspecta, sequitur, ut de potestate agamus.

Potestas cognitionem, et curationem complexa est.

Cognitio aut domestica fuit, aut popularis. Domestica, intra prætorium, et in cubiculo, querelis provincialium audiendis, admittente cubiculario, est consumpta: popularis, in basilica, atque in tribunali, scribis, accensis, præconibus et lictoribus apparentibus. Utriusque meminit Cicero, ad Q. Fr. I, epist. 1. Utramque autem potestatem non ante, quam provinciam suam attigissent, neque alibi, quam in provincia sua exercere poterant. Ulpian. Digest. lib. I, tit. 16, l. 1.

Ut autem potestas ea commode exerceretur, institutum erat ut certas in partes, seu diœceses [gall. *ressort*, *étendue de jurisdiction*] provinciæ dividerentur, atque in iis partibus essent oppida, in quibus jus diceret magistratus romanus, evocatis eo nimirum provincialibus, qui ejus diœceseos essent. [Gall. *qui étaient de ce ressort.*] Oppida sic constituta juri dicundo in provinciis, fora, seu conventus dicebantur. Plin. III, 1, «juridicos conventus»; et V, 28, «jurisdictiones», et cap. seq. «conventus», appellat. Forum, seu conventum agere præses dicebatur, quum in uno aliquo ex his oppidis jus dicebat.

Ad conventum provinciales evocabantur edicto, quod præses per omnia oppida, quæ illis conventibus attributa erant, aut etiam per totam provinciam, die certa foro agendo constituta, proponebat. Cæsar de B. Civ. II, 19.

His ita constitutis, aut uno in oppido plures conventus, aut in singulis singulos agebat, atque omnes percurrebat. Verumtamen singulos conventus vulgo a prætore perlustratos fuisse existimo, quod id fuit ad provinciæ rationes accommodatius. Quum autem conventibus indictis, et convocatis, prætores alia domi, alia in foro cognoscerent; quæ domi transigebantur, ea fere per diplomata annulo obsignata perficiebantur. Cic. in Pis. passim. Quæ vero in foro cognita sunt, ea totam jurisdictionem complexa sunt. Jurisdictio autem nihil aliud fuit, quam potestas juris ejus

reddendi quod legibus contineretur, de privatis controversiis, et criminibus publicis, aut provincialibus hominibus, aut civibus romanis in provincia versantibus, quoties exsisteret qui illud posceret. Privatæ controversiæ, in quibus potissimum collocata jurisdictio fuit, aut ad personas, aut ad res, et earum acquisitiones; aut ad obligationes pertinebant.

Leges, quibus jus reddendum continebatur, fuerunt, aut quas imperator, quum bello acquisitam provinciam constitueret, ex decem legatorum sententia dederat, ut Rupilia lex de judiciis apud Siculos, in Verr. lib. II, c. 12, aut quas postea e re nata consules aut tribuni plebis tulerant, quibus etiam attexenda senatusconsulta sunt, ut lex Terentia Cassia de emendo in Sicilia frumento, in Verr. lib. III, c. 69, et senatusconsultum illud, ut, qui Ciliciam obtineret, jus de centesimis usuris ex syngrapha diceret. Lib. V, ad Att. epist. ult.

Personæ, quibus jus reddebatur, fuerunt, ut dixi, provinciales homines [ex quorum numero eximi liberos populos oportet, quibus jus dici non licuit. Cic. de Prov. cons. c. 2]; et cives romani quos in provinciis versatos dixi: ii fere aut aratores, aut publicani, aut negotiatores fuerunt, quibus non minus, quam sociis ipsis, jus dictum. Cic. in Verr. lib. III, c. 14.

Quum jurisdictio reddendi juris potestas fuerit quod legibus contineretur, legibus autem omnia comprehendi non potuissent, factum est, ut multa edictis ipsis prætoriis sint permissa. Itaque uti prætores urbani Romæ magistratum ineuntes edicta proposuerunt, ex quibus jus se dicturos esse professi sunt; sic præsides in provincias ingressi et ipsi sua edicta singulis de rebus diligenter scripta ediderunt; ad eaque postea totam jurisdictionem suam accommodarunt. Atque hæc quidem si ex urbanis aut provincialibus edictis sumpsissent, translatitia; sin minus, nova dicebantur. Hoc nimirum Cicero testatur ad Att. VI, ep. 1; ad Div. III, ep. 8.

Neque illa solum in edictis comprehensa fuerunt, de quibus prætor esset cogniturus, sed etiam ea de quibus judicium esset daturus, et quomodo. Declarant edicta Verris, quæ recensentur lib. III, c. 10 et seqq. Improbe factum judicabatur, si quis aliqua de re aliter in provincia, atque in Urbe edixisset [modo tamen id injuste fecisset: nam licet is qui provinciæ præest, omnium Romæ magistratuum vice et officio fungi debeat, non tamen tam spectandum est quid Romæ sit factum, quam quid fieri debeat. Procul. leg. 12, de Off. præsidis]: si quod edictum contra leges provinciæ fecisset; si contra edictum suum jus dixisset. Hinc Verri Cicero in crimen vertit, quod de hereditatum possessionibus in edictum provinciale non transtulerit, quod in edicto urbano habuerat, lib. I, c. 46, et quod contra leges Siculis datas edixisset, lib. III, c. 10 et seq. et ipse negat se posse contra suum edictum. Ad Att. V, epist. ult.

Pendebat igitur jurisdictio tota fere ab edicto; quo proposito, ea exercebatur aut coercendo, aut statuendo. Prehendi, pignora capi jubere, multam dicere, coercitionis sunt effectus: ministri, accensus et lictor.

Statuendi locus fuit basilica, et tribunal: ministri, scribæ, præcones et lictores. Tribunal, suggestus fuit editior, unde conspici magistratus ab omnibus poterat; in quo sella curulis locata erat; ubi sedens prætor cognoscebat, et pronuntiabat.

Statuendi partes duæ fuerunt: decretum, et judicii datio. Decreta, sententiæ præsidum fuerunt, sine judicum consilio, singulis de rebus interpositæ. Decernere autem dicebatur prætor, quum manumitti, mancipari apud se permittebat; quum possessionem ex edicto dabat; quum tutorem dicebat; quum bona addicebat; quum interdicebat; et omnino quum ipse sine judice rem et cognoscebat, et de ea pro suo judicio statuebat. Verris iniqua decreta Cicero passim exagitat.

Judicium dabat prætor eo modo, quo postulabatur, i. e. aut ex lege provinciæ, aut ex edicto suo. Legis nomine h. l.

significatur id, quod in provincia per magistratum aliquem constitutum est. Sic legem Rupiliam appellat Cicero id, quod Rupilius in Sicilia, senatu comprobante, constituit. Si res ex lege gereretur, moris erat ut actionis editio præcederet, seu dicæ scriptio, ut ait Cicero Græcorum lingua de Siculis, quia græce loquebantur. Scribi dica dicebatur tum, quum lis intendebatur, id est, quum judicium postulabatur. Dicæ scriptionem sequebatur sortitio [interpositis nimirum triginta diebus, ex lege Rupilia; ut interim deliberaret reus an cedere, vel contendere deberet], seu datio judicum ex urna sorte eductorum. Dicæ ab omnibus, qui agere volebant, quolibet die ex arbitrio scribebantur : edicebatur certus dies a prætore, quo eas esset sortiturus. Si eo die sortitio alicujus dicæ, propter triginta dies nondum elapsos, fieri non potuisset, ea aliam ad sortitionem per aliud edictum faciendam differebatur. Hæc omnia ex judicio Heraclii, hominis Siculi cognoscuntur, apud Cicer. Accusat. lib. II, cap. 15.

Ex edicto res agebatur, quum litigatoribus judex unus, aut tres recuperatores dabantur, prout prætor in edicto suo posuerat se de illis, aut illis rebus, judicem, aut recuperatores daturum. Judicii dandi formula hæc erat: «Si pareret, etc.» Cicero, Accusationis libro tertio, cap. 22: «Dabat iste judicium si pareret jugera ejusmodi fundi esse plura, quam colonus esset professus; tum Xeno damnaretur».

Quos litigatoribus præses judices aut recuperatores dabat, eos ex conventu, et foro illo, in quo res agebatur, dabat; id est, ex iis civibus romanis, sociisve, qui in iis oppidis quæ ad id forum pertinerent, versabantur. Itaque inter cetera hoc quoque crimini vertit Cicero Verri multis Accusationis in locis, quod non de conventu, sed de cohorte sua, recuperatores dedisset. Ut in Urbe, sic in provincia, rejectio fiebat eorum judicum, seu recuperatorum, quos uterque litigator sibi incommodos fore arbitraretur. Vide plura in Append. de ordinand. judic. ad calc. huj. volum.

Quod si non recuperatores tres, sed judex unus datus

esset, tum, ut Romæ, sic in provincia ille peritum aliquem sibi in consilium advocabat, atque ex ejus sententia judicabat : quod ex verbis M. Petilii ad Verrem admonemur. Lib. II, c. 30.

Ista quæ notavimus præses habebat in jure dicundo peculiaria : in ceteris, eadem in provinciis actionum ratio fuisse videtur, ac Romæ. Ante judicium vadationes, compromissa, sponsiones, satisdationes; post judicium autem, addictiones, abductiones, et cetera ejusmodi, de quibus, quum de ordine judiciorum agemus, disputabitur.

Atque hoc quidem modo privatarum controversiarum cognitio, quam proprie jurisdictionem appellarunt, administrabatur. Nunc quemadmodum judicia publica, seu quæstiones, exercerentur, demonstremus.

Romæ jus alii inter cives et peregrinos dicebant; alii judicia publica exercebant : at non ita erat in provinciis. Utraque cognitio præsidi provinciæ a populo romano commissa fuit : privatarum quidem litium, ex ea lege quæ ex decem legatorum sententia data fuerat; publicorum vero criminum, ex ea quæ de quoque crimine cognoscendo, aut vindicando, lata fuit.

Publicæ quæstiones fuerunt, vis, peculatus, falsum, majestas, et si qua alia ejus generis. Earum exercendarum eadem in provinciis ratio, ac Romæ, fuit. Deferebatur rei nomen ab accusatore apud prætorem; prætor, si id recepisset, diem judicii constituebat. Ubi illa advenerat, accusatorem, reum, et testes citari per præconem jubebat; interrogatione testium absoluta, sortiebatur ex lege quæ de eo crimine lata fuerat, judices, et quidem e conventu : sequebatur rejectio more romano : quibus absolutis, sedente in tribunali ac sella prætore, judicibus in subselliis, causa ab utraque parte agebatur, i. e. ab accusatoribus et patronis rei : prætor cum consilio cognoscebat; atque ex consilii sententia, ubi ab utraque parte peroratum erat, reum aut comperendinabat, aut condemnabat, aut absolvebat; aut amplius pronun-

tiabat : si comperendinatus reus, aut ampliata causa fuisset, secunda actio instituebatur; vel etiam, si necesse fuisset, tertia, saltem in ampliatione. Tum de integro aut absolvebat, aut condemnabat, atque in condemnatum animadvertebat prætor. Sunt in Verrinis tria hujus generis judicia : De Philodamo, Nerone Asiæ prætore judicium exercente, lib. I, cap. 25 et seqq. De Sopatro, lib. II, cap. 28. De Sthenio, ibid. cap. 34. In his duobus quærebat Verres. Quæ judicia quamquam a Cicerone ut perperam facta afferuntur, tamen ejusmodi sunt, ut veterem publicorum in provincia judiciorum consuetudinem illustrare possint ; cujus rei notitiam alioquin haurire aliunde, nisi concepta ex urbanis judiciis conjectura, non possemus.

His tribus judiciorum exemplis quartum etiam addere possumus, veterum literis in primis celebratum, de muliere Smyrnæa, quæ filii, quem ex priore marito pepererat, ulciscendi causa, virum et filium ex eo genitum, venenis interfecerat. Cujus criminis postulata quum fuisset apud Asiæ proconsulem Dolabellam, is, quia nemo ex consilio suo sententiam ferre in causa tam ancipiti auderet, rem Athenas ad areopagitas rejecit. Hi, causa cognita, mulierem, et eum a quo accusabatur, centesimo post anno adesse jusserunt. Val. Max. VIII, 1. A. Gell. XII, 7. Amm. Marcell. lib. XXIX. Ex hoc exemplo Dolabellæ, uti ex aliquot Ciceronis locis elicitur in magna causæ obscuritate prætores causam alio rejicere potuisse.

Atque hæc sint de provinciali privatarum ac publicarum causarum cognitione. Hic autem quæret fortasse aliquis, an vero, quum in una provincia, ac sæpe duabus, aut tribus, prætor unus juri dicundo præesset, ipse in tantis occupationibus tanta esse diligentia potuerit, ut præsens omnibus jus poscentibus satisfaceret? minime vero : sed vicariis ad eam rem usus est multis, nempe legatis, quæstore; nonnumquam etiam aliis, quibus ipse partem suæ jurisdictionis mandavit. Id confirmatur testimonio Ciceronis pro Flacco,

cap. 14. Divinat. in Cæcil. cap. 17. Ad Quintum Fratr. Epist. I, 1.

Hoc autem loco illud etiam observandum monet Sigon. de Jure provinc. lib. II, cap. 5, præsides, quum legatis jurisdictionem mandarunt, publicarum quæstionum exercitionem non mandasse, sed tantum privatarum controversiarum cognitionem, quæ proprie jurisdictio dicta est; quæ quoniam a magistratu tota profecta est, cum quæstione, seu causarum publicarum cognitione conjuncta non fuit, quæ a lege tota pependit. Erant enim de singulis criminibus latæ leges, ut de adulteriis, vi, falso, etc. quibus quid cuique observandum esset, qui aut Romæ quæreret, aut provinciam obtineret, sciscebatur: ex quo intelligi potest publici judicii exercitionem mandari non licuisse, nisi forte lege, quæ de quæstione illa scripta esset, nominatim cautum esset, ut is cui exercitio hujus quæstionis obtigisset, posset eam mandare.

Prætoriam potestatem divisimus in cognitionem et curationem. Primæ parti divisionis satisfactum est: nunc de altera disserendum, quæ tota ceteris in rebus curandis, atque provinciæ imperandis versata est. Hæ fuerunt, res frumentaria, tributaria, vectigalis, viaria. Ista omnia a præsidibus per edicta administrabantur; non perpetua illa quidem, sed repentina, hoc est, de singulis rebus, prout cujusque postulavit occasio, interposita. Testis Cicero in ipso hujus disputationis fonte, Siciliensi prætura Verris, lib. III, cap. 14, et aliis locis.

Jam ut quæque modo memorata prætor curaverit, exquiramus.

Frumentum in provinciis aliud vendebatur, ut decumanum in Sicilia (nam aliarum provinciarum decumæ Romæ a censoribus vendebantur); aliud emebatur; aliud in cellam prætoris æstimabatur; aliud imperabatur; aliud honoris causa accipiebatur. Ergo ex legibus, et senatusconsultis aut veteribus, aut recentibus omnia hæc prætor curavit;

totumque jus vendendi, emendi, æstimandi, imperandique frumenti habuit. Testis Cicero passim in Verrinis.

Jam vero, ut alio loco dixi, ut vinum fuit honorarium, quod prætori honoris causa dabatur, et cujus meminit Cato in oratione de innocentia sua, apud Isidor. Orig. XX, 3; sic honorarium frumentum, quod prætori dabatur, appellat Cicero in Pison. cap. 35: quam vectigalis prætorii partem Ciliciæ remisisse se Cicero gloriatur in epistola quadam ad Atticum.

Ac rem quidem vectigalem frumentariam ordine ita curarunt. Extra ordinem autem vectigalia nova instituerunt, ac tributa imperarunt; verum non sine crimine, quoties ex ipsorum libidine imperata sunt.

A provinciis exegerunt prætores jure, sive ex fœdere, sive ex senatusconsulto, tributi nomine pecuniam, naves, nautas, milites, in quorum sumptum civitates dare solebant. In Verr. lib. V, cap. 24. Tributorum contra leges imperatorum exempla suggerunt Verres, lib. II, cap. 55. Piso, in Pison. cap. 35. Appius, lib. V ad Attic. epist. 16. Scipio, Cæsar in Bell. Civ. lib. III, cap. 32.

Viarum publicarum curatio minima pars præsidum officii non fuit. Ad illud pertinuit ut viæ publicæ sternerentur, aperirentur, signarentur, eversæ restituerentur, tum ut exercitus romani commodius per provincias ducerentur; tum ut majori celeritate Roma in provincias, et inde Romam nuntii commearent; tum denique ut ipsi cum comitatu suo facilius provinciarum suarum urbes obirent. Sane rudis sit, qui intra Italiæ fines, qua Urbs adibatur, stetisse putet viarum magnificentiam; ab ortu enim ad occasum, regionum itinera strata, et lapidibus milliaribus dimensa fuerunt. Isid. Orig. XV, 16.

Prætores, quum majoribus curis impedirentur, legatis suis hoc viarum muniendarum negotium dabant. Præerant ipsi; imperabant pro dignitate sua quod videbatur, et probabant. Cic. pro Font. cap. 3.

Neque solum regiarum cura viarum ad rectores provinciarum pertinuit: iisdem et stationes navium, portus, litora, turres et castella in limitibus, omnesque provinciarum abscessus commendabantur. Cod. Th. de Itinerum mun. et de litorum et itin. cust.

Ulpianus etiam inter officia proconsulis retulit, ut, si in celebrem civitatem, vel provinciæ caput adveniret, ædes sacras, et opera publica circumiret, inspiciendi gratia an sarta tectaque essent; et si qua cœpta essent, curaret ut consummarentur, prout vires ejus reipublicæ permitterent; curatoresque operum diligentes solenniter præponeret. Digest. lib. I, tit. 16, l. 7.

Congruit, ait idem Ulpianus, bono et gravi præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat: nam sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coercere, sine quibus latro latere diutius non potest. Ibid. l. XIII. In mandatis principum est, inquit Paullus, ut curet is qui provinciæ præest, malis hominibus provinciam purgare. Ibid. lib. III.

Peractis iis quæ ad potestatem prætoriam pertinent, jam ad explicandam alteram partem provincialis officii, quod est imperium, pergimus.

Imperium hoc loco nihil aliud est, quam jus habendi exercitus, belli gerendi, et rei totius bellicæ capessendæ: cui rei præsides non minus, quam jurisdictioni operam dederunt, neque injuria: hac enim sociorum quidem commodis consuluerunt; at illa eosdem in fide continuerunt, exercitus terrorem, bellique minas, si deficerent, ostentantes: atque provinciam ipsam a finitimorum hostium incursionibus, aut latronum populationibus tutam præstiterunt. Ergo præsidi qui habebat imperium, jus fuit exercitui imperandi; bellum auspiciis suis gerendi, et totius rei milita-

ris suo consilio atque arbitrio in sua provincia gubernandæ. Tria hæc breviter explicanda.

Exercitum præses aut novum conscripsit, aut veterem ab ipso præside decedente, aut ab ejus legato accepit: acceptum lustravit; et, concione habita, si qua corrigenda in eo, aut immutanda visa sunt, proposito edicto, emendavit et immutavit. Cicero lib. V ad Attic. epist. 20. Livius, XXXVIII, 12, et XLV, 41.

Lustratio, erat solenne sacrificium, quod faciebant sub dio ad expiandum exercitum, censorio non absimile, quo populus romanus in campo Martio lustrabatur. Plutarch. in Bruto. Liv. XL, 6. Q. Curt. X, 9.

Disciplinæ militaris emendatæ dabunt exempla P. Scipio ad Numantiam, et Q. Metellus in Numidia. Appian. in Iber. Sallust. in Jug. cap. 45.

Imperator in exercitu non privatas solum controversias, sed publicas cum consilio ac sine consilio cognovit; ac demum summam vitæ necisque cujusque potestatem et in socios, et in cives ipsos, habuit; ac persæpe in cives militesque romanos severe ac vehementer vindicavit, ut ait Cic. in Verr. lib. V, cap. 51. Argumento sit illud P. Scipionis, quo in auctores seditionis ad Sucronem animadvertit. Liv. lib. XXVIII, cap. 29. Appian. in Iber.

De auspiciis imperatoriis id fuit ejusmodi. Institutum ab initio Romæ fuerat ut nihil neque domi neque militiæ, nisi auspicato, gereretur. Panv. de civit. Rom. cap. 17. Hanc causam affert Cn. Manlius apud Livium, quod nullius calumniæ subjicerentur ea quæ dii comprobavissent. Auspicia in exercitu unius tantum fuerunt imperatoris; ceteri auspiciis ejus pugnare; ipse bellum ut ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. Unde dixit Scipio ad seditiosum exercitum, apud Liv. XXVIII, 27: « Quin mihi ne hodie quidem scire videmini quo amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, patriamque vestram; quid in deos sacramenti testes; quid adversus auspicia sub quibus militatis; quid adversus mo-

rem militiæ, disciplinamque majorum; quid adversus summi imperii majestatem ausi sitis ». Itaque nec imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur aut legato, aut ulli alii exercitus præfecto; ne si eorum quidem opera, atque virtute imperator absens, aut ægrotus, victoriam adeptus esset; quod non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsius imperatoris. Sigon. de antiq. jur. prov. lib. II, cap. 6.

Auspiciorum voce denotatur, ut dixi alio loco, vis ipsius summæ potestatis, et eminens quædam rerum gerendarum auctoritas ac efficacia divinitus imperantibus concessa.

Auspicia in castris duo adhibebantur. Unum, coactum; alterum, ex acuminibus. Coactum auspicium illud erat, quod petebatur ex pullis, quos fame antea domitos e cavea pullarius objectam ad offam emittebat: si aliquid e pullorum pascentium ore in terram cecidisset, tripudium solistimum dicebatur, ac prosperum habebatur: sin minus, infaustum. Coactum autem dicebatur, quia, ut ratum esset auspicium, ut ex offa caderet aliquid oportebat. Cicero de Divinat. lib. II, cap. 33. Illud autem observandum, quod magistratus quidem, qui in consulatu et prætura provinciam obtinuissent, non, nisi addicentibus pullis, rem ullam aggredi solitos fuisse: proconsules vero, et proprætores, ut qui sine magistratu essent, ea non observasse. Quod elici posse videtur ex verbis Ciceronis. Ibid. cap. 36.

Auspicium ex acuminibus militare fuit, sed cujusmodi fuerit eruditi certant, et adhuc sub judice lis est. Meminit Cicero ibid. cap. 36, et de Nat. Deor. II, cap. 3. Ego acumina interpretari posse reor quasi cacumina, loca collium editissima, ubi colles deficiunt; unde quid boni portenderet avium volatus observabatur[1].

1. Toto cælo quod ad hoc auspicii genus pertinet, fallitur *Desjardins*: apparet enim, ut optime explicuit Hottingerus ad loca supra laudata, phænomena quædam electrica fuisse, e quo genere est illud quod Livius narrat Hist. XXII, 1: « Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis

Neque auspicia solum, sed et omina observabant. Fuerunt autem omina ex dictis, ut quum Paullo paranti expeditionem adversus Perseum Macedoniæ regem, filiola mœste occurrit, dicens, « Persa periit ». Cui pater, « accipio omen ». Erat autem catella mortua eo nomine. Ex factis, ut quum Flaminius exercitu lustrato, quum contra Hannibalem legiones duceret, ipse et equus ejus concidit. Ex auditis, ex visis.

Neque solum auspicato, sed et litato rem aggrediebantur. Ostendit multis ex locis Livius. Erat autem litare, pacem deum immolandis hostiis impetrare : id autem fiebat, quum, cæsa hostia, aruspices exta diligenter aperientes atque inspicientes, ex quibusdam aruspicinæ præceptis propitios aut infestos deos interpretabantur.

In extis autem, ut jecore, pulmone, et corde, caput et fissum observabant, in primis an aucta aut imminuta essent, quum in iis partem familiarem, atque hostilem, sic enim vocabant, constituissent. Itaque si caput in jecinore non fuisset, auspicia pestifera esse; si auctum esset, læta portendi omnia, existimabant. Docent Cicero et Livius.

Ac de auspiciis imperatoris hæc dicta sint. De ratione rei gerendæ satis constat summam belli ad eum pertinuisse, atque de ea illum ita decrevisse, ut penes eum jus ipsum fuerit dimicandi, oppugnandi, obsidendi, insidias struendi, signum pugnæ ac receptui dandi, castra locandi, muniendi, movendi; præterea milites in æstiva atque hiberna deducendi, obsides hostibus dandi aut ab iis accipiendi, quæ omnia Cicero in arte imperatoria complexus est, de Orat. I, cap. 60.

Ea imperator aut per se, aut cum consilio administrabat.

nuntiata : in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat arsisse ». Idem, XLIII, 13 : « Fregellis in domo Atrei hasta quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus ambureret ignis, dicebatur ». Cui quidem interpretationi tum alia multa, tum hoc quoque favet, quod Cicero dicit auspicium ex acuminibus totum militare esse.

Nam ut in rebus capitalibus cognoscendis, sic in militaribus consilium adhibebat. Erat autem consilium castrensis quasi quidam senatus, ex senatoribus, si qui forte in castris aderant, et aliis hominibus idoneis constitutus. Sallust. Jug. cap. 62.

Quamquam diximus summum jus penes imperatores omnia pro suo arbitrio peragendi fuisse, fatendum est tamen nonnullis in rebus eorum imperii vim legibus compressam fuisse, ita ut neque exercitum contra quoscumque vellent hostes educere, neque apud quoscumque socios vellent, hibernare eis liceret. Ac de hostibus quidem extra provinciam non persequendis video, quum aliis legibus, tum Cornelia majestatis, et Julia repetundarum postremo esse sancitum.

Hinc est quod Cicero invehitur in Gabinium, quod exercitum eduxerat e Syria, sua provincia (in Pis. cap. 17). De sociis autem, legibus erat cautum, apud quos, milites in stativa deduci, ac non deduci, liceret. Hæc autem stativa duo fuerunt, æstiva et hiberna. Addo etiam imperatorem non potuisse exercitum pro arbitrio dimittere. Testis Cicero in Pison. cap. 16.

Hoc satis sit dictum de præside, et de toto ejus munere provinciali tuendo. Jam ad decora pergimus.

Genus eorum fuit duplex, pro duplici ratione earum rerum, ob quas veniebant. Præsides qui nulli rei alii, quam commodis et ornamentis sociorum in provinciali munere obeundo studuerant, honores summos ab ipsa provincia referebant, statuas, fana, dies festos; ut passim in Verrinis fuit videre. Qui autem imperium recte ac feliciter administraverat, huic, quod maximum decus fuit, absenti nomen imperatoris et supplicatio; præsenti triumphus, Romæ decernebatur. Vocabulum imperator duplici modo acceptum fuit; et pro quolibet exercitus duce, qui suis auspiciis rem gereret; et pro eo, qui hostibus magno prælio fusis, eo nomine, militum acclamatione esset ornatus. Ergo im-

peratoris nomen, quo sensu hic accepimus, fuit titulus honoris, appellatione militari delatus, quo præsens re bene gesta dux exercitus, militum acclamatione in castris, deinde sententia senatus in Urbe, est honestatus.

Supplicatio, fuit honos, qui una cum imperatoris nomine præsidi victori decernebatur : nempe quum senatus templa deum aperiri, ac diis gratias imperatoris nomine agi jubebat. Mos erat enim ut præsides, postquam a militibus appellati imperatores fuerant, fasces laureatos ad senatum de re bene gesta mitterent, quibus imperatoris nomen, ac supplicationes a senatu postularent.

Primis temporibus supplicatio in unum, alterumve diem ægre decernebatur. Anno 304, M. Valerio et M. Horatio coss. ob devictos Sabinos supplicatio in unum diem decreta est. Sed dierum numerus crevit postea. Camillo, Veiis captis, quatuor; Pompeio, Mithridatico bello confecto, duodecim; Cæsari, bello Gallico, primum quindecim, deinde viginti; Hirtio Pansæ et Octavio Cæsari, Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum supplicationes decretæ sunt.

Quoniam jus universum in provincia præsidum aperuimus, et quomodo in eam venirent ostendimus; restat jam ut quemadmodum ex ea discesserint exsequamur.

Moris ergo fuit ut præses annuo provincialis imperii munere terminato successorem, si mature venturus esset, in provincia exspectaret; atque ei advenienti obviam prodiret, ac præsenti præsens provinciam atque exercitum traderet; deinde inter triginta dies (tot enim lex Cornelia L. Sullæ dedit) decederet : verum interea nullam provincialis administrationis partem attingeret. Quocirca Appius ægre ferebat quod quum Lentulus sibi, ipse Lentulo processisset in Cilicia obviam, Cicero sibi decedenti noluisset : quod Cicero ita purgavit, ut omnem ejus rei culpam in Appium ipsum rejecerit. Ad Div. III, epist. 7.

Quod si decessor ante successoris adventum decessisset, tum vero aliquem, qui provinciæ præesset, veluti quæsto-

rem aut legatum, cum imperio relinquere fuit coactus. Cicero ad Att. lib. VI, epist. 3, 4, 6. Qui vero sic provinciæ præponebatur, sive quæstor, sive legatus, is aut proprætoris, aut proconsulis nomen obtinebat, prout aut prætoris aut consulis vices sustinebat.

Si præsides rem triumpho dignam gessissent, ac de eo postulando cogitarent, e provincia reversi, ad Urbem manebant, et lictores fascesque laureatos, donec triumphassent, retinebant; ac senatû in ædem Bellonæ evocato, res a se gestas exponebant; et triumphum petebant. Liv. XXXI, 47. Decreto inde a senatu triumpho, lex ferebatur ad plebem, ut quo die Urbem triumphans inisset, imperium haberet. Id. XXVI, 21. Urbem ingressus, pompa quam maxima in Capitolium ascendebat, ac sacrificio facto convivium ibi celebrabat; atque ad vesperam, positis imperii insignibus, domum privatus se referebat.

Alter erat triumphus ovatio dictus; major ille, hic minor; ille ob insignem victoriam, hic etiam ob levem, concessus; in illo, quadrigis; in hoc, pedibus, aut equo triumphabatur; in illo taurus, in hoc ovis in Capitolio immolabatur. Plura vide apud A. Gellium, lib. V, c. 6. Ubi, sive triumphantes, sive privati, Urbem introierant, tum alio die rationes referre ad ærarium cogebantur; nec multo post centuriones, ceterosque provincialis curæ socios ad ærarium in beneficiis, si liberet, deferre. Ante legem Juliam laxius rationum referendarum tempus fuit: nam ea lege cautum est ut rationes, quas in provincia apud duas civitates reliquissent, eas statim atque Urbem inissent ad ærarium totidem verbis referrent; atque triginta diebus quibus rationes retulissent, comites in beneficiis deferrent.

Quæris quid sit « in beneficiis ad ærarium referre ». Beneficium in re militari vocabatur provectio ad altiorem gradum : quod ut ratum esset, debebat, ut diximus, ad ærarium referri. Qui promoti fuerant, beneficii ejus dicebantur esse, a quo promoti fuerant. Suet. Tib. c. 12: « Venit in

suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones », id est, quos ipse ad centurionatum promoverat. Hi tales beneficiarii appellantur.

Porro comites magistratuum ex cohorte prætoria deferebantur, non ut beneficiarii milites crearentur, sed honoris et commendationis causa, ut is honos eis aliquando prodesset, aut in honoribus consequendis, aut periculis declinandis. Lips. ad Tac. Hist. IV, c. 48.

Ut præsidibus, qui bene se in provincia gessissent, magni ibidem et in Urbe honores sunt habiti; sic contra, si quid deliquissent, judicium ex legibus subire jubebantur. Tribus autem quæstionibus potissimum fuerunt obnoxii; peculatus, si prædam, aut pecuniam publicam avertissent; quo judicio etiam quæstores, legati, scribæ eorum obstricti fuerunt: majestatis, si aut exercitum, aut provinciam hosti prodidissent; aut ultro exercitum e provincia eduxissent; aut bellum sine senatusconsulto intulissent: repetundarum, si se in socios aut avare, aut superbe, aut libidinose, aut crudeliter, aut injuste gessissent.

Lex de repetundis maxime socialis fuit; ea provinciarum salus continebatur: ea postulati plurimi, damnati, florente republica, multi, pauci absoluti sunt.

Initio diximus quæstorem fuisse alium provinciæ magistratum, atque separatam fuisse ejus, et præsidis potestatem, apud quem non asseclæ, sed filii locum obtinuit. Nunc reliquum est ut quæ ad eum pertinent, paucis expediam. Quoniam quæstor sæpe sine suo prætore in provinciam profectus est, sæpe etiam non idem quæstorii muneris ineundi fuit dies, ac prætorii. Quod ubi evenit, simul illud etiam contigit ut duos quæstores præses unus eodem anno aut sane aliqua parte anni habuerit; ut Cicero Rufum et Cælium; et duos præsides quæstor unus, ut qui in Sicilia Verre, ac Metello prætoribus quæstor fuit.

Dixi provinciale munus quæstorum fuisse curam pecuniæ publicæ. Ea fuit duplex, attributa et vectigalis. Illa depro-

mebatur ex ærario in usus provinciales, id est, in stipendium militum, in viaticum, seu sumptum prætoris, legatorum, et totius cohortis prætoriæ, expendenda : hæc a provincia exacta ex vectigalibus et tributis colligebatur in ærarium referenda.

Ut autem quæstores non semper cum suis prætoribus in provinciam venerunt, sic non semper cum iis, verum sæpe aut ante, aut post eos, decesserunt. Diximus de relatis prætoris ad ærarium rationibus : illud autem tum prætorum, tum quæstorum commune fuit : quod ex uno Cicerone apertius est, quam ut probari indigeat.

DESJARD. EX RECENSIONE EDITORIS.

EXCURSUS

DE VECTIGALIBUS REIPUBLICÆ, ET DE EORUM EXACTORIBUS.

Omnis pecunia quæ veniebat in ærarium populi romani, fere aut tributi nomine pendebatur, aut vectigalis.

Tributum, dictum a tribubus, erat pecunia populo imperata, quæ tributim a singulis pro portione census exigebatur. Varro de Ling. Lat. IV.

Stipendium militare primis reipublicæ temporibus ex tributo fuit: belli præda, et cetera pecunia ad ceteros usus reipublicæ reservabatur; qui mos, uti mox dicetur, usque ad Perseum Macedoniæ regem devictum, duravit.

Vectigal, erat ea pecunia, quæ alio quocumque nomine pendebatur. Discrimen inter has voces non semper apud auctores observatur; eas promiscue habuit Sueton. in Cal. cap. 40 et 41.

Tributorum tria genera Festus distinguit. Unum, capitis, sive personæ; alterum rei, sive soli; tertium, fortuitum et temerarium.

Ante Servium regem, tributum æqualiter in capita, nullo pauperum et divitum habito discrimine, conferebatur: propterea tenuiores onere tributi premebantur. Servius instituit primus ut pro suo quisque censu, i. e. pro rei familiaris copia, conferret. Dionys. Halicarnass. lib. IV. Livius, I, 43.

Anno ab exactis regibus sive secundo, sive tertio, tributo plebs exsoluta est; decretumque ut pauperes omnium vectigalium vacationem haberent, quæ regibus pependissent, neque in bellum quidquam conferrent; satis enim esse, si

ipsi pro republica militarent. Liv. II, 9. Dionys. Hal. V. Viduis etiam et pupillis tributorum collationem remissam fuisse testantur iidem scriptores, uti et Plutarchus in Poplic. Has autem vacationes tributorum stetisse dicimus duntaxat, dum res ærarii non essent impeditæ : urgente vero necessitate sublatas fuisse.

Hic rerum istarum status fuisse videtur usque ad annum Urbis 349, quo anno senatusconsulto provisum est, ut plebi, quæ eo usque suis sumptibus meruerat, stipendium quotannis de publico penderetur. Exin coacti sunt omnes cives tributum ex censu quotannis in stipendium militare conferre. Liv. IV, 59 et 60. Quod institutum, uti etiam comitia et delectus, postea non semel tribunitiis calumniis vexatum est.

Ut autem tributum sæpe a tribunis plebis impeditum, sic a senatu nonnumquam est remissum; quum nempe victis populis imperaretur in pœnam belli, quod satis esset pecuniæ ad stipendium militare. Sic anno Urbis 361, victis Faliscis in stipendium militum ejus anni, ut populus romanus tributo vacaret, pecunia imperata. Liv. V, 27. Et ut idem sæpe remissum, sic, propter bellorum magnitudinem, justo gravius aliquando imperatum est. Liv. XXIII, 31, et XXIV, 11.

Atque hoc sit de primis duobus tributorum generibus. Tertium fuisse diximus fortuitum et temerarium; nimirum quum, necessitate cogente, omnes temere atque extra ordinem propter periculi imminentis magnitudinem, quidquid auri, quidquid argenti haberent, sine discrimine in medium conferrent: uti, post Urbem a Gallis captam, a matronis collatum est. Liv. V, 50. Et bello Punico secundo, Valerio Lævino, M. Claudio Marcello coss. senatus et populus aurum, argentum, æs signatum omne in publicum contulerunt. Liv. XXVI, 36.

Hujus autem temerarii tributi ea fere fuit ratio, ut postquam subita illius tumultus vis desiisset, ex victi populi

spoliis locupletato ærario, pecuniæ suæ cuique redderentur. Liv. XXIX, 16.

Redeo ad tributum annuum, et supra dictis addo imperatum civibus fuisse degentibus non in Urbe solum, sed et in coloniis etiam [Liv. XXIX, 15]: atque imperari tandem aliquando desiisse post annum Urbis conditæ 586. Etenim quum ærarium annuis Italiæ, et provinciarum Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniarum vectigalibus, ac quotidianis victoriis, et imperatorum manubiis, jam uberius esset factum; tum «omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, Perseo devicto, potitus L. Paullus, tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum». Cic. de Offic. II, cap. 22. Saltem usque ad Hirtii et Pansæ consulatum, anno 710. Plut. in L. Paullo, passim. Verba illa Ciceronis prædæ magnitudinem significant quidem, sed modum non exprimunt. Illum ceteri scriptores, non tamen constanter, indicant. Variant in summa. Vell. Paterc. I, 9: «Intulerat L. Paullus in ærarium bis millies centies [placet Lipsio et J. F. Gronov. ducenties] sestertium» (circ. 41,000,000 fr.). Livius, XLV, 40: «Summam omnis captivi auri argentique translati sestertium millies ducenties fuisse» (circ. 24,600,000 fr.) ex Valerio Antiati tradit; nimis infra Velleianam summam. Propius ad eam Plin. Hard. XXXIII, 17: «Intulit Æmilius Paullus, Perseo victo, e Macedonica præda, sestertium bis millies trecenties; a quo tempore populus romanus tributum pendere desiit». Quod autem Plutarchus, quem supra retulimus, addit «usque ad Hirtii et Pansæ consulatum», in hoc ei fidem abrogat Sigonius, et contra eum affirmat, Asconio et Orosio auctoribus, ærarium bellis civilibus exinanitum fuisse multo ante Hirtii et Pansæ consulatum; et L. Paulli pecuniam Persicam in ærarium illatam longe ante horum consulatum consumptam fuisse. Defendetur Plutarchus, si negaveris eum asserere voluisse prædam Persicam usque ad Hirtium et Pansam coss. superfuisse; et eam ejus men-

tem fuisse dixeris, ut significaret necessitatem non fuisse ante hos consules tributi populo imperandi: non quod pecunia illa sola sufficeret; sed quia supplerent identidem creberrima latissimi imperii vectigalia, frequentesque imperatorum manubiæ, quæ demum, propter nimium assidua civilia bella, aut labefactata fuerunt, aut cessaverunt. Itaque post horum consulatum multa tributi collati mentio renovatur. Cic. ad Div. lib. XIII, epist. 30. Philipp. II, cap. 21, et alibi sæpe.

Ἐπικεφάλαια, sive capitum exactiones, ut vocat Cicero ad Attic. V, 16, et ad Div. III, 8, atque ostiorum, repertæ fuerant in provinciis, a magistratibus romanis, non ut rempublicam his opibus tuerentur; sed ut ipsi suam libidinem et avaritiam provincialium fortunis explerent.

Ultro-tributorum meminit Livius non semel. Ultro-tributa esse puto, inquit Turneb. Advers. I, 25, impensas et attributiones operum publicorum faciendorum, et sartorum tectorum præstandorum, mancipibus et redemptoribus certa mercede locatorum: vel ultro-tributa sunt, quæ præter vectigalia penduntur; tributum extra-ordinarium: differunt a tributis. Idem, XXVII, 32. Turnebi interpretationem sequuntur J. Lipsius et J. Obsop. ad Senec. de Benef. IV, 1. Muretus ad eumdem locum fatetur se non satis intelligere quæ sint ultro-tributa: neque sibi ullo modo satisfacere quæ de iis scripsit Turnebus; ubi supra. Si conjectura uti licet, libens crediderim compositum esse pro simplici; et ultro-tributa dicta fuisse eodem sensu, quo tributa; cui voci adverbium *ultro* additum est ad hoc tantum, ut populi auriculis indulgeretur, suæ libertatis studiosissimi; et ut significaretur pecunias tributi nomine a populo sponte, nulla vi cogente, in ærarium conferri. Multa sunt quæ faveant huic nostræ opinioni. Sigon. de jur. civ. Rom. lib. II, cap. 4, sic scribit. Erant publicani equites romani fere, qui publica vectigalia populi romani et ultro-tributa, quæstus sui causa, conducebant. Liv. XXXIX, 44: «vectigalia sum-

mis pretiis, ultro-tributa infimis censores locaverunt »; hoc est, tributorum pretia imminuerunt censores, ut populo gratificarentur, a quo tributa exigebantur; vectigalium adauxerunt, ut ne quid de summa deperderet respublica. Idem, XLIII, 15, censores edixerunt, « Ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut ultro-tributa conduxissent, ad hastam suam accederet ». His locis satis probatum arbitror ultro-tributa, non esse tributa extraordinaria, seu pecuniam sponte ultra tributum datam; quia, quum ab eorum, qui eam conferrent, voluntate penderet, nullo pretio potuit redemptoribus a censore locari. Non sunt « impensæ operum publicorum faciendorum », quas translatitium est a quovis censore quam minimo locari; neque attinebat hoc observari potissimum in Catone, quod omnium censorum fuit. Ergo ultro-tributa pro ipsis tributis accipienda sunt, quæ censores infimis pretiis locaverunt; id est, quorum de summa, ut populo gratificarentur, multum detraxerunt. Quod si cui hæc nostra interpretatio non arriserit, consulat doctissimi Creverii in Livium notas, meliora forsan ad vocis hujus interpretationem inde hausturus. Hoc satis sit dixisse de tributis: nunc, quod reliquum est, vectigalia persequamur.

Vectigal est a *veho, vehere;* et proprie significat quod ex vectura penditur; quod Latini portorium appellabant. Deinde translatum est nomen ad alios quosque reditus publicos significandos qui ex agris, sive elocatis, sive scripturariis, veniebant in ærarium. Cic. pro lege Manilia, cap. 5: « Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura, vectigal conservari potest ». Denique vectigal omnes omnino reditus significavit, qui vel portorii nomine, vel decumarum, vel scripturæ, vel stipendii, vel salis, vel vicesimæ, vel quoquo alio modo exigebantur. Sic prætorium vectigal dicebatur, ea pecunia quæ, salva repetundarum lege, a prætoribus accipi poterat. Sic in eodem genere Sueton. in Aug. cap. 46: « Italiam duodetriginta coloniarum

numero... frequentavit, ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit»; et Paradox. VI, 3: «non intelligunt homines quam magnum sit vectigal parsimonia». Vectigalia, pro terris vectigalibus Sallust. usurpavit, Hist. I, cap. 14, et Cic. lib. II in Verr. cap. 3.

Jam vero singulæ species quas modo indicavimus, explicandæ. Ac primum de portorio.

Portorium definitur in glossis, τέλος ἐν λιμένι, vectigal in portu. Sicut portarium et pontarium vectigalia fuere, pendi solita, maxime ævo inferiore, in pontibus, aut in viis; et in portis oppidorum, pro mercium transgressu, ingressu, aut egressu.

Portorium vectigal institutum est, quum primum portus, qui mercibus recipiendis paterent, habere cœpit respublica. Primum Romanis portum Ostiæ patefecit Romanorum rex Ancus Martius. Flor. I, 4. An simul vectigal mercibus imposuerit, incertum. Sane portoria sub regibus jam invaluisse colligitur ex eo, quod inter commoda quæ Valerius, exactis regibus, populo restituit, sublata ab eo etiam portoria fuisse memorantur. Vide plura apud Liv. II, 9. Plut. in Popl.

Crescente deinde romano imperio quum ad bella continua præsens ærarium non sufficeret, portoria vetera restituta fuerunt, quibus postea nova Gracchus addidit. Liv. XL, 51. Vell. Pat. II, 6. Mox autem propagatis imperii finibus, portoria quæ devictas apud gentes ab earum regibus jam antea exigi solebant, Romani victores, vel novis etiam additis sibi exercuerunt. Sic portoriorum extra Italiam late patenti in imperio ingens numerus factus est. In Italia nihilominus exigebantur, donec omnia sustulit Quintus Cæcilius Metellus prætor, lege lata anno Urbis conditæ 693. Dio, XXXVII. Causa autem tollendi fuit non ipsius portorii onus; neque ideo quia ærarium Cn. Pompeius, ingenti vi pecuniæ in id illata locupletasset; sed quia «portitorum injuriæ ulterius ferri non possent». Lex Cæcilia gratissima

populo fuit: optimatibus et Ciceroni vehementer displicuit. Quippe jam omnibus subsidiis respublica nudata; agris divisis; scriptura abolita; portoriis sublatis; solis provinciarum vectigalibus sustentabatur: nullumque ei supererat vectigal domesticum præter vicesimam. Cic. ad Attic. Epist. II, 15. Portoria peregrinarum mercium Cæsar deinde restituit. Sueton. in Jul. cap. 43.

Res omnes, tum venales, tum quæ magis ad luxuriam quam ad usum paratæ erant, portorio erant obnoxiæ. Publicani vero, ut ne fraudarentur a callidis negotiatoribus, mercium, quæ ferebantur, professionem exigebant. Quin et, si profitentibus diffiderent, licebat illis excutere merces, et aperire sarcinas. Pœna omissæ professionis erat, ut res improfessa caderet in commissum, seu fisco vindicaretur. Cic. Agrar. II, cap. 23. Non. Marcell. p. 53. Quintil. Decl. 341 et 359.

Res autem erant immunes, quas quis non negotiandi, sed utendi causa; quas legati exterarum, aut sociarum gentium Roma domum deferebant; non vero si ex patria sua Romam aliquid deportarent. Digest. lib. XXXIX, tit. 4. Immunitate etiam donabantur res exercitui paratæ, ut et instrumenta itineris. Quintil. Declamat. 359. Magistratibus, in provinciam euntibus, uti et ex ea decedentibus, licebat supellectilem ad usum necessariam immunem secum ferre, instrumenta luxuriæ non licebat.

Si quando Romani cum devictis gentibus mitius agere vellent, aut portoriis eas liberabant, aut ea per illas gentes exerceri permittebant; ita ut pecuniam inde redactam civitates sibi haberent. Quæ facultas sociis et civitatibus concessa a senatu, postea a Sulla adempta est. Plura de h. l. dabunt Cic. de prov. coss. cap. 3. Liv. XXXVIII, 44. Appian. de Bell. Civ. I.

Superest ut portorii modus declaretur. Res obscura et difficilis, quum auctores qui de portoriis loquuntur, quantum hoc nomine exigeretur reticeant; et quum solutionis condi-

tionem in omnibus provinciis æqualem non fuisse credibile sit; sed diversam eam fuisse pro ratione legum provincialium; aut locationis censoriæ; aut rerum ipsarum quæ importarentur, aut exportarentur. In Siciliæ portu vicesimam mercium exactam fuisse colligitur ex Cicerone, Verr. II, cap. 75.

Ex lege quæ recitatur apud Quintil. Declam. 359, omnes res quadragesimam publicano debebant. At ubi? at quarum civitatum in portu? lex non definit. Atque ea tempora significat Quintilianus, quæ pertinent ad imperatores; quum respublica jam fuisset a Cæsaribus oppressa: porro lex est ejusmodi: « Præter instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicano debeant. Publicano scrutari liceat. Quod quis professus non fuerit, perdat. Matronam ne liceat attingere », i. e. scrutari. Vides ex hac lege nihil certi elici posse, nisi hoc unum, quod supra diximus, permissam publicano scrutationem fuisse non sarcinarum modo, sed et personarum ipsarum, præter matronas, quas attingere non licebat.

Decima, portorii nomine, Chrysopoli Chalcedoniæ solvebatur ab iis, qui ex Ponto Euxino remeabant. Docet Xenoph. Hist. Gr. lib. I, c. 30. Centesima in Piræeo, Athenarum portu, exigebatur. Idem de republica Athen. pro qua vigesima exacta est tempore Peloponnesiaci belli, quum exhausta sumptibus esset respublica. Quinquagesimam in Piræeo exigi solitam fuisse contra Xenophontem contendit M. Cursius, Lection. Att. V, 28. Aliud vectigalis genus memorat Harpocratio. Ἐπώνια, inquit, est vectigal quod « re quapiam empta penditur »; ac fortasse fuit pars quinta.

Sed græca sunt hæc instituta; quæ ideo huc adduxi, ut ostenderem vectigalis istius modum ex temporum conditione, aut mercium magis vel minus pretiosarum ratione, tum apud Græcos, tum apud Romanos, fuisse definitum.

An portitoribus traditus olim fuerit index ille, gall. *un tarif*, quali nunc istorum nepotes utuntur, quo definitum

esset pretium pro quaque merce solvendum, non est quod affirmem. Contra vero existimo portitorum fuisse mercis cujusque æstimationem. Itaque sarcinas quasque diligenter excutiebant; omnia curiose observabant; sciscitabantur; mercium in pretia, vim, naturam, regionem unde adveherentur, inquirebant; et ex earum a se facta æstimatione, pro ratione pretii vectigal exigebant. Testatur Plautus in Menæch. act. I, sc. 2, ubi Menæchmus de muliere curiosa in primis, quæ virum domo egredientem, et redeuntem sedulo observabat, ait, «Rogitas quo ego eam, quam rem agam, quid negotii geram, quid petam, quid feram, quid foris egerim; portitorem domum duxi, ita omnem mihi rem necesse loqui est, quidquid egi, atque ago». Testatur Quintil. Declam. 340, his verbis : « Videtur Mangoni puer pretiosus; timuit ne magno æstimaretur». Vide et Plutarch. de Curiosit. Hinc Nonius Marcellus portitores definit, «telonarios, qui portum obsidentes omnia sciscitantur, ut ex eo vectigal accipiant». Varias fraudes adhibitas fuisse, quibus circumscribere vectigalia solerent negotiatores, si dixero, non erit quod mirere; neque si ostendero æstimationes illas quæ a portitoribus inducerentur, sæpe ab æquitate abiisse. Hinc continuæ de portitorum injuriis querelæ apud auctores occurrunt; quæ injuriæ tollendis tandem portoriis causam attulere. Cic. ad Q. Fr. Epist. I, 1. Hactenus de portorio : jam ad decumas, alterum vectigalis genus, ex agris elocatis exigi solitum, veniamus.

Alterum vectigalium genus fuisse diximus illud, quod agris imponebatur. Ager fiebat vectigalis jure victoriæ. Romani populos bello devictos aut immunes esse, ac suis legibus vivere volebant; aut suis eos agris exuebant, quos in publicum reip. patrimonium redigebant. Hinc toties apud Ciceronem, et alios, agri dicuntur publicati fuisse.

Agrorum vectigalium triplex genus fuit pro modo et varia deditionis forma : 1° aut enim agri ex hostibus capti, toti publici, et reip. velut patrimonium fiebant. Talis ager Cam-

panus fuit. Hi erant certissimum reipublicæ subsidium, quippe qui duris temporibus ad sublevandas ærarii angustias venderentur; 2° aut devictis gentibus adempti, militibus, vel inopi plebi dividebantur, unde coloniæ ortæ; 3° aut denique gentibus in deditionem acceptis colendi relinquebantur. Liv. XXVI, 16; XXVIII, 46; XXXI; 13. Cicero, Agrar. II.

Ex agrorum illorum omnium, pauculis exceptis qui immunitate donabantur, fructibus vectigal reipublicæ pendebatur.

Agrorum, qui patrimonium reipublicæ facti fuerant, omnis reditus ad ærarium pertinebat. Id erat luculentissimum reipublicæ subsidium. Agrar. II, c. 20.

Agrorum, qui coloniis erant assignati, fructus quidem ad colonos pertinebant; vectigal tamen aliquod, quasi mercedis nomine, publice pendebant. Non æquale illud fuit in omnes colonias; sed pro jure et legibus quibus deductio earum facta erat, vel pro terræ aut ubertate, aut sterilitate, alii agri quintas pendebant, alii septimas, teste Hygino, cui fere consentit Appianus, quum ait decimam partem ex satis solvi solitam; quintam ex arbustis, hoc est, ex pomo, vino, nuce, ficu, et reliqnis arborum fructibus. Hygin. de Limit. constit. I, p. 198; Appian. Bell. Civ. I.

At pinguissimum fuit illud vectigal quod capiebatur ex agris, qui gentibus in deditionem acceptis colendi relinquebantur. Arationes istæ soli populo romano erant fructuosæ; quippe ex agrorum vel feracissimorum fructibus vix supererat aratoribus unde familiam suam alerent : tantum fructuum populus romanus auferebat. Testis est una Sicilia, quæ, prima fere romanam in provinciam redacta, triplex frumenti genus, nempe æstimatum, emptum et decumanum ad perpetuam tum prætoris in provincia, tum plebis urbanæ annonam pendere cogebatur. Ordinarium fuisse vectigal decumas infinitis ex locis patet. Has Sicilia jam ab antiquis temporibus regibus suis pendebat; et postquam Romanorum provincia

facta est, omnem agrum retinuit, eo jure, ut easdem Romanis deinceps persolveret. Neque illas solum tritici, sed et hordei, et minutarum frugum omnium, vini denique, olei, mellis, etc.

Alterum præterea fuit quasi vectigal; emptum dico frumentum et æstimatum, hoc in prætoris provinciæ, illud in populi annonam Sicilia quotannis præstare cogebatur. Empti frumenti genus duplex fuit: unum, alterarum decumarum; alterum, quod præterea civitatibus æqualiter esset distributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset: hujus imperati tritici modium octingenta millia. Cic. in Verr. lib. III, c. 69.

Locatio decumarum in singula jugera fiebat. Ex singulis jugeris quæ arabantur, fructuum pars decima, decumarum nomine, detrahebatur. Hinc jugera profiteri debebant aratores. Hæc fuit, stante republica, vectigalis frumenti ratio. Nam frumentum illud quod Cicero in Pison. cap. 35, honorarium vocat, non pendebatur reipublicæ; sed dabatur prætoribus a publicanis, honoris causa, et ut illos sibi faventes in litibus suis cum provincialibus haberent. Sed honorarium vinum appellatur, quod potentibus viris, honoris gratia, offertur. Cato de innocentia sua: « Quum essem, inquit, in provincia legatus quamplures ad prætores et consules vinum honorarium dabant; numquam accepi, nec privatus quidem ». Vide Muret. Var. Lect. XII, 5. Alterum ex agris pendebatur vectigal scriptura. Ex pascuis publicis exigebatur: montes enim et agri culturæ inhabiles, silvis et salictis impediti, pascendis gregibus elocabantur; et saltus, communi nomine, vel pascua publica appellabantur. « Saltus est, ubi silvæ et pastiones sunt », inquit Festus. Saltum possidere fere proverbii speciem obtinuit de divite patrefamilias.

Pascua ejusmodi plurima per totam Italiam et provincias possidebant Romani: præcipua Italiæ erant in Apulia, et vicinis Apuliæ locis. Hinc propter magnitudinem pastorum

conjurationes in ea provincia factæ sæpe memorantur. Celebrantur etiam Scantia silva in Campania; salieta ad Minturnas, et mons Gaurus.

Pascuorum publicorum, quæ erant in Sicilia, meminit Cicero passim in Verrinis; et Asianorum, in orat. pro lege Manilia, cap. 6. In Africa etiam publica pascua fuisse testatur Plinii locus, XIX, 3. Denique nulla fere erat provincia quæ fructuosa reipublicæ pascua non haberet.

Illa privatim homines redimebant a censoribus, ut pecuariam facerent, et in ea numerosos pecorum greges, quæstus sui causa, immitterent. Varro de Re Rust. lib. II, præf. de se testatur se pecuarias habuisse grandes; in Apulia, oviarias; in Reatino, equarias. Communem saltum possidebant in Gallia Nævius et Quintius, teste Cicerone pro Quintio. Terentia Ciceronis uxor, et Atticus ipse, publica pascua in agro Mulvio possidebant. Ad Att. Epist. II, 15.

Ex his igitur pascuis, saltibus, silvis publicis, magnum ærario romano vectigal accedebat; quod diu solum fuit. Plin. XVIII, 3. Atque initio non ita certum, propter privatorum licentiam greges suos in publica pascua impune immittentium; donec tandem Publicii fratres, ædiles plebis anno Urbis conditæ 513, quum ærario consultum vellent, lege lata multam primi irrogarunt iis, quorum pecudes agrum publicum depascerent. Ovid. Fast. V, 279 et seqq. Intentiore cura deinceps publica pascua servata sunt; et multæ sæpe in pecuarios, ob violatam legem Publiciam irrogatæ sunt. Liv. X, 47; XXXIII, 42.

Ab ædilibus hæc pascuorum cura deinceps translata est ad censores, a quibus illa publicani redempta elocabant privatis certo ære, vectigalis nomine, dissolvendo.

Hoc vectigal dicebatur scriptura; quia pastores oportebat ut numerum pecudum quas in pascua publica immittere vellent, ad publicanum profiterentur: quem numerum deinde publicanus in tabulis suis describebat; ex qua scriptura vectigalis ratio, inter pastorem et publicanum, con-

ficiebatur. Inde etiam ager, sive pascuum ipsum, dicebatur ager scriptuarius. Festus.

Qui vero pecudes, quas non erat professus, aut plures quam publicano scribendas dederat, pavisset, in legem censoriam incidebat. Varro de Re Rust. lib. II, cap. 1. Omissæ professionis pœna videtur fuisse, ut non scriptæ pecudes caderent in commissum : et ut publicanus, pro vectigali fraudato, eas sibi vindicaret. Rixarum pastores inter et publicanos subortarum frequens occurrit mentio apud Livium. Nec etiam continua illis erat cum aratoribus qui agros publicos conduxerant, concordia, ut patet ex Inscript. apud Grut. pag. 150, n° 6, 7. Erant enim pastores silvestre genus hominum, et ab humanitate alienum : unde et vias publicas latrociniis eos infestasse narrat Livius, XXXIX, 29, et sæpe motus concitasse.

Hæc erat, libera et stante republica, ratio triplicis hujus vectigalis, portorii, decumarum, et scripturæ; quod multis modis primo imminutum, deinde omnino sublatum est.

De portoriis jam diximus. Eamdem sortem habuere et agri publici, et pascua publica; quod factum est incredibili locupletum avaritia, qua pulsi sunt aratores ex antiquis possessionibus, quas divites aliis temporibus alias ementes continuarunt, et populum romanum vectigalibus annuis, et pauperes propriis alimentis spoliaverunt. Itaque lex fuit necessaria, quam tulit C. Licinius Stolo tribunus plebis, anno Urbis 377 : « Ne quis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris possideret ». Liv. VI, 35. Qua sua lege ipse vigesimo anno post, quod mille jugerum agri cum filio possideret, damnatus est. Idem, VII, 16. Quum nihilominus Licinia lex negligeretur, eam Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis anno Urbis 620, nova lege sibi muniendam duxit. Neque minus tamen avaritia dominata est. Agri, quod Sempronia lex vetuerat, ut antea vendi cœperunt, atque ita in divitum a pauperibus ementium potestatem redigi. Cui incommodo

subvenire cupiens Sp. Thorius tribunus plebis anno Urbis 646, tulit, « Ne ex lege Sempronia dividerentur amplius agri publici, sed possessores in iis relicti vectigalia pro iis penderent; eaque pecunia plebi divideretur ».

Thoriam legem vitiosam et inutilem appellat Cicero in Bruto, quod fraudaret ærarium publicum, et plebi viritim pecuniam vectigalem divideret. Non tamen hoc loco res stetit, sed ulterius progressa libido est : nam tribunus plebis alius vectigal illud totum lege sua sustulit; et agros vectigales omnes immunes fecit; cavitque, « Ne populo, neve publicano pecunia, scriptura, vectigalve daretur, darive deberet ». Sic respublica omni fructu Italiæ spoliata atque nudata est : unde merito dixit Cicero, « portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, vectigal nullum superesse domesticum præter vicesimam ».

Ea fuit rerum istarum ratio in Italia. In provinciis vero attentata interdum a seditiosis, aut populari studio devotis civibus, et decerpta de publico patrimonio etiam fuisse vectigalia docent historiæ. Sic P. Clodius, furiosus ille tribunus plebis, Byzantios lege sua liberavit, hoc est, immunitate donavit. Interea divites in provinciis latifundia sibi comparaverunt, quibus agrorum scripturariorum facta est imminutio. Crevit civium, et civitate rom. donatorum numerus, atque eo crescente deminutum est portorium vectigal, cujus immunes romani cives, et socii nominis latini erant; ut colligitur ex Livio, XXXVIII, 44.

Stipendium, vectigalis genus etiam fuit, quod pendebant provinciæ illæ, quæ ob id stipendiariæ appellabantur. Harum pessima erat conditio. Tributum enim duplex conferebant. Tales Pœni, Hispani, Galli, et plures, qui per vim ultimam, et bello pertinace victi essent. Quorum corpora, sive capita, ut Latini loquuntur, et agri ipsi onusti erant. Hoc autem non, nisi in vere victos, et vi subditos, usurpatum.

Præter illa vectigalia, de quibus hactenus egimus, aliud

fuit reipublicæ vectigal uberrimum ex metallis. Metallorum nomine continentur aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, etc. saxa, lapides; cretifodinæ; cotoriæ; salinæ, etc. Vid. Goth. ad cod. lib. XI, tit. 6.

Primis temporibus in Italia metalla, et ex iis vectigalia, ærarium locupletaverunt. « Metallorum omnium fertilitate, inquit Plin. III, 20, Italia nullis cedit terris ». At propagato deinde extra Italiam imperio, quum ubertim provinciæ deinde illa suppeditarent, cautum est « vetere interdicto patrum Italiæ parci jubentium », ne metalla in Italia exercerentur. Itaque hoc lucro solæ deinceps auxerunt rem romanam provinciæ, quæ metalla visceribus suis continebant; præcipue Hispania, Macedonia, Illyricum, Africa, Sardinia.

In Hispania primus hoc vectigal instituit Cato. Liv. XXXIV, 21. Amplissimum fuisse colligitur ex Strabone, lib. III. Plumbi etiam metalla, minium, ferrum, ex Hispania amplum vectigal dederunt. Plin. XXXIII, 7.

Macedonia, jam antequam Romanorum provincia esset facta, regibus suis vectigalia ex metallis solvebat, quæ præcipuæ opes ejus regni erant.

Romani victores vectigal metalla exercentibus dimidium ejus imposuerunt quod pependissent regi. Liv. XLV, 29. Eodem modo, quo Macedonia habita fuit, cum Illyrico actum est. Ibid. c. 18. Africa, Thracia, denique omnes provinciæ, ex quibus aut metalla effodiebantur aut lapides, hoc nomine vectigal Romanis pependerunt.

Porro metalla fuerunt aut publici juris, aut privati. Publici juris, stante republica, pauca fuerunt, nec diuturna: nam sublatis Italiæ metallis, respublica subjectis gentibus videtur exercitium metallorum, vectigali tantum imposito, reliquisse. At eversa republica imperatores metalla sibi vindicarunt.

Proximum metallorum vectigal est illud quod ex salinis redigitur. Salinas primus instituit Ancus Martius: fuere

circa Ostiam. Liv. I, 33. Primum sali vectigal impositum est a censoribus Marco Livio et C. Claudio, anno Urbis conditæ 549. Idem, XXIX, 37. Unde et Livio, cujus id commentum esse credebatur, Salinatori inditum cognomen est. Quantum hoc vectigal stante republica fuerit, incertum. Sub imperatoribus eamdem hujus vectigalis summam, quæ metallorum erat, nimirum decimam fuisse vult Pancirolus, Var. Lect. III, 31.

Vendere sal licuit olim privatis; sed ejectis regibus, quia nimis impenso pretio veniret, arbitrium hoc illis ademptum, et in publicum translatum est. Liv. II, 9. Quodcumque magistratibus aut legatis per provincias euntibus de publico subministrabatur in sumptus itineris, a sale salarium dictum est. Hinc in glossis salarium vertitur παροχὴ, et salarii, i. e. præbitores, ab Horatio parochi appellantur. Sat. I, 5, 45. Hæc sint de metallorum vectigali.

Præter autem diversa vectigalium genera quæ hactenus descripsimus, vectigal aliud fuit, domesticum, quo vigesima pars de pretio servi manumittendi ærario solvebatur, et dicebatur vectigal manumissionum. Ejus origo refertur ad Cn. Manlium consulem, qui de eo legem tulit, anno Urbis 396. Liv. VII, 16. Ab hoc tempore constanter exactum est usque ad ultima reipublicæ tempora; et sublatis portoriis, et reliquis Italiæ vectigalibus, unum hoc superfuit. Cic. ad Att. II, epist. 16. Quæritur uter vigesimam solverit, dominusne qui manumittebat, an servus qui manumittebatur. Ex Arriano Diss. in Epict. II, 1, potest colligi vectigal istud a domino solvi solitum fuisse; et ita censuisse videtur Gronovius, de Pec. vet. III, 13. Sed verisimilius est id a servo ipso fuisse persolutum. Docet aperte idem Arrianus, III, 26, et Petronius, cap. 58 et 71. Dominos tamen servis aliquando libertatem gratuitam et immunem præstitisse benivolentiæ gratia, non negaverim.

Vectigal manumissionum, qui auro solvi solebat, dicebatur aurum vicesimarium : in sanctiori Saturni ærario ad

summos reipublicæ casus servabatur. Liv. XXVII, 10. Et quoniam, ut Rævard. observat de Auctor. prudent. cap. 7, duplex erat manumissio, altera justa, quæ vindicta, testamento, censu; altera latina, quæ vel inter amicos, vel convivii adhibitione, vel per epistolam fiebat, a vigesimæ vectigali immunes erant servi, qui justam, seu perfectam, i. e. jus romanæ civitatis non consequebantur. Quid enim solverent ii, qui quotidie a dominis in servitutem revocari poterant? Non etiam exigebatur istud ab iis servis qui a peregrino manumittebantur.

Huic vectigali colligendo præficiebantur publicani vicesimarii, qui ex servi manumissi æstimatione partem suam sibi auferebant. Illam æstimationem definire non ita promptum est. Variasse, pro servi manumissi pretio, non est quod dubitetur.

Hactenus maxima populi romani vectigalia quam potuimus breviter et accurate recensuimus. Supersunt minuta quædam verbo declaranda.

Primum occurrit illud, quod pro aqua pendebatur.

Aquæductus publici Romæ constituti sunt an. U. C. 441. Eo anno, quo Appius Claudius censor viam ab Urbe Capuam usque munivit, ab eo dictam Appiam; idem aquam ab eodem dictam Claudiam primus induxit, quum antea Romani aquis Tiberinis tantum, aut fontibus puteisve contenti fuissent. Vetitum autem primo fuit privatis aquæ publicæ partem aliquam decerpere. Front. de aquæduct. II, p. 247.

At sensim jus aquæ publicæ vel ruri in agros privatos deducendæ, vel Romæ in domos privatas derivandæ, dato certo vectigali, permissum est a censoribus, aut, quum censores in republica non essent, ab ædilibus. Hoc appellabatur vectigal ex aquæductibus; sive hortorum, eo quod iis irrigandis aqua deduceretur; sive formæ, sic enim appellabantur canales, per quos aqua ex publico in privatorum agros derivabatur. Meminit hujus vectigalis Polyb. lib. VI.

Proximum huic vectigali est illud, quod pro cloacis solve-

batur, cloacarium vulgo dictum. Cloacæ a Tarquinio Prisco institutæ fuerunt; admirandum sane opus, et in quibus prædicandis auctores mirifice sibi indulgent. Vid. Lips. de Magnit. Roman. III, 12.

Erant præterea, solarium, quod pro solo pendebatur, in quo ædificia excitabantur. Non aliter Dido Carthaginem condidit, statuto annuo vectigali pro solo Urbis; quod vectigalis illius antiquitatem declarat. Justin. XVIII, 5. Columnarium, et ostiarium, erat vectigal, quod pro columnis, et ostiis ædium privatarum exigebatur. Ejus origo refertur ad legem Juliam sumptuariam, qua, quum omnium impensarum modus et numerus esset definitus, etiam insanum columnarum, et ostiorum studium inhibitum est, imposito vectigali, si quis plures, quam lex permitteret, haberet. Vide Bosium ad Ep. 6 ad Att. lib. XIII. Non diuturnum hoc vectigal fuit. Libitinarium fuisse videtur etiam vectigalis genus quod pendebatur libitinariis, qui jus apparandorum funerum a populo redemerant. Vid. Kirchm. de funerib. I, 9.

Tertullianus, Apolog. 13, et l. I, ad Nat. 10, memorat olitorium, quod redemptoribus pendebatur pro iis rebus quæ in foro olitorio venales proponerentur; Serapeum, Capitolium, quod pendebatur pro solo templi, pro aditu sacri; pro stipitibus; pro ostiis: verum an hæc omnia instituta fuerint stante republica, affirmare non ausim.

Hoc satis erit dixisse de vectigalium numero, et magnitudine. Jam vero operæ pretium fuerit declarare quam pecuniæ annuæ summam hæc universa in unum collecta conficerent; ac proinde quantus pecuniæ modus florente republica, «Orbem quum totum victor Romanus habebat», rediret quotannis in ærarium publicum. At ne tentemus ea quæ, si non vires hominis, at sane meas excedunt. Immensam illam fuisse pecuniam quantum conjectura assequi possumus, affirmare non dubitabit, qui ad illa mihi pro se animum intendet, quotuplex vectigalium genus fuerit;

quantum pecuniæ ex uno quoque conficeretur; quot provinciæ, quam latæ, quam vario fructuum genere abundantes; quot nationes, quam opulentæ romano imperio parerent, a quibus singulis vectigal raro leve, sæpe gravissimum, exigebatur.

Sola Asia, Minorem intellige, imo Ioniam, et hanc Asiæ Minoris partem quæ ad mare est, quo tempore Cæsar est interfectus, pro vectigalibus pendebat annua viginti talentorum millia (circit. 110,000,000 fr.). Id colligitur ex Plutarch. in Anton. et Appian. de Bell. Civ. V. Hic ait Antonium, postquam Philippis debellatum est, ab Asianis exegisse ut decem annorum vectigalia intra anni spatium repræsentarent; ille autem refert collata ab his ducenta millia talentum fuisse; quæ si in decem annos dividantur, exsurgent vicena millia annua talentum, quæ vectigalis nomine quotannis Asia tum pensitabat.

De Pompeii triumpho post devictas ab eo Asiam, Syriam, Phœnicen, Judæam, Ciliciam, etc. narrat Plutarchus in Pomp. atque in eo prælatum fuisse ait titulum, qui literis indicaret universa populi romani vectigalia (subaud. ex his locis) ante id bellum bis millies fuisse (circit. 41,000,000 f.); ex iis vero quæ bello ipse acquisisset, redire ad ter millies quadringenties (circit. 62,320,000 fr.).

Quod si quem id commoveat, quod summa hæc vectigalium ante victoriam Pompeianam exigendorum longe minor illa fuerit quam modo ex Plut. et Appiano retulimus, is noverit Asianos initio, post Attali testamentum, quo Romanis relicti fuerant, indulgentius etiam acceptos fuisse; donec exortæ turbæ fecerunt ut majores illis pecuniæ imperarentur. Appian.

Decumas unius Siciliæ, atque eas tenuiter æstimatas, Cicero fuisse dicit nonagies sestertium (circ. 1,845,000 fr.), at solas tritici decumas significat. Quid si his addas hordei, et leguminum? Quid si vini, olei, mellis, etc. quorum proventus in Sicilia fuit uberrimus, an ex his decumis minus,

quam ex illis exactum fuisse quis affirmare audeat? Quid pastiones jam dicam? quam numerosæ, quam fructuosæ fuerint populo romano? Sicilia omnis est montosa. Ex vallibus arabantur fruges uberrimæ. Colles, vepreta, silvæ, denique seges omnis quæcumque vitibus non erat accommoda, aut frugibus, pascebatur pecoribus. Huc armenta et greges immittebantur, pro quorum singulis capitibus reipublicæ pendebatur vectigal. Hoc quantum fuerit, et quam fructuosum facile tibi animo finges, si attenderis quod supra diximus, saltus illos vulgo elocari solitos fuisse Romanis opulentis, qui magnas pecuarias in Sicilia faciebant. Hæc omnia, decumas et pastiones dico, ad quatuor, vel quinque milliones gallicæ pecuniæ non inepte videor posse producere. Hæc magna sunt, quis neget? Sed si cum portoriis, quam parva præ illis videbuntur! urbs maritima quæque, multæ autem erant in insula Sicilia, suum fere habuit portum; et in eo portitores, qui pro rebus aut importandis, aut exportandis vectigal exigerent. Ex omnibus orbis partibus naves huc per omnia maria ad omnes Siciliæ portus, quia tutissimi erant, appellebantur ex Hispania, ex Asia, et Syria, Tyro, Alexandria. Hic statio navibus et mercibus erat quasi constituta.

Celeberrimus omnis erat Siciliæ portus, sed maxime Syracusanus, « omnium quietissimus quos aut natura posuit in tutelam classium, aut adjuvit manus; sic tutum, ut ne maximarum quidem tempestatum furori locus esset », Sen. Consol. ad Marc. c. 17.

In eo portu, teste Cicerone, lib. II in Verr. c. 75, partem vicesimam pretii earum rerum quæ importabantur, publicani, portorii et vectigalis nomine, exigebant. Res illæ erant purpura Tyria; thus, atque odores; vestesque linteæ; gemmæ et margaritæ; vina græca; venales Asiatici. Lib. V, cap. 56.

Ex tot et tam pretiosis mercibus facile intelligitur, quam uberrimum effecisse vectigal harum pretii vicesimam par-

tem; quantum reliqui Siciliæ portus; quantum Syracusanus ipse in omni cujusvis mercium generis advectione et evectione toto anno efficere debuerit pecuniarum. Qui has vel ad viginti, vel etiam ad triginta gallicæ pecuniæ millions produxerit, an ille audacior in illa re augenda erit jam existimandus? Conjectura ducti sat bona, et pressis Ciceronis ex vestigiis subodoramur quam magnus census reipublicæ fuerit ex Sicilia. At quanto fiet major, si vectigalibus illis adjunxeris minutiora quædam: si tributi genus addideris non leve, quod stipendiariæ non paucæ civitates in Sicilia pendebant. At Sicilia quanta pars fuit orbis romani? profecto ne centesima quidem.

Jam vero quot erant portus, in quibus non vigesima, ut Syracusis, sed octava etiam exigebatur. Hæc enim pro locis et mercibus variasse opinandum est; maxime tamen pro mercibus, ut gravius vectigal solverent peregrinæ, ad delicias magis aut pompam, quam ad usum necessarium invectæ; qualia sunt marmora, ebur, gemmæ, mancipia, unguenta, et cetera infinita ejusmodi, quibus luxus indigebat: quibus si octavam imponis vectigal, quantum id futurum sit? Neque tamen his omnibus, quæ significata sunt, vectigalia definiebantur. Erant præterea minutiora alia, ut modo dicebamus, quæ pecuniis non spernendis et ipsa locupletabant ærarium; uti sunt vigesimæ manumissionum; centesimæ rerum venalium, et auctionum, de quibus Cic. epist. 18 ad Brutum; et cetera id genus sane multa.

Stipendium, tributi genus erat, quod, quasi victoriæ præmium et pœna belli, victis provincialibus imperabatur, qui ob eam rem stipendiarii dicebantur. Tales fuere Hispani, Galli, plerique Pœnorum, Syri, Cilices, Judæi, etc. An vero hi stante republica, non affirmo.

Illud autem singulis vulgo imponebatur pro censu, in caput unius cujusque, habita tamen ætatis ratione. Nam in Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecim feminæ, usque ad sexagesimum quintum tributo capitis obligaban-

tur. Ulpian. Digest. lib. L, tit. 15, l. 3. Solvebatur pro agris et opibus. Deinde æstimatione eorum omnium facta, etiam centesima annua pro ipso capite dabatur. Is enim erat fere modus istius tributi. Pro liberis ipsi parentes exsolvebant. Servorum æstimatio censibus accedebat. Ista capitatio, fas sit uti verbo peregrino, alterum vectigal fuit grave populis, quibus, præter ordinarium, accedebat [unde stipendiariorum conditio durissima semper habita est]: reipublicæ vero fructuosissimum; etsi solis centesimis primo persolvi videretur. Sæpius enim eveniebat ut duæ, ternæ centesimæ exactæ fuerint ab iis nimirum, qui sæpe victi, quia sæpe rebellarent; quanto magis inde crescere debuit vectigal? Certe de Judæis scribit Appianus in Syr. ob eam rem graviora Judæis tributa, quam quæ pro censu conferrentur, in singulorum caput imposita fuisse.

Ergo, ut hoc argumentum concludam, facile dixeris orbis universi divitiarum partem maximam in ærarium romanum confluxisse, et quidquid annis singulis populi, aut sererent, aut meterent, id omne reip. fuisse.

De jure instituendi, et locandi vectigalia pauca hæc addimus.

Jus instituendi vectigalia penes reges initio fuit, quippe quorum manu omnia gubernabantur. His ejectis omnis eorum potestas ad senatum, populumque romanum pervenit. Digest. l. I, tit. 2. Hic ergo quæritur penes quos, libera republica, fuerit potestas vectigalia instituendi; an ea penes senatum fuerit inconsulto populo, an senatusconsulto jussus populi accedere debuerit. Ita censet Manutius. Vectigal, inquit de senatu Rom. pag. 85, victis bello gentibus non sine populo senatus imponebat. Sed Manutium probe refellit P. Burmannus de Vectig. c. 7; et locupletibus adductis auctoribus probat populi partes eas tantum fuisse, ut bellum aut fœdus juberet, aut vetaret; sed provinciarum et ærarii curam ad senatum unum pertinuisse. Instant adversarii, et ex multis Livii locis, nempe lib. IV, c. 8; lib. XXIX,

c. 37; lib. XL, c. 51, probare conantur jus illud instituendorum vectigalium senatui cum censoribus communicatum fuisse. Fatetur idem Burmannus et censores et alios magistratus inventores quidem, suasores, et tutores vectigalium fuisse; at negat illos ea aliter quam ex senatusconsulto instituisse: et testem ejus rei producit Ciceronem, qui objectum Fonteio portorii vinarii in Gallia ab eo instituti crimen magnum vocat (pro Font. c. 5), et falso objectum fuisse contendit. Quod argumento est, nulli magistratui licuisse, inconsulto senatu, vectigalia instituere. Quin et civitates et municipia, quibus permittebantur agri, pascua, et metalla, ex quorum vectigali onera sua sustinerent, jus ipsum vectigalis novi alicujus instituendi non habuerunt; sed illud a senatu obtinere debuerunt.

Vectigalium locatio, seu, ut sæpe Cicero loquitur, venditio, censoribus a senatu permissa erat: debebat fieri Romæ. Censores vectigalia locaturi tabulas publice proponebant, in quibus leges et conditiones locationis descriptæ erant. Hinc mentio tabularum et legum censoriarum frequens apud Ciceronem in Verrinis, et alios.

His multæ continebantur in eos definitæ, qui fraudassent vectigal; et remittebantur pretia redemptionis iis, qui frui publico per hostem non possent. Locatio autem [Macrob. Sat. I, cap. 12] quinto quoque anno, mense martio, qui primus anni habebatur, fiebat in foro, hasta posita, quæstore præsente, qui pretia quibus locationes factæ fuerant, in codicem dictum hastarium, referebat. Vid. Tertull. Apolog. c. 13, et ibi Rigalt. Excipienda tamen est Sicilia, cujus vectigalia non a censoribus, sed ab ipsis magistratibus qui eam provinciam obtinebant; non Romæ in foro, sed in ipsa insula; non nova lege et conditione, sed veteri et Hieronica, vendi debuerant. Cic. in Verr. lib. III, c. 6.

Omnis censorum potestas circa locationes finiebatur: pecuniam ex vectigalibus redactam ipsi non recipiebant, sed quæstorum ea cura fuit. Consulum etiam partes aliquæ fuisse

videntur, in examinandis nimirum publicanorum rationibus. Vid. Cicer. ad Att. lib. IV, ep. 11. Vectigalis scripturæ curam aliquando ædiles gessisse apparet ex Ovidio supra citato.

Omnes qui reipublicæ vectigalia redimebant, communi nomine dicebantur publicani, a publico, quod apud Cic. pro Rab. Post. cap. 2, et alios bonos auctores, idem est ac vectigal. Sic ad Q. Fratr. I, 1: «et publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis». Non erant vile et sordidum hominum genus, sed erant ex «equestri splendore homines, flos equitum romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reip.» inquit Cicero pro Plancio, cap. 9. Ergo publicanorum ordo equitibus romanis constitit, ac nulli fere alii fuerunt publicani, quam equites romani: itaque sæpe pro equitibus usurpantur.

Quoniam vectigalium redemptio res erat maximi impendii, ad quam sustinendam ampla pecunia opus foret, quia totius alicujus provinciæ vectigalia, atque ea sæpe diversi generis, ut portorium et scriptura, simul redimebantur, non erat unius, quamvis ditissimi, ea redimere. Itaque societates inibantur, ut collatæ opes facilius sufficerent immensæ vectigalium administrationi. Hinc frequens sociorum, et societatis, quum de publicanis agitur, mentio passim apud Ciceronem, et alios occurrit. Inita societate, locatum sibi provinciæ alicujus vectigal socii inter se in partes tot, quot erant ipsi, distribuebant, et suam cuique partem pro ratione pecuniæ, quam in societatem contulerant, assignabant. Hinc de Rabirio Postumo Cicero dicit in ejus defensione, cap. 2, magnas eum partes habuisse publicorum, hoc est, populi romani vectigalium, quia, quod erat ditissimus, majorem, quam reliqui socii, pecuniam in societatem contulerat.

Partibus ita distributis ditiores publicani, si quando tenuioribus amicis, et qui redimendis vectigalibus pares non essent, gratificari vellent, particulas aliquas concedebant unde rem facere possent. Cicer. ibid. Valer. Max. lib. VI, cap. 9, § 7.

Conductio vectigalium fiebat per unum aliquem, qui quasi princeps erat societatis : dicebatur manceps, quasi manuceps, id est, manu capiens, inquit Festus, quia manu sublata se pluris esse licitatum significabat. In auctionibus enim sublata manu, vel digito licitationes fiebant. Quamquam ipsi universe publicani aliquando mancipes a Cicerone appellantur : ut in Divinat. in Cæcil. cap. 10.

Mancipis periculo maxime totum vectigalium negotium gerebatur. Ipse præcipue reipublicæ erat obligatus. Ipse pro se et pro sociis cogebatur, datis fidejussoribus, qui prædes proprie dicebantur, cavere populo. Festus; Ascon.

Diversus a mancipe erat qui dicebatur magister societatis, cujus mentio sæpe occurrit in Verrinis, et alibi. Magister fuisse videtur primarius aliquis socius, qui omnia societatis negotia Romæ administrabat ; ad quem controversiæ omnes deferebantur, quæ ad rem communem pertinebant ; qui rationes societatis conficiebat ; et apud quem tabulæ asservabantur. Ejus magisterium fuisse annuum, a Cicerone adducor ut credam, lib. II in Verr. cap. 74. Anno exacto, alter ei succedebat magister; sic tota in locatione magistri quinque selecti ex sociis numerabantur.

Magister in provinciam cujus vectigalia conduxerat societas, vicarium mittebat qui ejus inibi vicem gereret, et totius provinciæ vectigalia curaret. Is dicebatur pro magistro dare operas; et ipse promagister uno verbo, ut proconsul, appellabatur. Talis erat Zachæus ille, qui princeps publicanorum vocatur in Evangelio, apud B. Lucam, c. 19, vers. 2.

Præter eos qui societatem constituebant, erant in provinciis etiam alii qui societati serviebant, quos promagister per urbes dimittebat, qui portoria, scripturam, etc. exigerent, ministri publicanorum et mercenarii : gall. *des commis.* Val. Max. lib. VI, cap. 9, § 8. Sic Canuleius ille de quo Cicero, lib. II in Verr. cap. 70, in portu Syracusis operas dabat. Sic Rupilius, Valerio teste ubi supra, publicanis

operas dederat in Sicilia, in qua postea fuit imperator. Ejusmodi mercenariorum officium erat præcipue, ut tabulas conficerent, quæ Romam ad magistrum societatis deferrentur. Porro ad has operas non omnes liberos, sed et servos etiam adhibitos fuisse patet ex Cicerone. Ibid. cap 77, et de Prov. Consul. cap. 5.

Præter equites eos qui redimebant vectigalia, aut qui pro redemptoribus spondebant, erant ex iisdem, qui simpliciter societatem cum redemptoribus inibant, hoc est, qui solummodo pecuniam, sine opera sua, suppeditabant. Ex isto genere fuit Atticus. Testis ejus rei est Corn. Nepos in Att. c. 6. Publicanorum a societatibus more et legibus removebantur, 1° magistratus. Itaque Verri objicitur, lib. III, c. 57, quod, quum prætor esset Siciliæ, nihilominus cum publicanis partes habuerit; 2° peregrini, et servi. Hinc salse tangitur idem Verres, ibid. c. 20, et c. 39, qui in hujus moris partem etiam, Apronium Veneriosque servos, novum genus publicani, constituendo, peccavit.

Ceterum istæ societates publicanorum ex equitibus tantæ erant in republica, et dignitatis et auctoritatis, ut Cicero ipse, ad Att. lib. VI, ep. 2, sibi applaudat de amore et benivolentia qua ipsum publicani complectebantur; et quod eorum esset veluti patronus.

Vectigalia provinciarum ex agris, et pascuis, et portubus publicis exigebantur. In iis conducendis publicani maxime erant occupati. In agris publicis homines quidam collocati erant, qui aratores atque agricolæ dicti, eos colebant, et decumam frumenti populo romano dabant : in pascuis alii, qui pastores appellati certum stipendium persolvebant, quod scripturam dicebant. Aratores autem et pastores fere cives romani erant, qui et ipsi quæstum sequuti, agros publicos colebant, aut pecora alebant. In Verr. lib. II, 3.

Publicani pro vario vectigalium exigendorum genere, diversa nomina sortiebantur. Nam qui decumas redimebant, decumani; qui portum, portitores; qui pascua publica,

pecuarii, quorum ratio dicebatur scriptura, appellabantur. Decumani, principes, et quasi senatores publicanorum habebantur. Cic. lib. II in Verr. cap. 71. Aratores profitebantur apud eos numerum jugerum quæ ararent; professionem sequebatur pactio, qua constituebatur quantum frumenti decumano ex professione daret arator. Istiusmodi pactiones, quarum frequenter meminit Orator, conficiebantur, ut litibus publicanos inter et aratores occurreretur: et si interdum suborirentur controversiæ, secundum has pactiones a prætore dirimebantur. Ex Cicerone, lib. VI, ad Att. ep. 1, colligitur his pactionibus ascriptas fuisse usuras, si intra tempus pacto comprehensum, solutum non esset vectigal.

Publicani, pascuorum publicorum redemptores, pecuarii, ut diximus, appellabantur, et scripturarii, quia scribebant, sive notabant in rationibus suis singulas pecudes pro quibus in pascua immittendis æs accipiebant, ut supra ostendimus.

Portuum conductores ab Asconio portitores appellantur: in quo tamen eum errare credimus, inquit Burm. de Vect. c. 9; nam portitores non ipsi mancipes, quos ibi describit Asconius, sed eorum ministri erant, qui operas ipsis in portubus præstabant: Portitores, inquit Nonius, sunt telonarii, portum obsidentes, omnia sciscitantes, ut ex eo vectigal accipiant. Vid. Donat. ad Ter. Phorm. act. 1, sc. 2, vers. 100. Hi sunt qui τελῶναι dicuntur in Evangelio, latine publicani, sed proprie portitores fuerant dicendi.

Publicani vectigalia conducebant in foro a censoribus, quorum arbitrio hoc erat a senatu mandatum, certa se obligantes pecunia, quam quæstoribus urbanis repræsentarent. Vectigalia in quinquennium locabantur, quia eo annorum numero censura terminabatur; quo elapso dissolvebantur societates, et vectigalia denuo locabantur. De publicanorum luxuria et avaritia testimonia multa sunt apud veteres auctores.

Impenso pretio cœnasse publicanos vel illud argumento

sit, quod garum sociorum, quia societates publicanorum illo in primis delectarentur, κατ' ἐξοχὴν appellabatur liquor ille, seu sanies pretiosa, ut Manilius vocat, tantopere celebrata veteribus; quæ gari, aut scombri piscis ex intestinis conficiebatur tanti pretii, ut singulis millibus nummum (circit. 204 fr. 50 centes.) permutarentur congii fere bini. Plin. Hard. lib. XXXI, cap. 43; Sen. epist. 95; Martialis, lib. XIII, epig. 102.

De publicanorum avaritia pleni sunt veterum libri. Sed hoc loco intelligendi sunt ii præcipue, qui operas publicanorum societatibus dabant. Hi quam fraude, avaritia, immodestia, audacia superent ceteros homines nemo est qui nesciat, inquit Cujacius, in Parat. ad lib. XXXIX Digest. tit. 4. Narrat Livius, XXV, 3, M. Postumi Pyrgensis impudentia singulari prope factum, ut turbæ maximæ in Urbe concitarentur. Itaque Paullus Æmilius in Macedonia ordinanda metalli Macedonici, quod ingens erat vectigal, et prædiorum rusticorum locationes tolli voluit, quod intelligeret sine publicano ea exerceri non posse; et « ubi publicanus esset, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse ». Liv. lib. XLV, c. 18. Hanc Livii sententiam comprobat P. Rutilii, viri innocentissimi, calamitas: hunc equites romani, qui tum soli judicabant, condemnarunt, quod legatus Q. Mucii proconsulis Asiam a publicanorum injuriis defenderat. Cic. de Orat. I, cap. 53 et seqq. Liviana Epit. 70. Inde mire confirmantur præclara illa cl. *Montesquieu* verba, qui de judiciis ad equites relatis loquens : « Numquam miseriis succincti homines, et id unum quærentes ut necessitates publicas ex publicis necessitatibus sererent, æquissime potuerunt judicare. Illi scilicet judiciorum severissimæ custodiæ tradendi erant, nedum ipsi ea exercerent : neque illi ordini, qui ad unum lucrum spectans, semper exigebat, quum ab ipso nihil peteretur, divitias ac paupertatem ipsam exhauriebat, Romæ judicia erant committenda ». *Esprit des Lois*, XI, 18. Fecit tandem

hæc istorum immodestia ut tollerentur portoria (Cic. ad Quint. Fr. Epist. I, 1), et ut publicani nomen odio esset exteris nationibus. Cic. in Verr. II, cap. 3. Stante republica, publicanorum fraudes multis, interdum et exsilio vindicatæ sunt. Postea ex edicto Neronis prætores et præsides extra ordinem adversus publicanos jura reddiderunt. Corn. Tac. XIII, 50. Deinde prætor ordinariam actionem dedit, quæ proponitur in fr. 1 pr. Digest. de Public. et Vectig. hoc sensu: «Si quid publici nomine, publicani aut familia eorum vi ademissent, aut damnum injuria, furtumve fecissent, intra annum in duplum, post annum in simplum restituere tenerentur».

DESJARD. EX RECENSIONE EDITORIS.

APPENDIX

DE ORDINE EXERCENDORUM, TAM PRIVATORUM QUAM PUBLICORUM, STANTE REPUBLICA, JUDICIORUM.

Veterem judiciorum exercendorum rationem et formam expositnro, non ea mihi mens est, ut rem tenebris quandoque involutam omnino discutiam et illustrem, ac in breviori hoc compendio, quidquid in vetere jure continetur, complectar; sed ut ea tantum attingam, quæ et intelligendo Ciceroni omnino necessaria, et etiam a civili studio abhorrentibus animis non injucunda futura esse crediderim. Ceterum hac tota in re facem nobis prætulit Gaius, cujus inventus liber ad id maxime valuit, ut ea, quæ in veteri jurisdictione aut latebant, aut explicari vix poterant, jam hoc duce et auctore, mira undique luce collustrentur.

« Omnia judicia, aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa, reperta sunt : quorum alterum levius est, propterea quod et minus lædit, et plerumque disceptatore domestico dijudicatur : alterum est vehementissimum, quod et ad graviores res pertinet et non honorariam operam amici, sed severitatem judicis ac vim requirit ». Cic. pro Cæcin. cap. 2.

Ex his auctoris nostri verbis, ut ceteros omittamus, manifestum fit judicia fuisse, aut privata, hoc est, de controversiis inter privatos; aut publica, id est, de criminibus ad totam rempublicam pertinentibus propter atrocitatem. Utriusque judicii exercendi ratio erat dissimilis : itaque de singulis dicam sigillatim. Atque ita porro hic titulus in duos articulos distribuetur.

ARTICULUS I.

De judiciis privatis.

Juris dicendi provinciam initio reges habuere, deinde consules et qui cum potestate consulari fuerunt; postremo tota ejus administrandi ratio ad summum quemdam judicem, seu prætorem pervenit, qui legum interpres, custos, administer esset et exsequutor. Sed quum tam multa in eum ingruerent negotia, ut neque solus de eis decernere, neque eis adesse posset, tunc judicandi munere alteri delegato, postquam ipse de jure cognovisset, quod ad factum pertinebat alii cuilibet decernendum committebat. Jurisdictio igitur prætoris in duobus fuit posita, ut nempe aut ipse judicaret, quod perraro evenit, aut judicandi munus alteri delegaret. Quum judicavit, tum decrevisse, aut decretum interposuisse; quum judicari jussit, judicem dare dictus est.

Neque autem judices, ut apud nos, ex certo ac peculiari ordine constabant, quorum proprium illud erat ut jus administrarent, neque umquam ex illo munere moverentur. Privati scilicet erant homines, qui ex egregiis delecti civibus, ad tempus de civium fortunis, ex prætoris sententia, decernebant; quos optime nostris juratis similes dixerimus.

Prætor autem, imperio simul ac jurisdictione, seu judicandi simul et exsequendi potestate legibus data utebatur. Tum jurisdictionem exercebat, quum definita primum ex jure litis ordinatione, deinde judicem daret qui de ea cognosceret ac sententiam ferret. Re vero judicata, jam sententiæ exsequendæ potestas ad prætorem pertinebat, qui, si reus ultro parere recusaret, tum, ex imperio, in ejus bona petitorem immittebat. Verum ea nobis serius repetenda occurrent.

§ 1. *In jure, seu ante prætorem litigatio.*

A sella curuli in qua, quum jurisdictionem exerceret, se-

debat prætor, dies juri dicundo destinatos dies sessionales vocaverunt. Horum alii postulationibus, alii cognitionibus fuerunt dicati. In prioribus intendebatur actio, in posterioribus vero de ea quærebatur, ac litigatores audiebantur. Nec omnibus quidem diebus, sed fastis tantum ac intercisis, jus dicere prætori licebat, ea etiam conditione ut fasti toti; intercisorum vero pars tantum et horæ certæ huic muneri attribuerentur. Vid. ad calc. Verr. I Exc. de Præt. Urb.

Diebus fastis, id est, diebus, quibus prætori licebat juri dicundo vacare, si dies postulationum esset, postulabat qui postulandum habebat aliquid eorum quæ supra retulimus. Ceterum postulationum ratio non erat temeraria, nec ab arbitrio pendebat : sed postulabatur ea forma, quæ in singulis legis actionibus scripta erat. Quid sint legis actiones docet Pomponius de origine juris, his verbis : « Ex his legibus [XII tabb.] eodem tempore fere actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent, quas actiones ne populus, prout vellet, institueret, certas, solemnesque esse voluerunt; et appellatur hæc pars juris, legis, id est, legitimæ actiones ».

Hinc discimus actiones plane omnes certis formulis adstrictas, verborumque cancellis circumscriptas fuisse. In harum conceptione magna cautio adhibebatur, ne aliter ageretur quam oporteret; et ut apte et congrue formula conciperetur.

Comparebant perscriptæ in albo prætoris. Ad eas litigatores stricte agebant; et formula qui cadebat, causa cadebat. Cicero pro Q. R. Comœdo, cap. 8 : « Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut in ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex unius cujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicæ a prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur ». Quinque ex causis formula quis cecidisse videbatur, quas his quæstionibus complectitur Quintil. III, 8. An huic; an cum hoc; an hac lege; an apud

hunc; an hoc tempore, liceat agere. Seu ut est apud Jctos : « ipso jure, re, tempore, loco, causa ». Cicero pro Murena lepide irridet has formulas, seu notas, ut eas vocat, quibus actiones dirigebantur. Idem pro Cæcin. c. 23, formulas appellat aucupia verborum, et literarum tendiculas; atque jurisconsultum qui non sit Orator, per se nihil aliud esse dicit, nisi leguleium quemdam cautum et acutum, præconem actionum, cantorem formularum, aucupem syllabarum. De Orat. I, cap. 55. Et ipse ait Gaius eas omnes legis actiones paullatim in odium venisse: namque ex nimia veterum subtilitate, qui tunc jura condiderint, eo rem perductam, ut vel qui minimum errasset, litem perderet. Id scilicet patricii invenerunt, ut penes se plebeios haberent, qui controversiarum omnino rudes, ad istos ne quid in eligenda actione errarent, et levi quodam peccarent vitio, confugere cogebantur.

His expositis, quæ totius hujus argumenti sint quasi prolusiones, jam dicendum est quæ ratio fuerit postulationis.

Postulationem et actionis editionem præcedebat in jus vocatio; sequebatur dies cognitionis, et denique dationis (dies) judicis postulati.

Fuit honestissima consuetudine comparatum, ut petitor eum, unde petebat, primum omnium conveniret, eique denuntiaret ut vel quod deberet, præstaret; vel, quod possideret, exhiberet, restitueretve. Hoc erat appellare, vel admonere debitorem. Cic. pro Quint. passim.

Quod si res hoc pacto convenire inter adversarios non posset, nondum tamen in jus adibatur; nec actio intendebatur, quin prius illa controversia ad communes aliquot amicos, et familiares delata esset, qui intra privatos parietes experirentur, an possent subortam componere controversiam. Cic. pro Quint. 5, 11. Inde est quod Cicero ac Livius « judicium intra parietes » nuncupent.

Quod si controversia peragi coram disceptatore domestico nequiret, veniebatur in jus hoc pacto.

Die postulationum petitor eum, unde petebat, in jus vocabat.

Nulla hic apparitoris opera; nulla dicæ scriptio. Actor conveniebat adversarium, atque ut se in jus euntem sequeretur, admonebat. Si is sequi noluisset, eum rapiebat. Atque ut ne injuriam ei facere videretur, testem suæ actionis aliquem faciebat, aut forte intervenientem, aut præsentem, cujus tangebat molliter auriculam; rogando his verbis, « LICETNE ANTESTARI? » i. e. te testem sumere. Si respondebat, LICET, tum adversarium frustrantem, aut fugientem, injecta manu ad prætorem trahebat: quod ei licebat per legem XII tabb. Porro illam auris prehendendæ consuetudinem expresserunt Plaut. in Persa; Horat. Sat. I, 9, 76. Plin. XI, 45: « Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur ». Si vero actor ante antestationem raperet adversarium, competebat in eum actio injuriarum. Lenones, fures, atque istiusmodi homines, lege excipiebantur. Neminem de domo sua in jus vocari licuit. Fr. 18. Digest. de in jus vocando.

Quod si is unde petebatur, latitaret, et nullam secum agendi potestatem faceret, quum de domo extrahi non posset, actor prætoris auxilium implorabat, atque reum evocari postulabat edicto. Edictum ad ipsius, qui latitabat, ædes affigebatur cum solemni vicinorum testatione. Si evocationi primæ non pareret, neque defenderetur; secundam interjectis decem diebus decernebat prætor, qua petitorem in bona latitantis rei mittebat: et nisi facta evocatione tertia, ad sui defensionem venisset; altero decreto bona ejus possideri, proscribi, ac distrahi jubebat prætor.

Si vero vocatus pareret, ubi copulati in jus pervenerant, actor, impetrata loquendi potestate, actionem edebat adversario, qua adversus eum uti volebat. Quod omnino necessarium erat; nam multis in causis non poterat reus divinare, quæ in se actio intenderetur; quum ex edicto prætoris in plures actiones idem posset cadere. Conf. Dupont, Disquisit. in Gai. p. 209.

Actor, edicta actione qua usurus erat, eam postulabat a prætore, id est, petebat ut sibi liceret eam in adversarium intendere. Poterat autem prætor aut statim annuere, aut diem ad illud examinandum insumere, aut omnino abnuere. Quum vero impetrarat, actor certa verborum formula silentem reum vadabatur, id est, vades, aut fidejussores, sive sponsores ab eo petebat, fore ut certo die responsurus, se in jure sisteret. Vid. Gai. IV, 185. Dies autem ille cognitionis a prætore, ex officio, aut ultro petentibus adversariis designabatur; neque perendinus erat necessario, ut olim ante Gaium omnes affirmabant. Gai. IV, 151, 181. Ita concepto vadimonio, id est, vadibus datis et acceptis, e jure discedebatur. Interea res in vadimonio esse dicebatur. Nam a vadibus vadimonium appellabatur intervallum temporis quod erat inter editam actionem, et litis intentionem.

Reus, cognita actione, quandoque sine judicio cessit; et rem per amicos communes composuit. Sin autem se ad contendendum pararet, cognitionis die uterque se sistebat, et hoc erat, obire vadimonium.

Prætor actiones edictas et postulatas ex tabulis ordine recitari, atque actores reosque citari per præconem, seu accensum jubebat, ut de eorum lite cognosceret.

Si litigatores ad vadimonium die constituto non occurrerent, id est, in jure se, non interposita dilatione, non sisterent, litem perdebant. Si solus petitor abesset, causa cadebat, ejusque rejiciebatur postulatio, nempe ut ab ipso deserta; sin autem reus, tum a prætore, propter desertum vadimonium, quæ magna erat infamia, multæ nomine, quæ sæpius litem totam æquabat, damnabatur, et prætor, postulante actore, ex edicto bona ejus possideri jubebat.

Sin autem uterque se sisteret, tum prior reus solemnibus verbis ita agebat : « Ubi tu es, qui me convadatus es? Ecce ego me tibi sisto; tu contra et te mihi siste ». Tum procedente actore et respondente : « adsum »; rogabat reus, « quid

AIS? »Reponebat actor : « AIO TE, etc.» simul formulam actionis a se editæ subjiciens : puta, si actio in rem esset, « AIO HANC REM, VEL HUNC FUNDUM QUEM POSSIDES, MEUM ESSE » ; sin actio in personam ; « AIO TE MIHI HOC DARE, VEL FACERE OPORTERE». Tunc ita concludebat : « PRÆTOR JUDICEM ARBITRUMVE UT DES POSTULO».Tum prætor ut fides sibi fieret non levi de causa litem intendi, defensuramque judicio partem utramque, diversa pignora ab eis exigebat, prout in rem, seu in personam actio cadebat. Alia autem a petitore, alia a reo repeti docet Gaius, IV, § 174.

Ab actore quidem exigebantur genera quatuor, quæ breviter percurramus :

1° Judicium calumniæ, quum reus se per meram calumniam a petitore argui diceretur; eaque de re actionem propria ex parte intenderet, quæ si succederet, petitor ad solvendam decimam causæ partem damnabatur.

2° Contrarium judicium, quod non adversus actiones omnes, ut præcedens, locum habet, sed ex certis causis constituitur: velut si injuriarum agatur, etc. Severior autem coercitio est per contrarium judicium, nam calumniæ judicio decimæ partis nemo damnatur, nisi qui intelligit non recte se agere, sed vexandi adversarii gratia actionem instituit, potiusque ex judicis errore, vel iniquitate victoriam sperat, quam ex causa veritatis. Contrario vero judicio omnimodo damnatur actor, si causam non tenuerit, licet alia opinione inductus crediderit se recte agere.

3° Jusjurandum de calumnia poterat reus a petitore exigere; atque etiam sæpius deferebat prætor, ita ut ille qui accusabat sacramenti fide se obstringeret non per malas artes litem intendere. Solemnis autem mos erat, ut dextra saxum tenens hæc adderet: « SI SCIENS FALLO, TUNC ME DIESPITER BONIS EJICIAT, UT EGO HUNC LAPIDEM », quem simul projiciebat. Quod si malæ fidei convinceretur petitor, tunc eadem quæ in judicio calumniæ, pœna sequebatur.

4° Restipulationis pœna erat, quum per stipulationem

reus a petitore exigeret, hunc, si causa victus discederet, damni causa, certam quamdam pecuniæ vim soluturum, quæ ad tertiam totius litis partem accedere solebat.

Cavebatur etiam ab eo unde petebatur, quatuor generibus, sponsione, pœna, jurejurando de calumnia, infamia.

1° Sponsio actus erat judicialis in jure fieri solitus, interposita stipulatione certæ pecuniæ, quam perderet qui sponsione vinceretur. Et ea quidem, quum de restipulatione diximus, simul explicatur. Poterat autem duabus tantum de causis fieri, velut de pecunia certa credita, cujus ea erat pœna ut tertia summæ pars vincenti adversario cederet, aut postquam dilatus debitor se nihil debere affirmaret, seu constitutæ pecuniæ, unde et controversa res et dimidia summæ totius pars adversario præstabatur.

2° Pœna quæ victum reum persequebatur, pro causæ statu discrepare, et dupli, seu quadrupli nomine imponi poterat. Sed prætor, prius quam sententiam ferret, reum admonebat etiam tunc temporis debitum fateri posse, quod si ille fateretur, simplex duntaxat solvebat, si contra pertinacius negaret, dupli damnabatur.

3° Jusjurandum de calumnia idem erat quod supra diximus, nisi quod versis vicibus reo deferretur: neque id in omni actione, sed in iis tantum quibus ne statim quidem ab initio pluris quam simpli est actio, et in quibus rei heredes, aut feminæ ac pupilli in jus vocantur. Gai. IV, 172.

4° Infamia denique laborabat, si vinceretur, reus furti judicio, vi bonorum raptorum, injuriarum; item pro socio, tutelæ, mandati, depositi. Sed furti aut vi bonorum raptorum, aut injuriarum non solum damnatos, sed etiam pactos ignominia notari Gaius, IV, 182, confirmat. Poterat autem reus, vel inchoata lite, si omnino petitori de omnibus rebus satisfaceret, infamiam hanc effugere, quæ tantum ex novissima judicis sententia victo inurebatur.

Neque ea omnia prætori satis erant, sed etiam mutuo inter se litigantes obstringebantur, ut se judicis sententiæ,

utcumque casura erat, morem gesturos approbarent. Ea erant quæ satisdationes vocabantur.

§ 2. *Ante prætorem litis contestatio.*

Quæ ubi constituta erant, formulam prætor ederet necesse erat, quam judex sequi cogeretur, unde omne penderet judicium. Neque eam prius edere poterat, quam ipse de litis causa cognosceret. Inde fiebat ut antea quædam summaria litis expositio, quæ interrogata utraque parte constabat, a prætore cognosceretur. Hæc erat vera litis contestatio, quod quidem falso nomen olim attribuebant ei litis parti qua ante judicem dissereretur, rati scilicet nullam privatæ causæ partem ante prætorem exponi. Sed tenebras has omnes quum discutere potuisset Ciceronis locus, Part. orat. 28, in quo ante judicium ait, de constituendo ipso judicio solere, esse contentionem in jure, i. e. ante prætorem; mire illud confirmavit et illustravit Gaius, III, 180, nempe constituto, ante litem contestatam dare debitorem oportere, post litem contestatam damnari oportere, post condemnationem judicatum facere oportere. Unde illud sequitur, ut, quum non nisi post litem contestatam damnari possit debitor, condemnationisque formula ad prætorem unum pertineat, necessario prætor ipse de re prius cognoscat. Gai. IV, 43. Dupont. p. 205.

Post litem autem contestatam, si in rem ageretur, prætor uter possessor, pendente lite, futurus esset designabat, donec verum possessorem judicii exitus definiret. Porro qui vindicabat, festucam tenebat; deinde ipsam rem, si moveri posset, apprehendebat, velut hominem, et ita dicebat: « Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio secundum suam causam, sicut dixi, ecce tibi vindictam imposui »; et simul homini festucam imponebat. Adversarius eadem similiter et dicebat et faciebat. Quum uterque vindicasset, prætor dicebat: « Mittite ambo hominem »; illi mittebant; qui prior vindicaverat, ita alterum interrogabat:

« Postulo, anne dicas qua de causa vindicaveris ». Ille respondebat « . . . sicut vindictam imposui »; deinde qui prior vindicaverat, « Quando tu injuria vindicavisti, D æris sacramento te provoco ». « Similiter et ego te », inquiebat alter. Postea prætor secundum alterum eorum vindicias dicebat, i. e. interim aliquem possessorem constituebat, eumque jubebat prædes adversario dare litis et vindiciarum, i. e. rei et fructuum : alios autem prædes ipse prætor ab utroque accipiebat sacramenti, quod id in publicum cedebat. Festuca autem utebantur, quasi hastæ loco, signo quodam justi dominii; maxime enim sua veteres Romani esse credebant, quæ ex hostibus cepissent.

Si qua res talis esset, ut non sine incommodo posset in jus afferri vel adduci, velut si columna, aut grex alicujus pecoris, pars aliqua inde sumebatur; deinde in eam partem, quasi in rem totam fiebat vindicatio. Itaque ex grege vel una ovis, aut capra in jus adducebatur, vel etiam pilus inde sumebatur, et in jus afferebatur; ex nave vero et columna quidpiam defringebatur. Similiter si de fundo, vel de ædibus, sive de hereditate controversia esset, pars aliqua inde sumebatur, ut ex fundo gleba, ex ædibus tegula, et in eam partem fiebat vindicatio. Gai. IV, 16, 17.

His demum peractis, prætor formulam edebat, cujus quatuor vulgo partes erant : *demonstratio*, qua res, de qua agitur, erat demonstrata ; *intentio*, qua actor desiderium suum concludit; *adjudicatio*, qua permittitur judici rem alicui e litigatoribus adjudicare ; *condemnatio*, ea est pars formulæ qua judici condemnandi, absolvendive potestas permittitur ; neque tamen partes istæ omnes inveniuntur, sed tres exstent omnino est necesse : exempli gratia : « Quod Servilius decem millia sestertium a Mævio stipulatus (1° demonstratio). Si paret Mævium decem millia sestertium Servilio promisisse (2° intentio). Judex Mævium Servilio H-S x millia condemna ; si non paret, absolve (3° condemnatio) ». Gai. IV, 9.

Inde constat judici de facti tantum quæstione cognoscendum, et ex animi conscientia, pronuntiandum, ita ut omnino ad nostrorum juratorum similitudinem accedere videantur.

§ 3. *Dies dationis judicis postulati.*

Non autem eodem die edebatur judex quo formula, sed triginta tantum elapsis diebus, postquam ad accipiendum judicem venerant, quem plerumque ipsi postulaverant litigantes; quam consuetudinem in jus per Pinariam legem translatam edocet Gaius, IV, 15.

Observandum est judicis nomine contineri non unum genus; verum hoc sub titulo intelligi judicem ipsum, arbitrum, recuperatores, et centumviros. Sive hos, sive illos actoris voluntate dabat prætor: de singulis pauca dicemus. Ad judicem mittebantur ii, quibus stricto jure decertare placebat, aut quorum causa ad stricti juris contractum pertinebat. Qua in re edebatur actio stricti juris.

Dicebatur delegatus, propterea quod certæ causæ cognitio ei delegabatur.

Arbiter cognoscebat causas quæ erant bonæ fidei, aut quas ex arbitrio judicari litigantes malebant. Quæ sit ratio arbitri, cui solutum ac liberum erat de formula discedere, ac judicis, qui ea veluti constrictus tenebatur, optime definit Cicero pro Comœdo, cap. 4: « Judicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ; ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur: ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex. Si paret H-S ɪↄↄ dari oportere. Hic nisi planum facit H-S ɪↄↄ ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum; quantum æquius, et melius sit dari ». Porro unus semper arbiter, aut judex dabatur.

Secus erat de recuperatoribus, qui numquam non plures erant. Ad eos quasi ad diversi generis arbitros, sive sequestres, qui summatim de re deciderent, confugiebant litis cito peragendæ cupidi; et ii quidem non nobiliorum, sed ex quolibet civium numero eligebantur. In provinciis dabantur ex foro illo, et conventu, id est, ex civibus romanis, sociisve, qui in iis oppidis versarentur, quæ ad id oppidum convenirent, in quo forum agebat prætor. [Gall. *qui étaient du ressort.*] Itaque inter cetera hoc quoque crimini vertit Cicero Verri, quod non de conventu, sed de cohorte sua dedisset recuperatores, lib. III in Verr. cap. 11, 59, 60.

Centumviri quasi electi judices, seu jurati, quotannis a triginta quinque tribubus, quæ tres singulæ assumebant, eligebantur, ita ut eorum numerus ad usque quinque et centum progrederetur, sed contrahendi causa dicti centumviri absolute. Illi a judicibus et arbitris non propter dignitatem differebant, sed quod omnino non similes eæ causæ essent de quibus cognoscebant : ii quidem in Basilica Julia, modo per partes, modo universi, ex jussu prætoris judicabant, Cic. de Orat. I, 38, et de his rebus judicabant quæ majoris essent momenti : puta, de usucapionibus, servitutibus, testamentis, etc. Ea erat his judiciis vis, ut in Romanorum jus transire solerent, et eis esset auctoritas rerum perpetuo similiter judicatarum.

Curabant partes ut prætori arbitrum, vel judicem designarent, quarum postulationi ille annuere solebat. Sin dissentirent, sorte judex obveniebat.

His ita constitutis, actor reo et actori reus denuntiabat quo die eum judicio adesse vellet. Is erat dies tertius, sive perendinus: nam in eum judex datus fuerat. Hæc denuntiatio prisco more dicebatur condictio, seu comperendinatio. Gai. IV, 15.

Judicium.

Die tertio judicium factum est, nisi aut judex, aut alter litigatorum abfuit.

Quod si causa absentiæ fuit probabilis, uti v. gr. morbus, dies judicii prolatus est, seu diffissus.

Postquam judex venit, extemplo ad jurandum accessit se ex lege judicaturum. Arbiter non juravit, quia cognovit causas quæ erant bonæ fidei. Formula jurisjurandi solemnis fuit, «ex animi sententia»: locus, ara in comitio, quæ «puteal Libonis» dicebatur.

Quod si litigatorum alter non adesset, neque morbum excusaret, non statim causa cadebat; sed, dimisso tribunali, alter ad prætorem ibat, a quo edictum, quo absens citaretur, postulabat. Dabat prætor in dies decem, cui si absens non pareret, secundum in dies decem atque etiam tertium edictum scribebat, et denique edebat in eum edictum peremptorium, ac jubebatur judex de lite, quasi præsente utroque, cognoscere, cui tamen si melior absentis causa videretur, pro eo judicare licebat.

Judex quum unus fuit, unum aut duos judicii socios jurisperitos sibi adjunxit, quorum consilio in judicio uteretur. Ita Aquillius in causa Quintii judex, tres jurisconsultos in consilium vocavit. Ipse sedit juratus; alii injurati: non enim judicarunt, sed consilium communicarunt.

Causa exponebatur apud judicem aut per litigatores ipsos, aut per patronum, uti Cicero Quintii causam egit apud Aquillium. Eadem aut paucis, aut pluribus verbis exponebatur.

Brevis expositio appellabatur causæ conjectio, seu collectio, quasi dicas, causæ in breve coactio; quia inde judex, audita levi litigatorum altercatione, summam quamdam ejus controversiæ quasi informationem colligebat. Longioris expositionis exemplo sint causæ a Cicerone defensæ P. Quintii, et Q. Roscii. Testibus qui plerumque decem

fuerunt, literis, argumentis ex ipsa re, de qua agebatur, depromptis in agenda causa certabatur. Ejus rei conficiendæ, ac status excogitandi, atque eo probationes omnes conferendi artificium ex libris Oratoriis, multis verbis demonstratur. Neque enim in aliis præceptis antiqui rhetores, tam græci quam latini, plus studii, aut operæ consumpserunt.

Causa utrimque perorata, per instrumenta, testes, ac jusjurandum ministrabantur probationes, et ante solis occasum sententia ferebatur. Neque enim ex XII tabulis post solis occasum jus dici, neque causa cognosci poterat. Si causa judici videretur adhuc obscurior, jurabat sibi non liquere; atque inde ad prætorem redeundum erat, qui alterum daret judicem, et secunda actio instituenda. Sin autem manifeste res pateret, statim sententiam ferebat. Sententiæ ferendæ non una omnium judicum, neque in omnibus causis ratio fuit. Sed hæc pronuntiandi formula moribus erat recepta, ut dicerent, non absolute rem ita esse, aut non esse, sed per modestiam sibi videri aut ita, aut non ita esse. Semel lata sententia, nullum jam erat judicis munus; quæ peragenda sequebantur ad unum prætorem pertinebant.

De exsequenda sententia.

Judicio causæ perfecto, lege XII tabularum cavebatur uti damnatus illud ultro exsequeretur; secus post triginta dies quam debere judicatus fuerat, manus ei a petitore injiciebatur; cujus actionis tenorem dedit Gaius: « Quod tu mihi judicatus sive damnatus es, sestertium X millia quæ dolo malo non solvisti, ob eam rem ego tibi sestertium X millium judicati manus injicio »; et simul aliquam corporis ejus partem prendebat. Nec licebat judicato manum a se depellere et pro se lege agere; sed vindicem dabat, qui pro se causam agere solebat. Qui vindicem non dabat, domum ducebatur ab actore, et vinciebatur. Ea ratione debitor *addictus* propter

judicium; et *nexus* propter vincula creditoris, dicebatur. Gai. IV, 22. A. Gell. XX, 1.

Quum autem in melius est immutata debitorum conditio, tunc jam obsolevit manus injectio, et prætor actionem alteram, cui nomen *judicati*, dabat, qua absoluta, et debitore dupli damnato, actor in ejus bona immittebatur, quæ vendi juberet, ut inde debita sibi pecunia expediretur. Ceterum vicit postea creditorum sævitia nec omnino abrogata XII tabularum lex videtur, si modo fidem Sallustio, Bell. Cat. 35, adhibemus, qui Manlianos legatos inducit, querentes, « se omnes fama et fortunis expertes esse, neque cuiquam suorum licuisse more majorum lege uti, qua nimirum cautum erat ne debitorum corpora in posterum necterentur; neque amisso patrimonio, corpus liberum habere; tanta sævitia fœneratorum atque prætoris fuit ».

Hactenus de privatis judiciis; neque enim stante republica, usitatas appellationes liquet; illud tantum constat intercedendi jus, quotiescumque se vexatos cives arbitrarentur, tribunis fuisse, et ex Cicerone, Verr. I, 46; de Leg. III, 4, ac Cæsare, Bell. Civ. III, 20, prætorem prætori, consulem consuli, et parem denique omnem potestatem pari, item ut superiorem inferiori potuisse intercedere. Quandoque prætor in *integrum restitutionem* dabat, quæ hujusmodi erat, ut si quis in actione vel accipienda, vel recusanda multis modis lapsus esset; post sententiam semel latam daretur damnato potestas litis retractandæ, et omnia in pristinum statum restituerentur; sed ea rara evenire solebant, et ex eo tantum adjunctorum concursu, quæ post latum judicium comparebant. De quibus cf. tit. 1 et seqq. Dig. lib. IV.

ARTICULUS II.

De publicis judiciis.

Olim regibus attributa de sceleribus judicandi potestas ad populum transiit, et ipsa XII tabb. lege vetabatur ne quis

capitis accusatus ab aliis quam a centuriatis comitiis judicaretur: « De capite civis nisi per maximum comitiatum ne judicanto ». Quæ quidem judicia extraordinaria vocata, quod quotiescumque scelus admissum non ab solitis magistratibus, ut tribuno plebis, quæstore, ædili deferretur, non justus erat, quemadmodum apud nos lege perpetua, definitus agendæ causæ tenor; verum senatusconsulto, sive plebiscito, quæsitor, qui de ea re duntaxat cognosceret, possetque pœnam applicare, constituebatur.

Sed quum, victoriis crescente imperio simulque vitiis cum luxu invalescentibus, jam omnino populus neque per se illa crimina cognoscere quæ a magistratu deferrentur, neque eam potestatem certo magistratui tot legibus deferre posset quot scelera patrarentur, omnino necesse fuit ut quodammodo de jurisdictione sua decederet, quam perpetuis quibusdam magistratibus in perpetuum concederet. Inde ortæ *quæstiones* illæ *perpetuæ* quæ primum anno 604, lege Cornelia de repetundis, multo firmius postea Sullanis legibus fuerunt constitutæ.

Non ea autem apud judicia de quovis poterat facinore cognosci, verum singulis quæstionibus sua erat cognoscendorum criminum pars attributa. Sic majestas, ambitus, repetundæ, peculatus, proprium suum quæsitorem habuere, nempe unum ex sex his qui quotannis eligebantur, prætoribus, exceptis urbano et peregrino, quorum alter civium, alter peregrinorum jurisdictionem exercebant. Sic usque ad Sullam exercita publica judicia, ita ut si crimen aliquod præter ea quæ nominata sunt, deferretur, lege lata novus quæsitor, qui de eo duntaxat cognosceret, constitueretur. Sulla quatuor prioribus quæstionibus alias quatuor adjecit de sicariis, de veneficiis, de falsis, de corrupto judicio, et propterea prætorum numerum auxit, ita ut octoni essent, e quibus sex quotannis de maleficiis quærerent.

Jam quid certissimum nobis de prioribus quatuor quæstionibus, quippe majoris momenti, supersit, paucis ex ordine disseremus.

I. *Quæstio perpetua majestatis.*

Maximum hoc erat apud Romanos crimen, si quis dignitatem populi romani magistratuumve ejus minuisset, aut etiam quoquomodo reip. tranquillitatem interturbare esset conatus. Siquidem, ut ait Cicero, «majestas est in imperii atque in nominis populi romani dignitate, quam minuit is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit». Et ea quidem ad multos peculiares casus referebantur, quæ hic explicare non nostri est operis, et multo convenientius in Legum Indice collocabuntur.

Sulla lege Cornelia majestatis (ann. 673) novam huic tribunali formam imposuit; ad hoc pertinere jussit, si quis contra justorum magistratuum edicta egisset, extra fines provinciæ exercitum duxisset, hostium ducibus pepercisset, auctoritatem sibi a populo rom. commissam infringi esset passus, denique quicumque civis romanus regis externi gratiam esset aucupatus: et quo ipsi magis accenderentur delatores, falsæ accusationis ullam esse pœnam, aut mulierum hac de re testimonium rejici vetuit.

Illud autem hoc loco mirandum occurrit quod ille idem dictator, qui in cruentis triumphis primus delictis pœnas æquare imperfecte quidem tentavit, qui 4,700 cives romanos ex arbitrio se proscripsisse jactabat, sui ævi opiniones tamen non offendit, et non modo non ærarii furem, aut latronem, provinciæ eversorem magistratum capite plectendum sanxit, verum multæ exsilio seu aquæ et ignis interdictione addita, ad populum provocari permisit.

Quam autem imperatorum, eversa republica, crudelitati faverit illius legis nomen nemo nescit, quum Tiberius illa fretus non jam facta, sed ipsas voces persequeretur, et pro capitali esset vel pauca et simplicia verba pronuntiasse.

II. *Quæstio perpetua de ambitu.*

Quam multis artibus Romæ summi ambirentur magistra-

tus, nemo est qui nesciat, si modo vel levissime historiæ studuerit. Ut omittamus legibus permissas illas rationes, aucupandæ popularis auræ causa, illos nomenclatores qui candidatis cujusque nomen insusurrabant, dextræ prehensiones quæ Nasicæ Scipioni repulsam intulerunt, largitiones illas quæ populo donabantur, quarum celeberrimum dederat exemplum Crassus, qui postquam decem mensarum millibus plebem romanam exceperat, ei insuper frumentum in tres menses erogaverat; jam de vetitis agamus viis quibus ad munera omnia plerique grassabantur. Primum apud eos vigebat veluti quædam suffragia redimendi provincia, quæ per suos sequestres, ministros, interpretes fieret; et de qua sæpius Cicero in Verrinis mentionem habet. Vetabantur et gladiatorum munera, quæ adeo avide expetebat populus, et multa alia quæ hic enumerare vanum ac inutile videretur.

Ac vel primis reip. temporibus necesse omnes duxerunt, has corruptelas severissimis legibus cohiberi; sic instituta Mænia lex (anno 439) et Cornelia Bæbia (571), quarum tenor non ad nos usque pervenit, sed quæ damnatum morte, aut etiam exsilio, quod semper reo liberum erat occupare, multarent.

Marius etiam eadem de causa legem tulit (634), ne in ponte per quem suffragia daturos transire erat necesse, candidatorum quisquam staret; sed ipse ceteris magis quam sibi hæc scripsisse est visus, quippe qui et ambitus fuerit accusatus, et sextum consulatum, nonnisi multa pecunia potuerit impetrare. Et ipse Sulla, quum semel prætura excidisset, nonnisi corruptis suffragiis, eam obtinuit. Quibus exemplis, etiamsi non aliunde pateret, illud comprobatur, nihil hac de re umquam leges valuisse. Quas tamen multas vel inde scriptas constat: ut legem Fabiam, ne tanta amicorum cohors candidatos prosequeretur; Corneliam, quæ tam atrociter in damnatos animadvertebat, ut senatus ei intercedere æquum censuerit; Calpurniam, quæ, quamvis

hanc severitatem mitigaret, vix quidem a populo est accepta, quippe obstantibus iis qui candidatorum pecuniam plebi dividere solebant, et ad quos divisorum nomine ea lex quoque pertinebat; et ita quidem obstantibus, ut consul, ne omnino vincerent, solemnem formulam edere fuerit coactus : « Qui rempubl. salvam volunt ad hanc legem adeant ». Et ea quidem confirmata, damnatos et pecunia, et senatu ac quovis adeundo munere multabat, etiam accusatori satis magnam mercedem tribuebat.

Est etiam alia celeberrima, quam unam in consulatu tulit Tullius noster anno 689, legem scilicet Tulliam de ambitu. Verum de ea quid in Legum Indice dicatur satius erit repetere; et idem porro addemus de nonnullis hac eadem ætate latis legibus, nempe Licinia, Aufidia, Pompeia, quæ in supra laudato Indice suum locum aptius ac convenientius invenient, quippe quæ facilius hoc loco reperiantur. Unum jam adjicere operæ pretium est, semel corrupta rep. tot reos adductos quot magistratus obtinebant, et eos semper accusare, qui a petitione sua deciderant; neque jam pecunia aut spectaculis plebem conciliari, verum armatis cohortibus forum cruentari, quæ non jam gratia verum ferro inter se contenderent, ita ut vere his temporibus conveniat, quod de Attico Cornelius Nepos dixit; nempe non eum ambiisse honores, quod neque peti more majorum, neque capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque retineri sine periculo, corruptis civitatis legibus.

III. *Quæstio perpetua peculatus.*

Hoc intelligebatur nomine furtum rerum ad remp. pertinentium et aversæ publicæ pecuniæ crimen. Ut ceteræ quæstiones, sic etiam peculatus primis temporibus certum prætorem non habuit; sed lege peculiari, aut prætoribus, aut consulibus mandabatur. Sit exemplo judicium L. Scipionis illius cui prioris Africani fratri crimen objectum

est, « quo commodior pax Antiocho daretur, ipsum sex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti ab illo rege plus accepisse, quam in ærarium retulisset». Petilliorum, tribunorum plebis, Scipionis accusatorum, rogatio talis fuit : « Velitis, jubeatis quæratur quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est... uti de ea re Servius Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores nunc sunt. Omnes tribus, UTI ROGAS, jusserunt. Serv. Sulpicio deinde referente, quem, rogatione Petillia, quærere vellent, Q. Terentium Culleonem Patres jusserunt. » Liv. lib. XXXVIII, cap. 54 et 55.

Quo autem anno a populo, qui de ejus crimine non immerito cognoscebat, ad certam quæstionem pervenerit, dubium omnino est : illud tantum constat, multo hoc tempore ante Sullam exstitisse, et illo mortuo latam Aufidiam de residuis legem, quæ ad illos pertinebat, qui nondum pecuniæ publicæ rationem ad ærarium retulerant. Qua lege tenebatur Faustus, Sullæ filius, qui pecuniam qua pater remp. spoliaverat, in manibus habebat ac retinebat.

Præter illam, nulla de peculatu lex exstat, nisi Julia, quam tulit C. Julius Cæsar; et qua peculatum, sacrilegium, et residuas pecunias complexus est : quasi tribus hisce rebus damnum inferretur ærario. Equidem peculatus sacrilegii genus est : residuorum crimen illud est, quo pecuniæ publicæ retinentur, quæ apud aliquem ex administratione resident, in publicum non relatæ.

Juliæ legis capita hæc exstant in Digestis, lib. XLVIII, tit. 13 : « Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui in aurum, argentum, æs publicum, quid indiderit, immiscuerit, aut quo quid indatur, immisceatur, fecerit dolo malo, quo id pejus fiat » : nimirum sive injecto plumbo aut stanno, dum conflatur; sive erosa pecunia; quod vitium lacunam in argento vocat Cicero ad Atticum, XII, 6.

« Qui pecuniam publicam surripuerit, vel, ut surripere-

tur, curaverit; qui tabulam æneam, leges formamque agrorum, aut quid aliud continentem, refixerit, vel quid inde immutaverit; qui quid in tabulis publicis deleverit, aut induxerit; qui pecuniam publicam delegatam in usum aliquem retinuerit, neque in eam rem consumpserit». Imperator, qui pecuniam ex præda captam penes se privatim retinuisset, eamque nec in triumpho tulisset, nec in ærarium retulisset, eadem lege peculatus tenebatur.

Peculatus igitur pœna capitalis non fuit, nec a prima origine, nec deinceps, quum in ærarii depeculatores constituta est; ea pecuniaria tantum fuit; quod Livius quoque significat lib. XXXVIII, ubi damnato de peculatu L. Scipione Asiatico, Africani majoris fratre, litis æstimatæ, et carceris, nisi solveret, mentio fit: aquæ vero et ignis interdictio nulla nominatur. Hæc ratio fuit judicii de peculatu usque ad legem Juliam; damnatis vel solvendum erat quanti lis esset æstimata, aut prædes dandi, vel in vinculis, quoad solverent, miserrime vivendum.

Diserte hæc omnia in L. Scipionis Asiatici judicio, de quo proxime dictum est, Livius significat his verbis: « Judiciis a prætore perfectis, Hostilius et Furius damnati prædes eodem die quæstoribus urbanis dederunt. Scipio quum contenderet omnem, quam accepisset, pecuniam in ærario esse, nec se quidquam publici habere, in vincula duci cœptus est. In bona L. Scipionis possessum publice quæstores prætor misit ».

Quod si reus, judicio non exspectato, in exsilium voluntarium abiisset; tum accusationem quidem is, qui cœperat, persequebatur; reum tamen absentem non alia, quam pecuniaria pœna populus condemnabat: eamque pecuniam solvere, si rediret, damnatus cogebatur; aut, si solvendo non esset, in carcerem ire.

Postea irrogata est alia lege deportatio, abrogata interdictionis pœna. Deportati vero, sicut omnia pristina jura, ita et bona amittebant omnia; denique ultimum supplicium in hoc scelus est constitutum.

IV. *Quæstio perpetua repetundarum.*

Repetundæ, et peculatus, ut ex eodem nascuntur affectu cupiditatis, sic promiscue quandoque apud scriptores sumuntur. Verum ut hoc crimen ad res populi romani; ita illud ad res sociorum et provincialium ereptas pertinet.

Devicta Italia, bellum exteris nationibus Romani intulerunt, et quas regiones sub imperium suum ditionemque subjunxerunt, eas in provinciæ romanæ formam redactas, per magistratus annuos administraverunt. Ut autem nemo sociis in ulla re oneri, aut sumptui esset, magistratus in provinciam ituri, « mulis, tabernaculisque, et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis ». Liv. XLII, 1. Argentum, vestis, et cetera ejusmodi quæ usus provincialis requirit, dabantur de publico. Denique nihil non prævisum, atque præcautum initio fuit, contra avaritiam, antequam peccari cœptum esset, quum nihildum etiam istiusmodi, pro summa illa temporum innocentia, majores nostri suspicarentur, inquit Cic. in Verr. IV, cap. 5.

Leges illæ, atque instituta officiorum, manserunt quamdiu respublica innocentiæ laude floruit. Verum ubi primum invasit animos habendi cupiditas; neque institutorum auctoritas, neque majorum reverentia, neque tacita populi existimatio iniquitatem coercere potuerunt. Provinciarum rectores, ipsi illi in quorum fide, innocentia, integritate, socii debuerant acquiescere, ad latrocinia sese avide converterunt, et commissas sibi provincias primum quidem obscure; mox vero per potestatem aperte spoliaverunt.

Crevit exinde nihilominus iniquitas : donec tandem quum ultra jam tolerari non posset, L. Calpurnius Piso, qui Frugi primus dictus est, tribunus plebis anno 604, Manilio et Censorino coss. exstitit, qui legem Calpurniam ferret de pecuniis repetundis, nulla quum antea fuisset, de Off. II, c. 21. Verba legis sunt, « Utei. quibus. in. provincieis. magistratus. populi. rom. eorumve. comites contra. leges. pecunias.

cepissent. quidve. commisissent. earum. injuriarum. ergo. Romæ. quiritari. judicioq. quæsito. sua. repetere. provinciales. possent».

Pœna qua vindicandum hoc crimen sanxit Piso, non adeo gravis primum fuit. Pecuniariam eam fuisse verba legis indicant; neque ultra sæviisse. Quod exemplo comprobatur; quum L. Lentulus repetundarum crimine oppressus, biennio post ad præturam fuerit evectus. Pœnæ huic ignominiam leges posteriores addiderunt: nempe « uti ne in senatum venire, nec in concione orationem habere repetundarum lege damnatis liceret». Auct. Rhet. ad Herenn. I, cap. 20. Additaque est postea ignis et aquæ interdictio; et postremis temporibus, exsilium. Hinc ait Cicero « multas postea leges latas, et proximas quasque duriores fuisse ».

Præterea instituit lege sua Piso ut certum hæc quæstio posthac haberet prætorem, ita ut nova lege opus non esset sociis; sed certum haberent ad quod confugerent tribunal. Etenim ante latam hanc Pisonis legem, si quando de isto crimine quæreretur, de eo extra ordinem ex senatusconsulto a recuperatoribus, uti de causa privata cognitum est. Testis Livius, XLIII, 2, ubi narrat de Hispaniæ utriusque legatis aliquot populorum in senatum introductis; qui de magistratuum romanorum avaritia superbiaque quum essent conquesti, L. Canuleio prætori negotium per senatum datum est, ut in singulos a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret. Ex hac igitur Pisonis lege cœperunt constitui quæstiones perpetuæ, quæ, uti modo dicebamus, nullæ antea fuerant.

Calpurnia lege, sublata non est magistratuum avaritia: provinciæ nihilominus populatæ et vexatæ sunt; tot reis, tot damnatis, tanto magis sæviit expilatio direptioque sociorum. Itaque post Calpurniam leges aliæ complures latæ sunt, quas ordine recensebimus.

Legem hanc subsequuta est Junia, quam tulit M. Junius Pennus tribunus plebis, M. Æmilio Lepido et L. Aurelio

Oreste coss. anno 627. Lege Junia, præter litis æstimationem, seu pœnam pecuniariam lege Calpurnia constitutam, exsilium etiam damnatis est irrogatum.

Post annos inde duos et viginti, lex Servilia lata est a C. Servilio Glaucia tribuno plebis, C. Mario II, C. Flavio coss. anno Urbis 649.

Transtulit in legem suam Servilius capita legum superiorum : tulit præterea, quod novum caput fuit, ut comperendinaretur reus : et, ut certum intra dierum spatium hujus judicii tempus concluderetur, dedit accusatori dies viginti ad agendum, hoc est, ad ea paranda, quæ accusator necessario parare deberet; et totidem reo ad defendendum. Antea si reus erat absolvendus, statim dicta sententia, dimittebatur : si videretur autem esse damnandus, quod mala ejus esset causa, judices statim eum non damnabant, sed, ut rem protraherent, et ut, quantum in se erat, parcerent, reum ampliabant. Quæ res ad summam rei existimationem et salutem pertinebat : dum etenim moram ad condemnandum hac ratione judices acquirebant, spatium reo ad se colligendum, et ad novas defensionis rationes inveniendas, dabatur.

Servilia autem lex, sublata ampliatione, comperendinationem intulit. Comperendinatio, est rejectio causæ in tertium diem, quo citantur denuo accusator et reus. Igitur ex lege Servilia duæ ejusdem criminis necessario fuerunt actiones, quarum altera instituta est post diem tertium a priori, seu, post perendinum, unde nomen habuit.

Sequitur Serviliam legem Acilia. Tulit Man. Acilius Glabrio tribunus plebis anno Urbis 652. Pater fuit hujus M'. Acilii Glabrionis, qui prætor judicio Verris præfuit. Tulit Acilius, uti repetundarum causæ una tantum actione peragerentur, et ut, « nulla omnino neque comperendinationis, neque ampliationis dilatione interposita, semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, rei judicarentur ». Cic. lib. I in Verr. cap. 9.

Corneliam inde tulit L. Cornelius Sulla dictator anno 673. Ex ea lege judicia omnia de repetundis usque ad primum Cæsaris consulatum peracta sunt, ut Cn. Dolabellæ, C. Verris, etc.

Sublatam Acilia lege comperendinationem Cornelia restituit. Fecit accusatori potestatem, uti lex Acilia, literas publicas et privatas conquirendi, obsignandi, et deportandi: omnibus denique, quod Acilia plus habuit, testimonium denuntiandi præterquam defensori. Ex hac lege quærebatur etiam de magistratu provinciali, qui rationes ad ærarium non retulisset: de iis, ad quos pecuniæ captæ pervenissent: de eo, qui proconsul privatim aliquo profectus fuisset, aut transmarinas res arcessivisset. Ea etiam accusatori viginti dies dabat; totidem reo. Pœnam constituebat reo damnato, litis æstimationem, aquæ et ignis interdictionem.

Postremo Juliam tulit C. Julius Cæsar, consul, anno 694, quæ usque ad extremum imperii tempus servata, etiamnunc in Pandectis celebratur. Julia lex multo latius patuit, quam ullæ aliæ superiores: non enim provinciales solum, sed urbanos etiam magistratus obligavit, pecuniasque revocavit omnes, quas quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepisset ipse, vel aliquis ex ejus cohorte; et qui ob judicandum, decernendumve aliquem honorem vel munus, pecuniam accepisset. Digest. XLVIII, 11, 1. Julia lege cavebatur ne quis ob militem legendum mittendumve, æs acciperet; neve quis ob sententiam in senatu consiliove publico dicendam, pecuniam acciperet; vel, ob accusandum; utque urbani magistratus ab omni sorde se abstinerent; neve plus doni, muneris in anno acciperent, quam quod esset aureorum centum. Magistratus munera, sive partes, vel officia erant, judicare; arbitrum dare, vel mutare; jubere judicare, vel non judicare; in vincula publica conjicere, aut vincire, aut vinciri jubere; ex vinculis dimittere; condemnare; absolvere; litem æstimare

judicium capitis, aut pecuniarium facere; in his omnibus lex Julia vetabat ne quis pecuniam acciperet.

Præter pœnas legibus superioribus irrogatas, Julia lege damnatus, testimonium publice dicere, aut judex esse, postulareve prohibetur. Addidit Cæsar ut repetundarum convicti etiam ordine senatorio moverentur; et ut ne judicare, neve testimonium dicere liceret ei, qui ob turpitudinem senatu motus, nec restitutus esset. Pœnæ illæ fuerunt ordinariæ; sed gravius nonnunquam et plerumque extra ordinem in id crimen, pro delicti modo, animadversum est. Legem Juliam de repetundis Tullius in Vatin. cap. 29, « acerrimam » vocat; atque multa in ea severius scripta esse ait, ac sanctius, quam in antiquis legibus, pro C. Rab. Post. cap. 8.

Quum hic de Verre fuerit quæsitum, multo certius de litis ratione constat : illud primum singulare occurrit, quod postquam accusator argumenta ac testes produxerat, responderatque reus, tertius tantum erat definitus dies, quo sententiam ferrent judices. Apparet etiam duo fuisse judicia, quorum priori, damnari poterat reus; posteriori de litis æstimatione statuebatur. Accusator etiam de postulata olim summa demittere poterat, ut Cicero qui, anteaquam in Siciliam esset profectus, in priori sua oratione H-S millies (20,500,000 fr.) repetierat, in ceteris Verris furta, immani discrepantia, ad H-S quadringenties (8,200,000 fr.) reduxerit, qua summa Verrem judices multavere. Hac ergo legum humanitate usus Verres potuit etiam deliciis exsul indulgere, donec eum Antonius, non minus Corinthiorum, ac pretiosæ cujusque rei curiosus, quædam ei recusantem proscriptione involutum interfecerit.

Ceterum quamvis peculiares suæ quæstioni cuique partes essent attributæ, et ipse senatus quotannis eas definiret, mirum tamen quam facile illæ interturbari possent. Nempe Vatinia lege anno 694 reo illud, quo ab actore vocabatur, tribunal recusare et aliud sibi eligere licebat. Itaque causa

de vi privata ad quæstionem de ambitu vocari potuit, ut ipse Cicero pro Cœlio nobis exemplum suppeditat.

Reus autem, de hoc tantum crimine apud judices convinci potuit cui castigando eos lex præposuerat; verum accusatores etiam alia crimina subscribere poterant, ut ea peculiari crimini superaddita novam vim ei adderent, majoremque fidem judicibus efficerent. Sic Verrem non eo tantum nomine persequitur Cicero, quod Siciliam deprædatus est, sed et priorem orationem in ea una re consumit, ut ostendat quot se flagitiis ac sceleribus, in Asiatica legatione, in prætura urbana, commaculaverit; eo nempe consilio, ut ea veluti introductio ac præparatio ad subsequentem omnino accusationem esse videatur.

Quæstionibus perpetuis ita constitutis ab anno 604, nihilominus factum est aliquando ut quæstiones extra ordinem etiam senatusconsulto, aut plebiscito, ut ante, consulibus, vel aliis magistratibus, vel etiam privatis hominibus mandarentur: sive quia maleficium novum esset; sive quod propter rei atrocitatem extra ordinem de ea quærendum esse videretur. Sic Cn. Cæpioni cos. de L. Tubulo, qui, prætor quæstionem inter sicarios sortitus, pecuniam ob rem judicandam ceperat, plebiscito decreta est. De Fin. II, cap. 54. Sic in causa Milonis quæstionem L. Domitius, suffragio populi creatus, nova lege Pompeii exercuit.

Quæsitorum, sive ordinarii, sive extraordinarii essent, potestas ex ea lege, qua creati erant, tota manavit; et in his tota collocata fuit, ut in foro atque in tribunali, et in sella curuli sedentes, judice quæstionis aliquo operam, fidemque navante, gladio, ut alio loco dixi, posito, judicium exercerent cum iis judicibus qui sorte designati obvenissent, sedentibus in suis subselliis; scribis vero, accensis, præconibus, lictoribus, aliisque apparitoribus assistentibus; ac totum judicium prudentia sua regerent. Nam « accusatoris officium est, inferre crimina; defensoris, diluere; testis, dicere quæ scierit; quæsitoris, unum-

quemque eorum in officio continere». Rhet. ad Herenn. IV, cap. 46.

Diximus judicem quæstionis fidem prætori, operamque navasse. Atque ita est. Prætor, quem summum quæsitorem recte dixeris, dabat actionem et negabat, ut supra fuit sæpius videre; cogebat judices; invitos pro potestate retinebat, aut pro arbitrio dimittebat. Judex autem quæstionis aut prætoris vices explebat, ac ejus loco præerat, aut præsente illo inferior vicarias partes exercebat; judices sortiebatur; testes audiebat; quæstiones habebat; tabulas inspiciebat; quæ omnia prætor aut propter occupationes obire non poterat, aut propter dignitatis fastigium exsequi nolebat. Sic in causa Oppianici prætor Verres, judex quæstionis C. Junius fuit: in causa Verris prætor fuit M'. Acilius Glabrio, judex quæstionis, Q. Curtius. Denique prætor, ut ait Quintilianus, in iis quæ imperii sunt fere impediebatur; judex quæstionis, in iis quæ ad causæ cognitionem pertinebant. Quibus conditionibus eligerentur quæstionum judices, non omnino constat; apparet inter ædilitatem et præturam eligi solitos, ita ut veluti gradus ad superiorem dignitatem esse videretur. Ceterum non magistratuum loco habebantur, utpote qui, vel illud exercentes munus, citari possent et accusari. Quod omnino de magistratibus fieri non poterat, ut sæpius jam est dictum.

Postremi ad cognoscendum sunt judices; id est, privati homines qui ex lege ad judicandum certo numero adhibebantur. Munera judicum, ut in legem jurarent; citati a prætore judicium exercente adessent; in subselliis, quæ subjecta tribunali erant, ex lege sederent; ne inter se disputarent; jurati sententias ferrent, quas prætor ipse pro tribunali pronuntiaret.

De judicum legendorum ratione, numero, conditione, ætate, de ordinibus denique ex quibus legerentur, dicenda quædam. Judicia penes senatores annos amplius sexcentos mansere; postea mutata priorum temporum consuetudine,

novis subinde legibus jactata res judiciaria numquam plane conquievit.

Ante C. Sempronii Gracchi alterum tribunatum, soli senatores judicarunt. C. Gracchus tribunus plebis iterum anno Urbis 631, « vir optimo ingenio male usus », ut rempublicam quam multis aliis legibus perturbare instituerat, hac etiam in parte vexaret, a senatu, cui propter fraternam necem erat infensus, ad equites judicia, lata lege, transtulit. Prætexebat judiciorum dissolutionem, et recens exemplum Aurelii Cottæ; Salinatoris; M. Aquillii; qui repetundarum rei, corruptis judiciis, elapsi fuerant. Quam rem attestabantur provinciarum spoliatarum legati, qui frementes et indignabundi tota Urbe discurrebant cum magna senatus invidia. Itaque senatus pudore victus legi ferendæ non admodum adversatus est.

Anno post Semproniam legem decimo septimo, quum jam equitum judicantium avaritia atque superbia ultra ferri non possent (vide Appian.), Q. Servilius Cæpio cos. is qui Tolosam urbem diripuit, et ex Apollinis fano, quod in ea urbe fuit, ad quindecim millia talentum abstulit (Strabo, lib. IV), quique postea cum Cimbris male pugnavit (Liv. Epit. 67), legem rogavit, anno Urbis 647, ut cum equitibus senatores etiam judicarent : ob quod beneficium senatus eum « patronum suum » appellavit (Val. Max. VI, 9, 13), et « patriæ liberator » in inscriptionibus apud Gruter. p. 468, 5, nuncupatur.

Legem Serviliam Cæpionis, brevi intervallo sequuta est altera Servilia Glauciæ. Tulit C. Servilius Glaucia tribunus plebis anno 649, uti, contra Q. Cæpionis legem Serviliam, equites soli ex lege Sempronia judicarent. Cujus legis beneficio Glaucia equestrem ordinem sibi non mediocriter in posterum conciliavit et obstrinxit. Ex ea lege decem post annis, C. Norbani, quo accusante Cæpio damnatus erat, causa apud equites tum judices acta est. Cic. de Orat. II, cap. 48.

Interea senatus, quum impotentiam equestris ordinis, penes quem Sempronia lege judicia erant, ferre non posset, omni ope contendebat ut ea ad se transferrentur. Tandem exstitit M. Livius Drusus, ejus Drusi filius, quo tribuno plebis ad labefactandam C. Gracchi potentiam senatus usus erat. Is, quum et ipse esset tribunus plebis anno 662, rem aggressus est animo meliore, quam fortuna. Quum enim aperte judicia senatui reddere non posset, hac arte ea inter utrumque ordinem communicavit. Quum senatores, propter superiorum temporum discordias, vix ad trecentos essent, tulit ut singuli viritim equitem legerent, atque in senatum cooptarent; atque ut ex his omnibus in posterum decuriæ judicum legerentur. Addidit præterea legi, ut deinceps quæreretur in eos, qui ob rem judicandam, pecuniam accepissent. Quod crimen consuetudine jam pro nullo numerabatur. Adeo corruptelæ sine ullo pudore increbruerant! Hæc Drusi ratio neutri ordini placuit. Non senatoribus, qui tot in senatum allegi equites ægre ferebant: non equitibus, qui senatui judicia communicari nolebant. Itaque legi summa vi utrique restiterunt. Coorta seditione Drusus in magistratu occisus est. Hæc ejus lex, et aliæ reliquæ quas tulerat, tamquam adversus auspicia latæ, senatusconsulto sublatæ sunt, et in eumdem, quo ante fuerat, statum res judiciaria restituta est.

Quum ergo equester ordo semper in judiciis dominaretur; anno deinde interjecto, hoc est, anno 664, qui fuit annus Italici belli secundus, M. Plotius Silvanus tribunus plebis, adjuvantibus nobilibus, tulit, ut singulæ tribus e suo numero quinosdenos legerent, qui per annum judicarent. Ex eo factum est ut equitum potentia minueretur, quum ex tribus ordinibus judices suffragio crearentur. Cic. pro Cornel. et ibi Ascon.

An lex Plotia diu steterit; et ex ea res usque ad Sullæ tempora judicatæ sint, affirmare non ausim. At illud nullam habet dubitationem, septennio post, L. Sullam dicta-

torem tulisse « ut soli senatores judicarent »; quod equitibus et plebi esset infensus, qui adversum se pro Marianis partibus steterant.

Sic denique judicia senatoribus restituta sunt; uno et quadraginta annis postquam illa eis adempta lege Sempronia fuerant. Quod autem sæpius usurpat Cicero « equites judicia sine infamia per totum hoc tempus exercuisse », plane adversatur historiæ. Etenim contra narrat Appianus, equestrem ordinem jam ab initio potentia sua turpiter abusum fuisse, sive divitibus accusatores subornando; sive leges corruptelis judicum oppositas eludendo, et superbe contemnendo.

De iisdem equitibus judicia administrantibus meliora non prædicat Vell. Pat. lib. II, cap. 13: « Eam potestatem judicandi, nacti equites, inquit, Gracchanis legibus, quum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sæviissent, tum P. Rutilium, virum non sæculi sui, sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverunt ». Vid. Liv. Epit. 70.

Ex his planum fit equites turpiter judicasse, atque Ciceronem, toti equitum ordini ut indulgeret, gratis dixisse ubi supra, « nullam, equite romano judicante, ne tenuissimam quidem suspicionem acceptæ pecuniæ, ob rem judicandam, constitutam fuisse ». Rejectis igitur equitibus, senatores, uti ante Gracchanas leges, soli, lege Cornelia, judicarunt; nec ipsi minori, quam equites, infamia. Pleni libri: plenæ sunt Ciceronis in Verrem orationes, inter decem annos, postea quam judicia ad senatum translata sunt, senatorium ordinem in rebus judicandis nefarie flagitioseque esse versatum. Ergo judiciorum levitate factum est, ut ordo alius, nempe equester, postularetur: quod nimirum putaretur integriora fore judicia, si duos inter ordines essent communicata.

Igitur anno undecimo post latam legem Corneliam, hoc est, anno Urbis 683, quo anno causa Verris acta est, C. Aurelius Cotta prætor tulit, « ut judicia, quæ penes solos sena-

tores erant, inter senatores, equestrem ordinem, et tribunos ærarios communicarentur »: hoc est, ut tres Urbis ordines ad judicandum advocarentur: si quidem tribuni ærarii de plebe fuerunt. Itaque Aurelia lex, et Plotia Silvani in eo inter se convenerunt, ut ex utraque lege tribus civitatis ordinibus aditus ad res judicandas pateret.

Anno Urbis 698, Cn. Pompeius consul II, legem judiciariam tulit, quæ ab Aurelia nihil de tribus ordinibus discrepabat; sed hoc habuit peculiare ut ex amplissimo censu, quod lex Aurelia non attenderat, e centuriis legi judices juberet. Item, ut quinque et septuaginta judices causas cognoscerent.

C. Julius Cæsar, rerum potitus, anno 707 legem judiciariam tulit, qua judicia ad duos ordines, senatorium et equestrem, remotis ærarii tribunis, redegit: « ut purissima pars civitatis judicaret». «Ante enim, inquit Dio l. XLIII, et tribunos ærarii intelligit, ex plebe quidam etiam una cum senatoribus et equitibus judicia exercebant».

Ultima lex judiciaria est M. Antonii, qui triumvir fuit. Is quum esset consul an. 710, hoc sanxit, ut ad duas senatorum et equitum decurias accederet tertia e centurionibus, antesignanis, manipularibus legionis Alaudæ. Cic. Philipp. V, cap. 12. Hanc Antonii legem Cicero exagitat Philipp. I, cap. 20, ex eo quod in tertio isto ordine judicum legendo tolleret omne discrimen et fortunæ et dignitatis: «O contumeliosum honorem, inquit, iis quos ad judicandum nec opinantes vocasti».

Hactenus de variis ordinibus, unde judices per varias leges fuerunt lecti. Nunc de tota instituenda actione, atque de tota agendi apud prætorem ratione est disserendum. Ordo talis fuit. Privatus civis, qui privati nomen deferre in animo habuit (nam post magistratum, non in magistratu, reddere rationem oportebat earum rerum, quas quis in gerendo magistratu contra leges commisisse putaretur) eum in jus vocavit, et prætorem in foro adiens qui de crimine illo co-

gnoscebat, quod ipse deferre volebat, dicendi potestate accepta, postulavit ut sibi nomen ejus deferre liceret; qua re impetrata, nomen detulit. Nomine recepto, atque a scribis jussu prætoris in tabulas relato, ille reus tum dicebatur. Itaque prima omnium fuit in jus vocatio: deinde postulatio, tum nominis delatio; ad extremum inde sequuta est accusatio. De his singulis ordinatim et breviter est dicendum.

In jus vocato cive, postulabatur a prætore ut ejus nomen deferre liceret. Cic. ad Div. VIII, 6. Postulatio fiebat non solum præsente, sed etiam absente illo in quem fiebat. Cic. ad Q. Fr. III, 1, 5. Leges temere potestatem non fecerunt, ut quivis aut postulare, aut postulari posset. Qui possent, aut non possent accusare, vel accusari, declarantur Digest. lib. XLVIII, tit. 2, de accusationibus et inscription.

Neque solum leges, sed prætores ipsi pro potestate multos a postulatione videntur repulisse. Postulandi formula erat, «ut rei faciendi nomen reciperetur»; hoc est, ut potestas daretur accusandi: prætor enim hoc jus habebat, ut recipere, aut non recipere posset. Potestate impetrata, nomen in jus deferebatur, sive edebatur, ejus, cui accusatio parabatur. Delationem nominis præcedebat solemne jusjurandum, calumniandi causa nomen non delatum iri. Editionis hæc erat formula v. gr. «Aio te, C. Verres, Siculos spoliasse». Vel, si abesset Verres, «Aio C. Verrem Siculos spoliasse».

In conjecturalibus causis nudam propositionem in hunc modum factam fuisse tradit Quintilianus: «Cædis ago: furtum objicio». Erant etiam istæ editionum formulæ: «Ego Mævius L. Titium reum defero, quod... Ego Titiam adulterii, veneficii, etc. ream defero». Nam accusatores sua reis edere crimina cogebantur. Scire enim oportebat eos, quibus essent criminibus responsuri.

Ista verbis peragebantur. Libelli præterea dabantur, et offerebantur prætori. Tacit. Annal. III, 44. «Certi enim juris est inscriptione libelli accusatorem exigi; qua scilicet cujus

criminis alium reum deferat, ipse profiteatur: et subscriptionem, qua se id professum esse, ac reum a se peractum iri, declaret. Idque in hoc inventum est, ut accusatorem, si non vinceret, vinciret hæc subscriptio, et temeritatis coargueret: atque ita uti ne quis temere ad accusationem adsiliret: alioquin talionis pœna obligaretur». In lege penult. C. de accusat. Cujac. observat. I, 20.

Libellorum inscriptio talis erat. Primum quidem consul, et dies præponebatur. Deinde sequebantur nomina prætoris, accusatoris, rei; crimen, de quo futurum erat judicium; locus, tempus quo fuerat commissum. Paulus, fr. 3 Dig. de accusationibus et inscription.

Ex his intelligitur accusatorem et voce et libello omnia, et singula, quibus reus in legem illam, quæ nominabatur, peccasset, esse complexum: uti v. gr. in causa repetundarum, dicebat accusator reum abstulisse, inique judicasse, supplicia de civibus romanis sumpsisse; aut alia, quæ se probare adversus illum posse confideret.

In eadem causa illud præcipue observatum est, ut populi, qui repeterent pecuniam, ac spoliatos se, per legatos quererentur, patronos quoque nominandi potestatem postularent. Hi vero qui sociorum patroni fuerunt, reorum accusatores exstiterunt. Sic Cicero Siciliæ patronus Verrem ejus depeculatorem accusavit.

Sæpe evenit ut duo, aut plures, non solum in causa repetundarum, sed etiam ambitus, et aliorum criminum, accusationem sibi deposcerent. Quod quum accidit, tum judicium factum est ante omnia, uter deberet nomen rei deferre: quod judicium divinationem dixerunt. Quale autem hoc judicium fuerit, facile ipsa Ciceronis in Q. Cæcilium Divinatio, et quod huic orationi præfiximus argumentum, possunt docere. Sæpe etiam multi exstiterunt ejusdem criminis accusatores: ex quibus qui primas egit, is accusator est dictus; qui secundas, tertias, etc. subscriptor proximus, etc. Jus subscribendi dabatur a prætore; sicuti jus

deferendi nominis et accusandi. Cicero in Divin. cap. 15 et 16. Subscriptores definit Asconius, causidicos, qui adjuvare accusatorem solerent. Itaque hi fuerunt accusatores quasi secundi, qui et ipsi hac subscriptione testatum faciebant se accusatoris primarii factum probare: seque ipsos voluisse accusare, nisi has partes ille sibi sumpsisset. Quatuor numero fuisse subscriptores apparet.

Ex pluribus autem Ciceronis locis, discimus inferioris notæ causidicos hoc ambisse munus, vel, ut in aliquo nomine essent, et industriolam suam populo commendarent; vel, quia magnis oratoribus accusantibus, spes erat certa victoriæ, dum illis subscriberent, aut gloriæ pauxillum aucupabantur; aut etiam partem præmii, quod victoribus lex dabat.

Præter subscriptores, custos etiam ex lege apponebatur accusatori, qui observaret ex eo die, quo delatus erat reus, usque in diem qua causa diceretur, quid ille ageret; qua via moliretur accusationem; quibus modis eam instrueret: dolumne, et corruptelam, aut ambitum non admisceret.

Recepto rei nomine, hoc est, in tabulas prætoris relato nomine ejus qui erat accusandus, prætor certam diem, qua accusator et reus ad judicium adessent, constituebat. Is dies in aliis criminibus erat decimus; in aliis trigesimus. In crimine autem repetundarum accusator diem longiorem ad inquirendum petebat.

Cicero inquisitionis in Siciliam dies centum et decem postulavit: quibus impetratis lege prætoria totam provinciam colligendis literis in C. Verrem, et denuntiandis testimoniis, peragravit. Eadem lege prætoria potestas accusatori dabatur omnia non modo Romæ, sed etiam in provinciis obsignandi, ac deportandi, quæ ad instituendam accusationem pertinere arbitraretur.

Interea is, cujus nomen receptum inter reos fuerat, patronos quæsivit. De patronis scribit Asconius ante bellum civile Cæsaris raro quemquam pluribus, quam quatuor pa-

tronis usum fuisse : at post bella civilia, ante legem Juliam ad duodenos patronos perventum est, ita ut Augustus luxurians hoc patrocinium cohibere fuerit coactus.

Patronus causam orabat. Patronis certum dicendi spatium primus Pompeius præfixit, A. U. 702. Munera lege Cincia vetabantur accipere. Gratuitam reis operam præstare jubebantur. Tulit eam legem M. Cincius A. U. 549. Advocati aut jus suggerebant, aut præsentiam suam reo commodabant amico.

Ubi dies accesserat actioni a prætore constituta, prætor accusatores, et reum, et patronos citari per præconem jubebat. Si accusator non responderet, nomen rei ex reorum tabulis eximebatur. Si reus, absens damnabatur.

Ubi prætor assederat, et accusatores, reus, patroni prodierant; de judicibus legendis agebatur : quod munus plerumque judici quæstionis assignabatur. Numerus judicum legebatur, qui ea lege erat præscriptus, qua lege judicium illud exercebatur. De M. Scauro repetundarum apud prætorem Catonem postulato, sententias tulerunt septuaginta judices. An legitimus is fuerit numerus in judicio de repetundis, non ausim affirmare. De Milone, unus et quinquaginta sententia tulerunt. Totidem sederunt in causa M. Saufeii, quæ Milonis fuit appendicula.

Legebantur sortitione judices. Sortitio fuit ejusmodi. Prætor, aut judex quæstionis, in urnam conjiciebat omnes judices selectos; id est, eorum omnium nomina, qui ad judicia ejus anni a prætore urbano fuerant delecti ; ac sorte eum numerum educebat, quem lex ipsa præscribebat. Quo facto, potestas dabatur reo et accusatori rejiciendi quos parum sibi putarent idoneos. In locum vero rejectorum alios sive prætor, sive judex quæstionis, subsortiebatur. Quæres quot vulgo judices rejicerentur. In causa Milonis, singuli quinos denos accusator et reus rejecerunt. Asconius rejectionem factam primum a reo, deinde ab accusatore putat ; quod Ciceronis testimonio confirmatur. Prima judicum lectio,

sortitio; altera, subsortitio dicebatur. Peracta sortitione, et subsortitione, judices lecti citabantur, quique adesse non poterat, excusationem afferebat.

Judices jurabant in leges, ut obstricti religione judicarent; non jurabat prætor, quippe quem jurare non necesse esset, utpote sententias colligentem, non vero ferentem. Quum jurassent omnes præter ipsum prætorem, nomina eorum in album referebantur, et palam ad tribunal prætoris habebantur, ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui supponerentur, corruptissime judicaturi. In causa Verris Tullius plures præterea libellos fecerat quibus nomina judicum continerentur, et quos compluribus distribuerat, quo Verris patronorum insidiis ac fraudi certius occurreret. Act. I, cap. 6.

Tunc accusator primus orationem habebat, ita ut eam in duas partes divideret; altera testimoniorum nomine omnes probationes extrinsecus sumptas continebat. « Maximus patronis circa testimonia sudor est. » Quintil. V, 7. Ea tres habent partes: quæstiones, testes, et tabulas. Quamquam non omnia crimina iisdem testimoniis confirmata sunt. Nam cædes testibus et quæstionibus probata est; tabularum fidem non desideravit : repetundæ et peculatus testes et tabulas poposcerunt, quæstiones repudiarunt : majestas autem et ambitus solis etiam testibus fuerunt contenta.

Liberi non dabantur in quæstionem : servi reorum, accusatore postulante, dabantur. Sed contra dominos torqueri non poterant, excepta causa incestus, et conjurationis, adulterii, majestatis. Cic. in Partit. et pro Milone. Tacit. Ann. II, 30.

Quæstiones palam habebantur inspectantibus omnibus nunc in medio foro; nunc in atrio libertatis, et aliis; nunc in senatu. Atrocibus illis tormentis quæ ne ulla quidem specie defendi possunt, diutius Romanæ leges fuerunt pollutæ, ita ut solis recentioribus populis illud sit decus attribuendum hæc ex judiciis omnino depulisse.

Jam a quæstionibus ad testes, quæ altera probationis species est.

Homines liberi fuerunt, qui testimonium extra tormenta dixerunt. Quoniam non omnibus testimonium dicere licuit, de testium conditione, et de iis, quibus testimonium denuntiari non potest, disserunt jurisconsulti, Digest. XXII, tit. 5.

Testium illa divisio fuit, ut alii voluntarii essent, alii coacti. In controversiis inter cives, seu vocati, seu invocati; rogati, seu non rogati; jurati, aut injurati, testimonium dicebant; et quia nulla vi externa cogente, sed sponte, a litigatoribus vocati, comparebant ad judicium, voluntarii testes appellabantur. At in judiciis publicis sive judex, sive accusator denuntiabat testimonium : atque erant legum sanctiones, et pœnæ in eos constitutæ, qui non parerent. Testes Cicero in Verr. IV, cap. 66, et Quintil. V, 7. Raro autem parebant, nisi inviti : hoc enim veteres ad humanitatem pertinere arbitrabantur, ut nemo capitis, aut fortunarum omnium testimonium in alios diceret, nisi invitus.

Ex XII tabulis nemo invitus testimonium dicere cogebatur. Postea variis legibus atque edictis prætorum testes coacti sunt in judiciis publicis : ita ut multæ recusantibus irrogarentur ; et ab eis pignora caperentur.

In causis publicis accusatori lege licebat centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium. Val. Max. VIII, 1, 10 : « In lege Servilia repetundarum ». In privatis autem controversiis plurium, quam decem hominum testimonio uti non licuisse ait Frontinus, de limitibus. Fuit enim antiquis legislatoribus curæ, ut testium numerum coarctarent, ne in infinitum excrescentes probationes veritati tenebras offunderent.

Testis, tum apud Græcos, tum apud Latinos, admotus ad aram jurabat se vera dicturum, uti ne, in testimonio dicundo religione obstrictus, mentiretur. Hinc dictum Periclis, « Amicus sum usque ad aras ». Cic. pro Flacc. cap. 25. At Vestales et Pontifices testimonium dicebant injurati.

Testes, postquam juravissent, interrogabantur. Loqui enim, nisi interrogato testi non licebat. Usus fori gallici est, ut testes judex interroget. At Romæ olim interrogationes testium fiebant per accusatorem et defensorem; per eum qui testes producebat, et per eum contra quem producebantur.

Accusator, a quo producebantur, prior eos interrogabat, et postea reo tradebat interrogandos.

Prætor interrogandi dabat potestatem ; atque interea ipse, et judices, auditores se, et spectatores otiosos præbebant : scribæ testium dicta omnia in libellos transferebant, quos judices consignabant. Hinc formula Ciceroni toties usurpata, « Recita testimonium ». Testes accusator et defensor quemadmodum interrogarent diligenter animadvertere debuerunt; fuit enim in interrogando teste summa industriæ oratoriæ laus posita : itaque Quintil. lib. V, cap. 7, de tota ratione interrogandorum ab utraque parte testium pluribus, ac subtilius agit.

Veterum ea fuit diligentia, ut, quod inscientia multa versaretur in vita, qui testimonium diceret, arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset : quemadmodum quæ jurati judices cognovissent, ea non esse facta, sed, videri, pronuntiabant. Acad. Quæst. IV, cap. 71.

Hactenus de testibus. Jam ad tabulas, quæ tertia pars fuit probationum. Tabularum nomine omne genus scripturarum appellabant, quo causam confirmare suam possent. In primis autem erant tabulæ dati et expensi, quas accusator a reo postulabat in certis causis, ut repetundarum, et peculatus. Scilicet ut sæpius apud Ciceronem vidimus Romanis mos erat, ut quæcumque per singulos dies aut acciperent, aut darent, in certos codices referrent, qui et censoribus, quinto quoque anno, et judicibus, si necesse esset, ostenderentur. Confer Rosc. Com. Verr. I. Tabulæ pactionales, literæ, syngraphæ, tabulæ rationum, uno tabularum nomine comprehendebantur; eæque ab accusatore inquisitæ, et

obsignatæ, ne corrumperentur, ad prætorem delatæ sunt. Cic. Tuscul. disp. V, cap. 12.

Itaque tota illa prima accusatoris oratio interrupta fuit. Deinde alteram sequentibus diebus orationem habuit, quæ perpetua fuit. Hic accusator totam causam retractabat, ac declamatorio more reum insequebatur; criminaque testimoniis confirmata oratorie amplificabat. Hæc autem et longa et perpetua oratio proprie accusatio dicta est.

Hæc procemia habuit ad odium et invidiam inflammandam composita. Narratio inde, si incidebat [neque enim omne crimen, uti v. gr. ambitus, narrationem admisit], ad confirmationem fuit apposita : utraque vero, ut ad eum qui jam rem teneret, accommodabatur. Contentio non crimen illud solum quod intendebatur, sed totius præteritæ vitæ criminationem complexa est. Itaque non solum testimonia adhibuerunt accusatores, sed etiam argumenta, id est, sumptas ex ipsa re, et ex vita rei superiore, conjecturas, suspiciones et signa. Omnemque suam eo industriam intenderunt, ut, factum fuisse quod intendebatur, ostenderent. Contentioni denique peroratio gravis et vehemens fuit subjecta. Hæc omnia complexus est Cicero pro Cœlio, cap. 3, ubi ait « accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet ». Ipse Tullius eadem exsequitur totis in Verrinis.

Accusatione peracta, patroni, nam dixi plures fuisse uti et accusatores, defensionem aggrediebantur eo die, qui esset ex lege a prætore concessus : pro Cluent. cap. 21. Ut accusatores crimina inferenda, sic patroni diluenda, partitis inter se muneribus, susceperunt. Et quoniam in defensionibus non faciendum est solum ut mitigetur judex, ut faveat, admiretur, diligat, cupiat, speret, lætetur; sed etiam miseratione mens illius permovenda est; peroratio, sive ultimus dicendi locus illi relinquebatur, qui hac parte orationis plurimum posse videretur. Itaque Ciceroni, etiamsi plures dicerent, perorationem omnes relinquebant, « in quo ut viderer

excellere, inquit modeste, non ingenio, sed dolore assequebar ». Orat. cap. 37.

Quin solebant in defensionibus oratores, miseratione quo dolentius uterentur, et magis judicum animos commoverent, pueros infantes in judicium producere, ut eorum aspectu commoti judices parentibus ignoscerent. Ita Serg. Galba, productis in judicium filiis, periculum evasit. Val. Max. VIII, 1, 2. Ita Cicero pro Sulla et pro Flacco, quum pueros eorum infantes in manibus perorans teneret, plangore et lamentatione forum complevit.

Præter patronos et advocatos, mos fuit, ut rei laudatores etiam adhiberent, viros graves et nobiles quorum auctoritate et testimonio judicibus commendarentur. Hi fuere aut municipes, aut provinciales. Laudaverunt Scaurum consulares novem, et Faustus Cornelius, Sullæ filius. Asconius. Roscium laudaverunt Amerini municipes, decreto decurionum ad Sullam profecti : pro R. Am. cap. 9. Reos repetundarum prætores, missi ex provinciis publico nomine legati laudaverunt et defenderunt.

Istiusmodi laudatorum numerus erat non lege quidem, sed consuetudine, definitus. Qui sive repetundarum, sive alius cujusvis criminis reus esset, aut nullum, aut decem dare laudatores eum oportuit. In Verr. lib. V, cap. 22. Hinc Verrem Tullius exagitat, quod, quum tot in Sicilia civitates essent, una eum laudaret Mamertina civitas, ibid. Ex quibus ejus verbis conjicio quasi legitimum fuisse, ut, qui repetundarum lege postularetur, ex singulis denis civitatibus provinciæ suæ denos daret laudatores. Nam laudabat Verrem Mamertina civitas : Hejus erat princeps laudationis, hoc est, legatorum qui Romam legitimo numero venerant, ut Verrem laudarent : at nihilominus Verri objicitur, quod illum quasi legitimum laudationum numerum non expleverit. Intelligendum est ergo novem alias hic requiri civitates, ut denarius ille civitatum numerus efficiatur. Ceterum hoc omne genus Pompeius lege sustulit, utpote qui aut gratia inducti, aut metu coacti venirent.

Causa semel, aut bis utrimque peracta, quum uterque orator se dixisse significavit, aut præco pronuntiavit, dixere, prætor ternas judicibus tabellas dedit, unam absolutionis; alteram condemnationis; tertiam ampliationis; quarum unam in urnam mitterent. Urnæ autem tot fuerunt, quot judicum ordines, qui judicarent: nempe tres, quum tres ordines; senatorius, equestris, et tribunorum ærarii, judicia obierunt. At quum Verris judicium peractum est, soli tunc ab annis decem judicabant senatores.

Tabellis datis, judices prætor in consilium misit, hoc est, jussit illos conferre capita, ac deliberare inter se (in Verr. lib. III, cap. 12), et ad urnas accedere, atque in eas tabellam, qua cujusque judicis sententia contineretur, conjicere. Solebant rei, dum judices sententiam ferrent, ad pedes eorum se projicere. Confecto judicio, latisque sententiis, tabellæ quæ aut condemnarent, aut absolverent, aut ampliarent, diribebantur, id est, separabantur.

Postquam ex diribitarum tabellarum numero sententiam judicum cognovit prætor, tum eam pronuntiavit. Mos erat, si condemnatum pronuntiaturus esset, ut prætextam poneret. Formula pronuntiandæ condemnationis fuit, « videtur fecisse, aut, non jure fecisse. » Absolutionis, « non videtur fecisse, aut, jure fecisse ».

Aliquando in formula condemnationis factum est, ut, non solum crimen commissum, sed etiam pœnam sumendam prætor pronuntiaret. Quod autem de majoris partis sententia per prætorem pronuntiatum est, id jus, ratumque fuit.

Reum prætor aut absolutum, aut condemnatum referendum curabat in tabulas. Condemnatum duæ res sequebantur; æstimatio litis, et animadversio.

Æstimatio litis præcipue erat in causa repetundarum, et peculatus. Erat autem judicium alterum, quo ratio inibatur furtorum de quibus lis orta fuerat, ut ex divenditis bonis ejus qui fuerat condemnatus, pecuniæ redderentur iis, qui-

bus fuerant ereptæ. Nam continuo damnati bona sectoribus auctione vendebantur, qui redactam inde pecuniam quæstoribus ærarii repræsentarent. Animadversio autem statim sumebatur, nisi ad populum damnatus provocaret, aut prætor alius, sive consul intercederet.

Reo absoluto duo relinquebantur judicia, ambo contra accusatorem instituta : unum calumniæ, alterum prævaricationis. Calumniæ ab adversario postulabatur, si falsum crimen eum intulisse constaret : prævaricationis a publico magistratu, si cum defensore collusisset, et vera crimina occultasset. Porro calumniæ pœna fuit litera K fronti inusta, ex lege Remmia : prævaricationis ea pœna fuit, qua reus affectus fuisset, si non fuisset per prævaricationem absolutus. Præterea infamis fiebat prævaricator, nec alium quemquam deinceps accusare poterat. Digest. lib. XLVII, tit. 15.

PONCELET.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE SECUNDÆ PARTIS
CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS PRIMI VOLUMINIS SECUNDÆ PARTIS.